





1
7
394












N° 292

A

XXIV
SAGITTAR.
Hist. Gothan



Grundriß des Schloßes Friedenstein und der Stadt Gotha.



B I

CASP. SAGITTARII
HISTORICI SAXONICI
HISTORIA GOTHANA
PLENIOR
Ex optimis quibusque editis Scriptoribus ut & MSS. Documentis
CVM FIDE ET INDVSTRIA
CONCINNATA.
OPVS MVLTORVM VOTIS EXPETITVM
AB IPSO AVCTORE
MAGNA EX PARTE CONFECTVM
TYPOGRAPHOQVE TRADITVM
Reliqua ex ejusdem ſchedis congeſſit
&
SVPPLEMENTO INDICEQVE
mox edendis
illuſtrabit
WILHELMVS ERNEST. TENZELIVS,
HISTORICVS SAXONICVS.



IENAE
Sumtu IOAN. BIELCKII Bibliopol.
A. cIↄ Iↄ cc.

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICO
DVCI SAXONIAE
IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE
LANDGRAVIO THVRINGIAE
MARCHIONI MISNIAE
PRINCIPI HENNEBERGIAE
COMITI MARCAE ET RAVENSBERGAE
DYNASTAE RAVENSTEINII
ET TONNAE
PATRIAE PATRI
PIO IVSTO FELICI
PRINCIPI AC DOMINO SVO
CLEMENTISSIMO
PERENNEM FELICITATEM
PRECATVR
WILHELMVS ERNESTVS TENZELIVS.

✲ (o) ✲

SERENISSIME PRINCEPS,

DOMINE CLEMENTISSIME,



QVemadmodum TVAE cumprimis CLEMEMTIAE, efficacique apud reliquos LINEAE ERNESTINAE SERENISSIMOS PRINCIPES commendationi debeo, quod CL. V. Caſpari Sagittario in Hiſtorici Saxonici munere ſucceſſi; ita primitias haſce meas communi eruditorum lingua vulgatas, *Hiſtoriam Gothanam* ab Anteceſſore meo coeptam, & a me, variis, quæ noſti, impedimentis feliciter ſuperatis, tan-

dem

dem abſolutam, TVAE SERENITATI ſummo iure cultuque do, dico, dedico. Neque enim ſuffulcior ratione tantum generali, quæ TIBI omnino conſecrandam ſuadet *hiſtoriam Arcis auitæ*, vbi ſplendidam ſedem aulamque TVAM fixiſti, *ac Vrbis*, cui poſt tot alios Thuringiæ Landgrauios feliciſſime imperas, exempla pietatis, iuſtitiæ, ſobrietatis, aliarumque virtutum admiranda quotidie præbens. Infinitis porro teſtimoniis compertum habeo, quantam voluptatem ſubinde capere ſoleas ex lecta auditaque Principum Saxonicorum Hiſtoria, ſiue antiqua, ſiue recentiori; vnde originem traxit ſingulare mandatum TVVM, quo nuperrime iniunxiſti, vt DIVI AVI, ERNESTI, cu-

tis, Friderici Gloriosi, *Aemulus*, *&* *Augustum* Nomen Fridericianum *rerum gestarum gloria illustres. Hæc & alia felicia fata, quæ* septem Fridericis *obvenere*, *TIBI SOLI, CLEMENTISSIME PRINCEPS, fauente diuina gratia, obtingant, quod vnica meorum votorum & desideriorum est summa.* Gothæ VII. Eidus Martias Anno cIɔ Iɔ cc.



CASP. SAGITTARII
PRÆFATIO
MEMORABILIBVS QVONDAM GOTHANIS PRÆMISSA.



SAncte affirmare possum, per complures annos, quibus in docendis, scribendisque rebus gestis occupor, nullius historiæ tractationem, præ Gothana, mihi suaviorem, nullius expeditam mihi fuisse magis. Et vero licet illam ipsam jucunditatem, ex felici collectionis, scriptionisque successu potissimum hauserim; factum tamen fuit nescio quomodo, ut inter tot ac tantos, ex multifariis antiquis, mediis, recentibusque scriptis excerpendi, excerpta digerendi, digesta reformandi, labores, nullum mihi obrepserit tædium, nulla me molestia affecerit; imo in illis ipsis, qui me inter has curas invaserunt morbis gravibus, post lætificam Sacro-sancti Spiritus gratiam, ex hac historia semper aliquod levamen senserim.

Vt autem sciat, lector benevolus, quid me ad scribenda Gothana moverit, quibus præsidiis fuerim adju-

tus, & quid porro in illis ſit agendum, ſingula brevibus recenſere animus eſt. Annus jam fere abiit, quod carpento vectus Vinariam, comitem itineris haberem, pium, probum, doctumque juvenem, Eſaiam Thilonem, civem non modo Gothanum, ſed & claris, ac de ea Eccleſia Req; publica Gothana optime meritis majoribus ſatum. Et is quidem, cum per alios familiares ſermones exponeret, quod jam fere per quinquennium Salanæ Academiæ alumnus, atque a SERENISSIMO DUCE FRIDERICO multis magnisq; gratiis, ab aliis item Mæcenatibus & Patronis variis benefactis auctus & ornatus, nondum tamen publicum doctrinæ ſpecimen exhibuerit; ſponte mea eidem pollicebar, fore, ut ſi de patria ejus Gotha ἀξιομνημόνευτα mihi darentur colligere, eadem in formam diſſertationis Academiæ redacta, typisque exſcripta, more in Academiis recepto, ipſo Reſpondente examinarentur. Quæ res quantopere affecerit optimum, meiq; amantiſſimum Iuvenem, quiq; ultra quadriennium in meis vixerat ædibus, dici ſatis non poteſt: præſertim quando ne teruncium, vel pro præſidiaria opella, vel operis typographicis ſoluturum intelligeret. Sic igitur deliberatum fixumq; erat apud animum meum, Antiquitates Gothanas primum conſcribere, ac porro in media, ac recentiori hujus urbis hiſtoria elaborare. Iam brevi poſt in nobili quadam & honeſta valde Facultatis Philoſophicæ cauſa

Go-

Gotham profectus, propositum meum cum Nobilissimo Amplissimoq; Viro, Iacobo Weitzio, Philos. & Med. Doctore, ac Cos. Gothano optime merito, communicavi; a quo tantum aberat, ut cœpta improbaret mea, ut potius sponte currenti calcar adderet, ac suum Collegarumq; Coss. quin totius Senatus studium in sufficiendis scripturis necessariis polliceretur. Quamobrem spei plenus Meinungam, ac mox Coburgum adii, paulo ante solemnia Inauguralia RECTORIS NOSTRI MAGNIFICENTISSIMI Ienam reversus. Tertio abhinc die ab intimi Consilii Assessoribus consiliariis ad auspicandam, sive novam historiam Hennebergensem, sive supplenda Spangenbergiana, revocabar Gotham: ubi, Isenaco, quo me potissimum valetudo, D. Paulini usurum consilio, traxerat, redux, gravius cœpi ægrotare: nec tamen tam difficulter, ut hic atq; alibi nonnulli opus habuissent de morte mea somnia sibi fingere. In illa ipsa ægritudine postquam lineamenta operis Hennebergici confecissem, serio cœpi de colligendis rebus Gothanis cogitare, atque ex variis Bibliothecæ, ut & Archivi Ducalis libris scripturisq; aliis, sed & ex Senatus Gothani documentis literariis excerpere, quæ usui futura crederem. At enim cum meum de scribenda historia Gothana consilium aliis Mæcenatibus, Fautoribus & amicis innotesceret, partim præsenti suggesserunt multa singularia, partim Ienam feliciter reverso pluri-

ma transmiſere. Sic itaque Auguſto menſe primum admovi manum ſcribendis Annalibus, medio Octobri colophonem impoſui. Vt autem omnia procederent rectius, Thiloni meo auctor fui, ut mea curatius deſcriberet, eoque hiſtoriam patriam ſibi redderet familiarem: id quod ab eo factum eſt perdiligenter: ac tum hoc apographum Gotham miſi ad D. Hieronymum Brücknerum, SERENISSIMO DVCI FRIDERICO a conſiliis, ICtum, genere, doctrina, meritis, ſcriptis excellentem: qui porro hoc ſcriptum cum pluribus aliis doctis & prudentibus viris communicavit: quorum nemo fuit, qui non ſuam ad hos Annales ſymbolam adjecerit. Etſi vero pro navata opera ſingulis mirifice me obligatum fateor, non poſſum tamen non impenſe laudare trigam virorum clariſſimorum, qui in contexenda hiſtoria Gothana magnopere adjuverunt. Sunt autem Fridericus Rudolphi, proxime laudato, ſed nunquam ſatis laudando DVCI FRIDERICO a Secretis, M. Iohannes Balthaſar Strobelius, & M. Wilhelmus Erneſtus Tentzelius, uterque Gymnaſii Gothani Profeſſor, alter Conrector, alter Alumnorum Inſpector: in quorum veras laudes plura dicerem, modo vel ſumma eorum modeſtia id ferret, vel ipſe omnem aſſentandi ſuſpicionem vellem declinare. Neque tacui tamen, quæ eloquenda fuerunt, in hoc ipſo, quod nunc in lucem venit Hiſtoriæ Gothanæ

Com-

Compendio. Compendio, inquam. Nam ex Annalibus Gothanis, pridem, ceu dixi, affectis, hanc scriptiunculam contraxi: quam brevi, ceu spero, excipiet Historia Gothana plenior, multis memorabilibus, ac potissimum variis diplomatibus, aliisque optimæ notæ scripturis distincta. Nec tamen hic stabit qualiscunque mea industria: sed, quam primum reliqua scopo meo inservitura congessi, Germanicum de Gotha, rebusque Gothanis conscribam opus, inter cetera justam Vitæ ERNESTI PII, sed & felicis regiminis SERENISSIMI DUCIS FRIDERICI, tum vivo Patre, tum ab excessu Ejus, historiam repræsentaturum. Ad hæc elucubranda, ut DEUS OPT. MAX. vitam ac valetudinem, sed & Magnatum gratiam, porro mihi indulgeat, si mea aliquid esse putas, vovebis lector benevole. Scribebam Ienæ die XIX. Dec. Anno CIƆ IƆC LXXXVIII.



NOVA TENZELII PRAEFATIO.



QUod CASPARIS SAGITTARII, Historici Saxonici, & Historiarum in Academia Ienensi Professoris Publici, Viri de omni historia immortaliter meriti, institutum fuerit in Historia Gothana scribenda, ex præmisso illius Prologo satis liquet. Nec meum nunc est, in laudes Viri excurrere, quas integras relinquo Viro Maxime Reuerendo, IO. ANDR. SCHMIDIO, S. Theologiæ Doctori & Professori Helmstadiensi celeberrimo, qui Vitam Sagittarianam eo modo adornandam suscepit, quo Peirescianam persequutus est Gassendus. Ego nunc ea tantum recensebo, quæ ad Historiam Gothanam pleniorem faciunt. Paullo post edita Memorabilia hanc adgressus est Sagittarius noster, imprimendique propriis sumtibus initium fecit: sed aliis subinde scriptis, lectionibus, controuersiis, itineribusque impeditus, reliquo vitæ suæ spatio absolvere non potuit, & An. CIƆ IƆC XCIV. nona Martii die, qua hæc scribo, defunctus, vsque ad finem demum alterius Alphabeti, paginamque 368. perduxit.

Im-


Imperfectum igitur foetum mihi fouendum perficiendumque obtulit laudatus Schmidius, transmiſſis omnibus rerum Gothanarum Collectaneis, a beato auctore in vnum faſciculum compoſitis. Verum ab eo tempore Academia Ienenſis, hæres a Sagittario inſtituta, mirificas cum typographo incurrit controuerſias, qui folia Hiſtoriæ Gothanæ impreſſa tradere noluit. Inde ſufflaminatum eſt optimum meum propoſitum; Hiſtoriam illam ad noſtra vsque tempora continuandi; variaque interim folia ceſſerunt Ienæ apophoretis, quibus thus & odores, & piper inuolueretur. Non tulerunt rei indignitatem SERENISSIMVS PRINCEPS EIVSque Miniſtri, ſed crebro Academiam hortati ſunt, vt illa ex typographi manibus liberaret; mihique, viſis Sagittarii ſchedis MSStis, auctores extiterunt, ea tantum emundandi, quæ illic habentur, recentioribus in Opus Germanicum, DEO fortunante, aliquando edendum, ſeruatis. Cum autem aliæ ex aliis traherentur moræ, noſtrique ſæpiſſime aurem vellicarent, tandem mandato Ducali ad Academiam inſtructus, ſuperiori æſtate Ienam conceſſi, nec quieui, donec, quidquid foliorum ſupererat, ex iniqui typograhi repagulis eruerem, & Bibliothecæ Academicæ adſererem; opem inprimis ferente Magnifico tunc Academiæ Rectore, GEORGIO SCHVBARTO, eruditione, fama, meritis, Ampliſſimo Viro. Is etiam ex

officio, quod gerebat, cum Bibliopola pactus eſt, vt ex præſcripto teſtamenti Sagittariani, libros Hiſtoricos optimos Academiæ ceſſuros, cum reſiduis Operis exemplis permutaret, eaque in publicam proferret lucem. Collegi ergo reliquam libri partem, eo prorſus modo, quo Sagittarius, cum ad Memorabilia Gothana, tum peculiaribus chartis manu ſua deſcripſerat. Animus quoque erat, quadruplex Supplementum adiicere: quorum *primum* complecteretur Epiſtolas Conradi Mutiani Rufi, Canonici Gothani, inter primos litterarum in Germania reſtauratores celeberrimi, maximam partem hactenus ineditam, & ad illius temporis Hiſtoriam, ſacram inprimis & litterariam, vtiliſſimas. *Secundum* Hiſtoriam Obſidionis Anno CIↃ IↃ LXVII. peractæ & ab Huberto Langueto deſcriptæ, cum figuris æneis, partim ipſam Obſidionis faciem, partim antiquam Grimmenſteinii & vrbis Gothanæ, partim hodiernam Fridenſteinii ciuitatisque delineantibus; præfixis Prolegomenis de vario arcis vrbisque ſtatu, quibus multa inſererem, Sagittario non viſa, aut præterita. *Tertium* Orationem Ioan. Dinckelii, Superintendentis Generalis Coburgici, in laudem M. Cyriaci Lindemanni, Rectoris quondam Scholæ Gothanæ optime meriti; Sagittario quidem laudatam, ſed nunquam viſam. *Quartum* denique Vitam Gothardi, vrbis in Papatu Patroni, qualem in Actis San-

ctorum prolixiſſimis, vix centeſimo eruditorum noſtrorum viſis, nedum lectis, dederunt Henſchenius & Papebrochius, animaduerſionibus neceſſariis abs me inſtruendam. Enimuero me in hiſce adornandis & digerendis occupato, tantæ iterum ſubortæ ſunt difficultates, vt parum abfuerit, quin ad perpetuas tenebras damnaretur Sagittarii opus. Tandem typis mandatæ illius ſunt reliquiæ, ſatis, vt videmus, negligenter: quas tamen, appropinquantibus Francofurtenſium nundinis, abſque Supplemento meo prodire paſſus ſum, vt tanto magis doctorum patriæque amantium hominum ſtudia elicerem, ad ea mecum communicanda, quæ in ſcriniis adhuc ſeruant, rerum Gothanarum cimelia: quemadmodum ſane Ampliſſimus Weizius nuperrime incepit, variis Diplomatibus ex Senatus Archiuo mihi beneuole conceſſis. His ſimilibusque ſubſidiis inſtructa multo perfectiora euadent mea de vario arcis vrbisque ſtatu Prolegomena, quæ inſtante æſtate, vt ſpero, cum reliqua Supplementorum farragine lucem publicam adſpicient. Sed monitos adhuc velim huius Hiſtoriæ Lectores, ne mirum ipſis videatur, quod nunc annum LXXXVIII. nunc alium, *præſentem* dici audiunt: nam vltra quinquennium Operi intentus per otium Auctor, modo hunc, modo illum annum, quo ſcribebat, nominauit. Inſignem quoque lacunam reperient littera *Tt*, cuius hæc cauſſa eſt.

eſt. Sagittarius aliquando, typographo referente rationemque neſciente, integrum illum quaternionem, prelo adhuc madidum, ex officina auferri curauit: hinc in omnibus exemplis hoc deſiderabatur folium. Neque defectum hunc reſarcire plane potui, omnibus licet ſchedis diligentiſſime perluſtratis & denuo excuſſis: nam inter eos tantum reperi ultimam cataſtrophen vitæ Brücknerianæ, cui maximam curam impenderat vir optimus. Reliquæ paginæ quid comprehenderint, ne minimo quidem veſtigio relicto, iuxta ſcio cum ignariſſimis. Apparet quidem, illum cæteros poſt Brücknerum Conſiliarios Aulicos recenſere voluiſſe; quoniam vero nihil de illis propria conſignauit manu, reſiduas pagellas vacuas relinquere, quam de meo ſupplere malui. Hoc igitur Catone contentus iam eſto, benigne Lector, & vale.

CASP.


XI




Daß Fürstl. Sächs. Schloß
und Vestung Grimmenstein.


XII
17.3P4
(Z)

Das Fürstl. Sächß. Schloß Friedenstein ober Gotha

J. G. Göbel



CASP. SAGITTARII
HISTORICI SAXONICI
HISTORIA GOTHANA *PLENIOR*

CAPUT I.
DE NOMINE ET ORIGINIBUS URBIS.

§. I.

GOTHAM inter primarias Thuringiæ urbes non postremam, multisque dotibus nobilitatam, Gothicæ genti, uti ortum, ita nomen debere, multi docti viri crediderunt.

Certe Philippus Melanchthon id fecit, ac aliqvoties in publicis prælectionibus Academicis professus est, *GOTHAM* & *GOTTHINGAM* a *GOTHIS* extructas esse. Reinerus Reineccius de Origine *Misenorum*: *Nec dubium GOTHAM Turingorum a GOTHIS esse denominatam.* Marcus Wagnerus Frimariensis in *Narratione Historica de Gotha*, qvæ libello ejus *de Regno Thuringiæ in Pagos diviso*, jungitur: *Certissime verum est* (verba sunt Auctoris, sed ex germanicis latine versa:) *& ex fide dignis demonstrari potest documentis, GOTHAM a GOTHIS qui ex Scandinavianis insulis ab indigenis*

veris Germanis & Tuiscone illo descendunt, suum accepisse nomen. Bartholomæus Hübnerus, Med. D. in Epist. ad Wagnerum: *Postea GOTHOS in his terris mansisse, indicio est, qvod Theodericus de Berna Gothorum rex, sororis suæ filiam Regi Thuringorum in matrimonium dedit, proculdubio, ut gentis vestigia conservarentur: in quem finem & urbes Gottingen & Gotha conditæ sunt.* Sebastianus Münsterus *Cosmographiæ lib. III. cap. CCCCXXI. Putant nonnulli, Thuringos primas origines suas debere GOTHIS, qui in hac provincia GOTHÆ urbi nomen dederint.* Matthæus Dresserus, *de præcipuis Germaniæ Urbibus: GOTHA Duringiæ urbs ad Linam flumen - - a GOTHIS populis condita, quemadmodum & Gothinga in Saxonia, in transitu fortasse in Italiam.* Wolfgangus Heiderus *Oratione I. de Thuringia: GOTHICUM fuisse populum,* (Thuringicum) *Gotha urbs indicio esse potest, quæ dubio procul Gothorum nomen, sicut & Gottinga refert.* Stephanus Ritterus, *Cosmographiæ Prosometricæ lib. IV. GOTHA nomen sortita est a Gothis, vetustis & ferocissimis Germaniæ populis.* Sebastianus Schröderus, *in Historica Orbis Descriptione: GOTHA ad Linam flumen sita - GOTHIS populis, qui alias sedem suam in GOTHIA Europæ regione Danis & Norwegis finitima habuerunt, in transitu fortasse in Italiam condita.* Philippus Ferrarius in Lexico Geographico: *Gotha a Gothis condita.* Sed & Poëtam audiamus, Johannem Schofferum, in *Insignibus clarorum virorum*, ubi de *Pede Ursino* Stigelii:

Urbs jacet a veteri GOTTHORUM nomine dicta
Ad vada non unqvam laudibus orta, Lini.

§. II. Iisdem etiam Gothis Grimmensteinianæ arcis urbi incumbentis (hanc Grunensteinium olim dictam, aliqvi affirmant) origines a nonnullis tribuuntur.

Dresserus d. l. *Ædificata est ab iisdem GOTHIS etiam castellum urbi pene contiguum, quod Grunenstein, hodie GRIMMENSTEIN dicitur.* Wagnerus d. l. *Præterea GOTHI ibidem condiderunt parvum castellum, quod appellarunt GRIMMENSTEIN, olim Grunenstein, a veteribus Grunonibus ita dictum, qui populus fuere fortis ac bellicosus, in bellis, præliis, adversus hostes probe exerciti.* M. Adrianus Beierus *in Syllabo Rectorum Ienensium lib. V.* Arx *hodie Friedenstein, olim Grimmenstein, rectius* Grunenstein/ *a Grunoni-*

nonibus ejusdem conditoribus. Verum ſicuti *Grunonum* nulla apud antiqvos ſcriptores exſtat memoria; ita *Grunenſteinii* nomen an in ulla habeatur veteri Notitia, ambigo. Sunt qvi a viridi colore, qvo tinctum credunt præcipuum antiqvi caſtri palatium, hoc nomen derivant: at neſcio qvo fundamento.

§. III. Qvid? quod inſignia Gothorum qvondam hic reperta, non leve opinioni illi robur conciliare videantur.

Heiderus dicta *Oratione*; Ante *aliqvot jam annos cum pervetuſta turris in foro Gothano dirueretur, duobus lapidibus, alteri qvidem draconis imaginem, ſed alteri figuram agni inſculptam offenderunt: qvæ monumenta in veſtibulo domus publicæ, ſub qva tabernæ rerum venalium reponentes, & inſerentes muro hos rhythmos adſcripſere:*

Als man abbrach den alten Thurm/
Daran ſtund diß Lamb und Lindwurm/
Das Lamb die Gothen geführet han zu Friedens-
Zeiten
Den Lind-Wurm wider ihre Feinde in Sturm und
Streiten.

M. Iohannes Helderus, Rector Gothanus, *Oratione MS. de Vrbe Gotha*, qvam mecum comunicavit Vir Nobiliſſimus atqve Ampliſſimus, Friedericus Rudolphi, Sereniſſimo Saxoniæ Duci FRIDERICO a Secretis: *Philippus dixit, Gotham a Gothis extructam eſſe, idqve ſignis facile probari poſſe, qvæ hic viſerentur, agno nimirum & dracone. GOTTI enim (qvos Germanos fuiſſe pleriqve ſcriptores putant) pacis tempore agnum, belli vero Draconem in vexillis ſuis habuiſſe dicuntur. Atqve hæc ſigna, qvæ olim in D. Iacobi Sacello inventa fuerunt, hoc tempore in rei memoriam novo mercatorum theatro ſunt incluſa.* Videantur porro Wagnerus, Abrahamus Sauerus, in Opere germanico *de Vrbibus*, Balthaſar Schumannus, Paſtor Ernſtrodanus, in *Concionibus* (uti vocat) *Sylvaticis*, in hac Salana anno cIↃ IↃCVII. excuſis, Martinus Zeillerus in *Itinerario Germanico*. Turris illa, qvam memorant Scriptores, inter præſentem curiam & diverſorium a Nola nomen habens, olim ſita, a ſacrario S. Iacobi, (ut puto) der Capellthurm dicta fuit.

Qva ſublata, lapis tamen ſervatus, & domui mercatoriæ inſertus fuit: ac hodie conſpicitur ſupra valvas curiæ, ſub feneſtris conclavis Senatorii ad dictum diverſorium vergentibus, ſuperſtite cum inſignibus, ſcriptura illa rhythmica.

§. IV. Verum qvamvis non negaverim, Gothæ nomen a Gothica gente derivandum, non video tamen, qvi probari poſſit liqvido, hæc ipſa inſignia ad Gothos eſſe referenda.

Nondum certe vel a Melanchthone, vel ab aliis oſtenſum eſt, qva fide nitatur opinio illa. Neque enim puto traditionem haud ſatis antiqvam in hac cauſa ſufficere.

§. V. Præterea difficillimum fuerit, demonſtrare, qvo tempore Gotha a Gothis ſit condita: qvamvis non plane ſit improbabile, id factum eſſe Hermenfridi Thuringorum Regis temporibus.

Etſi enim multi de tranſitu *Gothorum* per Germaniam, ac ſpeciatim Thuringiam noſtram, in Italiam loqvuntur: nemo tamen hunc a nato Servatore contigiſſe, vel teſtimoniis optimorum ſcriptorum, vel argumentis idoneis oſtenderit. Qvod ſi autem qvis dixerit, ex Italia in Germaniam, Thuringiamqve remigraſſe *Gothos*, impenſe iterum falletur. Qvam in rem omnino legendus eſt Vir Illuſtris, David Peiferus, Cancellarius Saxonicus, ſumme has etiam literas doctus, in lectiſſima *Rerum Lipſienſium Hiſtoria* nuperrime a celeberrimo Viro Adamo Rechenbergio edita. Et qvid vetat, qvo minus aliqva adſcribamus? *Nec unqvam poſtea*, inqvit, *aut Weſt-Gothi ex Hiſpania, aut OſtGothi ex Italia in Germaniam populariter remigravere. Nec ego ex eorum autorum numero, qvi novam hanc de Duringis & Miſnenſibus opinionem libera magis conjectura, qvam idoneis ſcriptoribus & literis, hiſtoriæ inſeruerunt, adeo imperitum antiqvitatis qvemqvam crediderim, ut Gothos poſt regum Alarici & Theodorici mortem, aliunde profectos, eam oram, qvæ hodie Duringia nominatur, occupaſſe, pro certo habeat. Qvam opinionem qvi pertinaciter tueri velit, eum* defini-

definire oportet certum tempus, quo primum in Duringia, Cattis aut sponte emigrantibus, aut vi agro pulsis Gothi consederint. Vt tamen sit, in qvo pro tempore acqviescamus, aliqvid esse putabimus Hubnerianam conjecturam, ab illis *Gothis* nomen accepisse *Gotham*, qvi cum Amalberga, Theoderici Ostro-Gothorum in Italia Regis sororis filia, Hermenfridi Thuringici Regis sponsa in has terras venere. Qvod si vero qvis certiora attulerit, utiqve & nobis, & aliis hac de re sollicitis magnam fecerit gratiam.

§. VI. Quibusdam Gotha idem est ac Ghottau, sive gute/ aut etiam Gottes Au: eo quod in solo fœcundo sit condita, atque amœno.

Adscribam quædam Wagneri, sed Germanice, prout concepit: Also haben die GOTHI anfänglich die Stadt Gothaw gestifftet/ erbawet/ und mit Volck besetzet/ da GOtt soll haben eine Awe/ das ist/ ein Ort/ darinn man ihn allein soll erkennen. . . Darauff haben nun die ersten Stiffter ihre Untersassen weisen und leiten wollen/ darnach auch Guth Awe/ derhalben genennet/ daß die Unterthanen allda in einer guten Awen/ das ist/ was zu erhaltung Menschlichen Geschlechts Leibs Nothdurfft von nöthen/ bedencken sollen/ das es von GOtt alles herkomme. Et alia *Schumanni* Pastoris ex *Sermonibus Sylvaticis*: (Den Wald-Predigten:) Gotha soll daher den Namen haben/ daß sie Gotha/ gleich als guthe Aw genennet werde/ von wegen des trachtigen guten Landes/ und fruchtbaren Bodens/ auch von wegen grosser Beqvemligkeit/deß dabey/ oder doch davon nicht weit liegenden Thüringischen Waldes. Aliud etymon sufficit Jeremias Wittichius, in Notis ad *Geographiam metricam Gothæ. Alii*, inqvit, *a subjecto Dei habitaculo, quod GOTHÆ DEVS HABITET, qvasi GOTTDA, deducunt.* Sed qvis non videt, leves has esse conjecturas, & parum habentes roboris?

§. VII. Sunt qvi Gothæ nomen a Gothardo Abbate Hersfeldensi, post Hildesiensi Episcopo, velint derivare:

qvibus sigillum civitatis, Gothardi nomen cum imagine ostendens, videtur favere.

Helderus in *Oratione de Gotha*: Alii *malunt GOTHAM urbem factam temporibus Ottonis II. a S. GOTHARDO Abbate Hirsfeldensi (a qvo urbis nomen qvidam & deducunt,) qvi deinde anno Christi 1006. ab Heinrico sancto primus Episcopus Hildesheimensis est factus. Et qvia olim, sicut in Papatu usitatum fuit, urbs hæc* D. GOTHARDVM *patronum habuit, & adhuc ejusdem* GOTHARDI *imagine in sigillo utitur, multa insuper tributa nostri cives & vicini agricolæ quotannis Hirsfeldensi solvunt, hæc qvoqve opinio a vero non aliena videtur.* Qvod ad sigillum urbis attinet, duplex ejus vidi ectypon: qvorum alterum repræsentat *Gothardum*, Episcopali habitu indutum, dextra pedum, sinistra librum tenentem, inqve solio residentem, addito dextro lateri S. GOTHE, sinistro HARDVS & in orbiculo imaginem cingente, SIGILLVM CIVIVM IN GOTA. Alterum eundem exhibet *Gothardum*, dextra codicem, sinistra pastoralem baculum ostentantem, cujus latus claudunt turres duæ minores. Jam etiam videas formam hujus *Gothardi* in apice hydrophylacii publici in foro erectam: & credo plures ejusmodi statuas ante feralia incendia Gothæ fuisse visas. Quæ tamen ad fores veteris curiæ locum habet, non tam *S. Gothardum*, qvam alium opulentum virum, qvi pusionibus pauperculis in necessitate publica de panibus prospexit, videtur ostendere: prout me docuit diligentissimus patriæ antiqvitatum investigator, M. Iohannes Balthasar Strobelius, Gymnasii Gothani Conrector clarissimus. Huc accedit, qvod olim ex bona parte agrorum Gothanorum Hersfeldense monasterium certum acceperit censum: id qvod forte a *Gothardi* temporibus derivandum, aut ejus de Gothanis bene meriti memoriæ datum est. Et nescio annon huc referas, qvod Augustiniani, qvi *Gothæ* erant, Eremitæ monachi anno 1495. *S. Gothardum* salutent *præcipuum suum Dominum* ihren Haupt Herren; &, dum vigeret papalis superstitio,

qvotannis Gothæ in memoriam ejus processionem institutam fuisse accepi. Floruit autem *Gothardus* sæculo exeunte X. ac ineunte XI. monachus anno 991. factus. Anno 1005. Bernhario Hersfeldensi Abbati; anno 1022. Bernhardo Episcopo Hildesheimensi successit, annoqve 1038. vivere desiit: uti clarum est ex Lamberto Schafnaburgensi. Vitam S. Gothardi, inter *Sidera Illustrium & sanctorum Virorum, qui Germaniam præsertim magnam olim gestis rebus ornarunt*, qvinto loco edidit, notisqve illustravit, doctissimus Iesuita *Christophorus Browerus.* De *Gothardi* in *Gotham* meritis, qvædam, sed per nebulam qvasi, vidit Marcus Wagnerus: cui tamen, qvis & qualis fuerit, non constitit: qvod merito miramur in homine, qvi tot bibliothecas perreptaverat, tot vitas sanctorum in gratiam collectorum centuriarum Magdeburgensium, excusserat. Idem etiam laudat seqvens distichon Henrici Rathgebii, civis Gothani, qvi ante aliqvot sæcula Viennæ vixerit.

Gotha tibi Gothard datus est, ut regula vitæ
Totius a Gothis sit maneatqve Deo.

Et aliud alibi me legere memini:

A trucibus Gothis Gotha non sibi vendicat ortus,
Sed vigili a Gothard, qvi sacra verba sonat.

VIII. Nondum mittimus nomen Gothæ. Nam si Meingothus Hersfeldensis Abbas urbis esset conditor, ex suo forsan nomine nomen ei imposuisset.

Georgius Fabricius *Originum Saxonicarum lib. III. Eodem tempore* (Ottonis I.) *Meengothus Abbas Hirsveldius WACHSENBVRGVM ædificat: qvi etiam (ut annales Erfurdiani testantur,) GOTHAM urbem condidit.* Fabricium seqvitur Sethus Calvisius *in Opere Chronologico.* Huc qvoqve pertinent ista Dresseri: *Sunt qvi ab Abbate Hirsfeldensi constructam esse GOTHAM & WACHSENBVRGVM autumant.*

IX. Qvi primus anno ɔɔccccxxIII. Gotham conditam esse tradidit, forte ad Heinricum Aucupem Germa-

niæ Regem respexit, tot urbium per Thuringiam & Saxoniam conditorem atqve auctorem.

Natalem hunc annum *Gothæ* faciunt Münsterus, Sauerus, & in *Lexico Geographico*, Ferrarius. Sed hic tamen simul ad *Gothos* refert perperam. Sic etiam *M. Heinricus Fraxineus* Gothanus, Poeta laureatus, diserte asserit in qvodam carmine, ab *Heinrico Aucupe* laudato anno *Gotham* esse conditam. Nimirum qvæ antea, fortean a *Gothis* constructa esset villa, nunc formam urbis accepisset. *Villæ* autem vel id propter memini, quia de hac *Myconium* in *Chronicis Isenacensibus* qvædam reperisse volunt. Sic enim Helderus: *Scribit reverendus vir, D. Fridericus Myconius, hujus olim Ecclesiæ antistes vigilantissimus, se anno 1530. in Chronicis Isenacensibus legisse, quod ante annos septingentos, hoc est, anno post natum Christum 830. gubernatores Thuringiæ & Misniæ convenerint, seu, ut nos jam loqui solemus, diem provincialem egerint, in VILLA GOTHA: qvibus verbis manifeste colligitur, Gotham antiquitus vicum seu pagum fuisse.* At vero qvi statum hujus temporis Thuringicum, qvem in *Antiqvitatibus Ducatus Thuringici* fuse nuper descripsimus, consideraverit penitius, non multum tribuet huic narratiunculæ. Neqve tamen, si circumstantiarum una vel altera fefellerit, ipsam rem omnimo sustulerim.

X. Qui ad Wilhelmum, Præsulem Moguntinum Ottonis I. filium conditæ urbis gloriam refernnt, procul dubio decepti sunt putido recentium commento, de tota Thuringia huic Archiepiscopo a Patre dono data.

Dresserus: *Duringiæ Chronicon a Wilhelmo Moguntino Præsule conditam esse GOTHAM circa annum 964. memorat. Reparata fortasse ab eo est, vel ampliata, atqve ornata. Otho enim Imperator tradidit illi Archiepiscopo Wilhelmo fratri suo* (filio dicere debuit) *Duringiam & Hassiam. Ex quo verisimile est, Wilhelmum ad extruendam GOTHAM partem bonam magnamqve attulisse.* Ritterus: *Condita perhibetur a Gvilielmo ArchiEpiscopo Moguntino circa annum* χριςογονίας *964. utpote cui a suo fratre,*

Ottone

Ottone Imperatore Hassia & Thuringia dono data est. Petrus Bertius *Comment. rerum Germanicarum lib. III.* Oppidi *faciem ex pago sumsit circa annum 964. opera potissimum Guilielmi Archiepiscopi Moguntiacensis, cui a fratre Ottone Imperatore data est Thuringia cum Hassia.* Sed Thuringiæ δῶρον Ottonis ἄδωρον fuisse, iampridem demonstrare cœpi in Epistola *de antiqvo Thuringiæ statu:* ac multo id fiet magis in *Antiqvitatibus Marchionatus Thuringiæ* iampridem affectis. Id miror, etiam supra laudatum Illustrem Peiferum commentum illud de Ottoniana donatione Constantinianæ non absimili, in *Lipsia* sua admisisse. At qvis est, præsertim in conciso illo scribendi genere, tam oculatus, ut omnia pervideat?

CAPVT II.

DE DOMINIS VRBIS

§. I.

Prius quam in manus celsissimorum Landgraviorum veniret Gotha, Schwartzburgicis, & deinceps Arnshaugiis Comitibus paruisse volunt.

Georgius Fabricius *d. l.* GOTHAM *Scvvartzeburgii & Arnshaugiæ Comites, demum Turingiæ Landgravii possederunt.* Dresserus: *Fuit in potestate Comitum Schvvartzburgensium. Id quod insigne duorum ferorum hominum, quod in domo quadam publica conspicitur, indicat. Ab his in jus & ditionem Turingiæ Landgraviorum concessit, & adhuc manet.* Ritterus: *Olim etiam subjecta fuit Comitibus Schvvartzburgicis, veluti illud comprobant indicia duorum Sylvanorum in loco urbis publico pictorum: post hosce pervenit in potestatem Landgraviorum Turingiæ.* Verum nisi potiori hæc sententia nititur fundamento, nondum ei possum accedere. Neqve enim biga hirsutorum virorum inter insignia Schvvartzburgica locum habet, sed tantum latus qvandoque occupat utrumque: qvod & fit in Ducum Saxonicorum clypeis. Et fac, Schvvartzburgicorum

Comitum fuisse hæc insignia, & in publico qvoqve loco statuta: num exin prono statim fluit alveo, *Gotham* in ditione Comitum fuisse? Majoribus opus est argumentis, ac indubia antiqvarum scriptionum fide: de qva si qvis me certiorem fecerit, victas dabo manus. Ceterum hirsuti illi Sylvani, qvorum alrer potioris, alter sexus seqvioris, hodieqve conspiciuntur in summo curiæ Senatoriæ ad arcem Ducalem prospiciente fastigio, itemqve in altera parte curiæ ad diversorium Nolanum vergente.

§. II. De Landgraviis prioris familiæ a Ludovico Barbato doscendentibus, qvin Gotham rexerint, neqvaqvam dubitandum. Ex his LVDOVICVS III. anno
1168 CIↃ CLXVIII. egit Gothæ; annoqve CIↃCCXV. ibidem mor-
1215 tuus est HERMANNVS, Isenaci sepultus.

Prior, *Ludovicus III. divina favente gratia Landgravius in Thuringiæ,* perscribi fecit præceptum, cujus hic est epilogus: *Datum in Gotha XVIII. Kl. Iulii, per manum magistri Gumberti Notarii, præsente Ludovico patruo Landgravii, Gunthero Comite & duobus filiis ejus, Henrico & Gunthero, Hervvino Comite, Meinhardo Comite.* De altero Auctor de Landgraviis Thuringiæ cap. XXXVI. *Anno Domini MCCXV. Hermannus Landgravius Thuringiæ, Dominus terræ Hassiæ, Comes Palatinus Saxoniæ obiit in* GOTHA. *Et dum Abbas de Reinhartsborn corpus ejus vellet sepelire in sepulchro Parentum, Domina Sophia uxor ejus restitit, & ipsum fecit deduci in Ysenach ad monasterium S. Katharinæ extra muros, quod idem Princeps fundavit.* In sepultura Principis enarranda prolixus est Auctor *Chronicorum MSS. rhythmicorum de S. Elisabetha,* qvi est in Bibliotheca Ducali Gorhana: & nos qvoqve brevi de ea pluribus agemus.

§. III. LVDOVICVM, hujus nominis VI. ejusqve conjugem, post viduam, S. ELISABETHAM, singularem Gothanæ urbis curam habuisse, fundatio Xenodochii S. Mariæ Magdalenæ arguit.

Dres

Dresserus *Anno 1229. Hospitale a S. Elisabetha fundatum est.* Ritterus: *Xenodochium fuit circa annum Christi 1229. ab Elisabetha Andreæ Hungariæ Regis filia, & Ludovici Hassiæ Landgravii conjuge conditum.* Plura de eo inferius afferemus *cap. VII.*

§. IV. Vltimus hujus gentis Landgravius HEINRICVS, Friderico II. Imp. oppositus, palatium habuit Gothæ: quod *lapidea caminata* appellatur ab Alberto Landgravio.

In Præcepto anno 1282. Wartburgi perscripto; qvo permisit, ut Heinricus Rose aliqvot domus in urbe Gotha monasterio Reinharsbornensi dedicaret. Verba hæc sunt: *Aream qvandam qvatuor domorum habitaculis constructam in Gothensi oppido nostro sitam, que est contigua lapidee illi caminate, que qvondam fuit clare memorie predecessoris & nepotis nostri, gloriosissimi scilicet Romanorum Regis Heinrici, olim Thuringorum Landgravii.* Eruditissimus Auctor Colloquiorum menstruorum per hanc *caminatam* ipsam arcem intelligit.

§. V. In altera Landgraviorum familia, ALBERTO, non profecto semper *Degeneri*, curæ cordiqve fuere urbs ac res Gothanæ.

Id qvod ex variis ejus patet Præceptis & Notitii, qvarum plures integræ comparebunt in hoc opusculo.

§. VI. Patris exemplum, in ornanda ac augenda Gotha, seqvitur FRIDERICVS Admorsus.

Inprimis autem in monasterium S. Crucis fuit perbeneficus: Id qvod inferius docebimus. Gothæ egit anno 1309. *pridie Kl. Martii*: anno 1314. *in die beati Georii* (Georgii) *Martiris*: anno 1317. *14. Kl. Octobris.*

§. VII. Impense autem falluntur, qvi his temporibus Petrum Archiepiscopum Moguntinum, directum dominium in urbem Gotham ac alia Gothæ adjacentia habuisse, tradunt.

Nimirum circumfertur ſcriptiuncula qvædam huic Archiepiſcopo tributa, qva is *ad cunctorum notitiam vult pervenire, qvod ſicut ex antiqvis libris & codicibus Eccleſiæ ſuæ Moguntinenſis, & a Senioribus fide dignis Eccleſiæ ſuæ adſtrictis didicerit, & plenius informatus fuerit, bona ſua ſubſcripta, qvorum directum dominium ad Eccleſiam ſuam pertineat, videlicet Comiciam minorem in Jutelhauſen, quadringentos manſos qvi jacent in via Wintvvech, OPPIDVM GOTHA, caſtrum Tenneberg, duas Comicias in Thungesbrucken & ſeptuaginta duas villas pertinentes ad easdem cum univerſis utilitatibus, juribus & honoribus & pertinentiis eorundem, & alia plura bona, qvorum memoriam non habeat, ad præſens Illuſtris Princeps Dominus Fridericus Landgravius Thuringiæ, tanqvam ſuus & Eccleſiæ ſuæ Moguntinæ Marſchalcus a ſe & Eccleſia ſua habere & tenere debeat titulo feudali.*

Non autem ſine cauſa dixi, ſcriptiunculam iſtam tribui Petro Archiepiſcopo. Neque enim mihi perſvadere poſſum, notitiam tam inficetam & plane nullis ſubnixam fundamentis ab ipſo Præſule profectam. Qvid enim imprudentius, qvam in re tanta, ac apicem fortunæ magni tum temporis Principis tangente, non ad priſtinas ſcripturas feudales & inde nata jura, ſed ad antiqvos libros & codices Eccleſiæ Moguntinæ & qvosdam homines ſenio confectos provocare? cum præſertim nec ullum jota hoc directum Eccleſiæ Moguntinæ dominium confirmans ex ullis avthenticis fideiqve indubitatæ ſcriptis, vel ante hunc Petrum, vel poſtea ſit allatum; ſed Thuringiæ Landgraviatus, & in hoc Gothana urbs cum vicinis caſtris & villis in ſuprema Regum Germaniæ ditione & ante fuerint, & poſtea qvoqve inconcuſſa manſerint. Qva de re tamen alibi copioſius agemus atqve accuratius.

1322 §. VIII. Friderico anno CIↃ CCC XXII. mortuo, vidua ejus ELISABETHA Arnshaugiana maximam reliqvæ vitæ partem exegit Gothæ: qvæ ejus fuit dotalitium.

Hinc & aliqvoties vocatur *Domina in Gotha*, & Frau zu Gotha.

Ipſa

Ipſa aliqvoties ſeqventi uſa titulo: *Nos Elizabet Dei gratia Thuring. olim Landgravia, Domina in Gotha.* Voluiſſe autem Fridericum filium hoc dotalitium ſibi vendicare, ac matri alia bona pro eo reddere, *Cyriacus Spangenbergius in Hennebergicis lib. V. cap. V.* obſervavit. Anno 1329. Capellanum habuit *Wernerum*: & nobili gente miniſtros, *Eberhardum de Malsleiben & Ditericum de Sibeleben* eqvites. Anno 1349. *Fridericum de Abiete* (von der Tannen) ac *Rudolphum Marſchalcum* vocat *ſuos fideles*: *Heinricum de Laucha* pro tunc Advocatum, *Conradum de Kinteleibin*, Notarium ſuum. Anno demum 1359. Gothæ obiit, & Iſenaci ſepulta eſt. Qvo de Auctor *de Landgraviis cap. 110.* Eodem *anno obiit illuſtris Domina, Domina Eliſabeth, Marchioniſſa reſidens in Gotha, mulier vita & Chriſtiana religione ſtrenua, ingenio ſapientiſſima, animo & facto liberalis, cunctis virtutibus mundanis prædita, in conſilio ſuprema, lingva diſerta, pauperum nutritia, religioſorum defenſatrix, aſſidua pacis terræ Thuringiæ amatrix, atqve fideliſſima procuratrix, in cultu divino diligentiſſima, & ſepulta eſt apud fratres prædicatores in Yſenach.*

§. IX. Supremus interea Gothæ dominus erat Friderici Admorſi, & hujus Eliſabethæ filius, FRIDERICVS, *Gravis*, itemqve *Macer* dictus, anno CIϽCCCX. Gothæ natus, Pegaviæ anno CIϽCCCLIX. mortuus. 1349

Hic anno 1330. die Veneris ante feſtum S. Georgii Gothæ fuit. Anno 1331. Domin. poſt feſtum Trinitatis urbem ac cives Gothanos vocat *hereditarios ſuos.* (unſis Erbeeigenes.)

§. X. Friderico Gravi, ſuo ac impuberum fratrum, Balthaſaris & Wilhelmi I. nomine, ſuccedit ex Mechtilda Bojarica filius, FRIDERICVS *Strenuus.*

Qvando uxor Friderici Gravis, Mechtildis, Ludovici IV. Imp. filia deceſſerit, non ſatis, ut puto, conſtat. Gothæ id nonnulli factum tradunt: qvod in medio relinqvo: ſed qvod addunt, dotalitium ejus fuiſſe Gotham, vel ob id dubito, qvia

adhuc in vivis erat ſocrus Eliſabetha. Niſi velis dicere, pacta ſic fuiſſe compoſita, ut ab illius morte eſſet ſucceſſura. Verum nurus forte ante ipſam ſocrum vivere deſiit.

§. XI. Friderico fratre adhuc dum vivente, BALTHASAREM vel ſtatam, vel temporariam aulæ ſedem habuiſſe Gothæ, indicio eſt ſeqvens Inſcriptio:

ANNO DOMI·
NI MCCCCLXIX
LANDGR· BAL
THASAR INTRO
DVXIT AQVAM LI
NAM IN GOTAM

Exſtat illa in exteriori muro molendini inter arcem ac forum ſiti, & qvidem ea parte, qva ad forum inclinat. Fama fert, Balthaſarem Landgravium Auguſtiniani monachi opera in Lina deducenda uſum. Legi in Excerptis qvibusdam, qvod

qvod ante hoc qvam factum, Gotha penuria aqvarum laboraverit. De Lina sic scribit Dresserus de Germaniæ Vrbibus. *Scaturit ille rivus in radicibus montium saltus Thuringici per miros anfractus duobus milliaribus ferme ab urbe, tantumqve aqvæ secum vehit, ut duabus vel tribus molendini rotis circumagendis sufficiat. Oppidum qvidem mire purgat, sordes eluens.* Præterea reperio Balthasarem Landgravium Gothæ egisse anno 1360. 1369. 1382. (Vide Iustini Pertuchii *Chronicon Portense* pag. 62. 63. 132.) Item anno 1390. die Iovis ante diem Sixti: ut & 1391. die Lunæ post Lamberti.

§. XII. Postqvam anno CIϽCCCLXXXI. Fridericus 1381
Gravis decessit, seqventi anno provinciæ inter hujus filios, Fridericum Bellicosum, Wilhelmum II. & Georgium, horumqve patruos, Balthasarem & Wilhelmum I. dividebantur: ac tum qvidem plenam Thuringiæ, & in hac Gothæ nostræ possessionem adiit laudatus BALTHASAR Landgravius.

Cur id tam sero factum, plenius alibi enarrabimus. Convenere autem patrui duo cum fratris filiis Chemnitii, die S. Briccii, qvi in Iovis diem incidebat.

§. XIII. Anno CIϽCCCLXXXVII. Senatus popu- 1387
lusqve Gothanus homagium (ceu vocant) eventuale Wilhelmo Landgravio, Balthasaris fratri præstitere.

Summa homagii fuit, ut, si Balthasar Landgravius sine hæredibus masculis excederet vita, Wilhelmo, ac ejus masculis hæredibus obedirent: ita tamen, ne hoc homagium præjudicaret alteri, qvo Margaretæ Landgraviæ, nomine dotalitii per vitam habendi, se obstrinxissent. Erat autem *Margareta* illa Balthasaris Landgravii uxor altera, Iohannis Burggravii Norimbergensis filia.

§. XIV. Anno CIϽ CCCVI. Balthasar Landgravius de 1064

vita

vitâ decedens successorem habuit FRIDERICVM filium, *Iuniorem*, inscriptis publicis; *Simplicem*, vulgo dictum.

Auctor de Landgraviis cap. 152. *In vigilia Ascensionis Domini obiit nobilissimus Princeps, Dominus Balthasar, Landgravius Thuringiæ, Marchioqve Misnensis, in Warburg castro, & sepultus est in Reinhardisborn: cui successit illustris Princeps Fridericus filius suus, natus de nobili Domina Margaretha in Nornberg Burggravia.*

1412 §. XV. Anno CIƆCCCCXII. in motibus Landgraviorum Thuringiæ intestinis, Wilhelmus ex improviso Gotham occupat, populo eidem favente, sed Senatu in fide Domini perstante.

Auctor *de Landgraviis cap. 56. Omnes civitates Thuringiæ cum sigillo D. Friderici Iunioris sub pœna decapitationis civitates inhibuit, ne eos* (Fridericum seniorem, & Wilhelmum) *immitterent. Tandem Spiritu S. duce, qvi omnia in finem bonum ordinat, Dominus Wilhelmus de Erphordia veniens, applicuit civitati Gottensi, ubi portæ (sicuti in aliis cæteris civitatibus fiebat) armata manu custodiebantur, ne intrarent: intrare temptavit, & intravit: propria manu catenam portæ aperuit; solusque ad usque oppositum Ecclesiæ S. Margaretæ venit: ibi a Proconsulibus arrestatus ultra procedere non audebat: sed communitus adveniens eum recepit. Et in seqventi die Consistorium ascendit, & causam sui adventus civibus opposuit: qvod in salutem patrui sui venisset, & totius terræ Thuringiæ, qvod & eis placuit.* Hinc non mirum, Fridericum & Wilhelmum fratres, non ad Senatum, sed ad opifices ac ceteros cives postea scripsisse. Ipsam epistolam affero: Friderich und Wilhelm/ Gebrüder/ Landgraven in Doringen und Marcgraven zcu Missen. Liben Getruwn. Wenn wir von Sache / die den Hochgebornn Fürsten/ Herrn Friderichen Landgraven in Doringen und Marcgraven zcu Missen/ unsern liben Vettern sine Lande und Lüde von Kriges und Schulde und andere Irrenisse wegen

gru anlangen her gen Gotha/komen waren/demselbin unßin Vettrn synen Hoff synen Rad und Amptlute zcu bestellen/und ym zcu synen Krigen und Schulden zcu raden und zcu helffen/ so wir best gemocht hetten / als wir uch gesaget haben / daruff ir uns globit habit / bistendig zcu syne / zcu unßr Vetthrn und sines Landes Besten/ Thun wir uch zcu wissen / das man unßrn Vetthrn nicht wolde zcu uns laßen komen/ das uns umogelichen ducht/ nach dem als wir yn in sin Hus geritten waren / und uns ist daryn gehalden / und von wem daz herkomet/ das werdt ir wol irfarn/ und begern/ ob uch ymand icht anders sagete / das ir das nicht gloubt und glouben uch wol das ir uns haldet solche Globede / als ir uns von Gehiße desselbin unßers Vettrn gelobit habit/ und uch davon nymande wisen last/ daran tut ir uns wol zu Danck / und begern dis uwr Entwort. Gegebin zcu Gotha am Donrrstage nach Mauricii.

Den Handwerken und der gantzen Gemeine gemeinlichen der Stad Gotha unsern lieben Getreuen. Lites illæ anno demum 1420. Numburgi feliciter sunt compositæ, die Lunæ post festum Annunciationis Mariæ.

§. XVI. Anno CIↃCCCCVII. Fridericus Junior Landgravius præcepto Vinariæ perscripto Senatui Gothano telonea civitatis in proximum triennium, ac iterum anno CIↃCCCCXXIX. in seqventes undecim annos credidit. 1416 1429

Primo id factum pro qvingentis aureis Rhenanis, qvos Senatus Diterico de Molsleuben persolverat. Postea per aliqvot annos vectigalia Landgravii, & tributum monetæ (der Schlegel-Schatz) Senatui erant oppignorata. At anno 1429. Senatus per redemtionis contractum in annos undecim accepit. Testes aderant Nobilis vir Bodo, Comes & Dominis in Stolberg, Landgravii aulæ Magister, Busso Vice Dominus, Ditericus de Witzleben, Fridericus de Hopfgarten, eqvites, Rudolphus a Meldingen, Landgraviæ ab aulæ Magisterio (seiner Gemahlin Hofmeister) Georgius ab Heitingsburg.

1421 §. XVII. Anno CIↃCCCCXXI. Fridericus Iunior Senatui populoqve Gothano privilegium dedit, ne qvisqvam in pagis ad milliare unum circa urbem sitis cerevisiam coqveret.

Hoc privilegium aliqvoties deinde confirmatum, sed & restrictum fuit: unde variæ lites cum pagis eorundemqve Dominis natæ. Idem Landgravius anno 1431. die Lunæ post Nativitatem Mariæ Gothæ egit.

1439 §. XVIII. Anno CIↃCCCCXXXIX. Fridericus Iunior testamenti sui tabulas deponit apud Canonicos Ecclesiæ Ca-
1440 thedralis Gothæ, annoqve CIↃCCCCXL. improlis vita excedens Reinhartsbornæ sepelitur.

An tabulæ testamentariæ superfint, ambigo. De depositione edoctus sum ex seqventibus verbis alicujus Indicis: *Literæ reversales Capituli Ecclesiæ beatæ Mariæ Gotensis super testamentum Domini Friderici Landgr. Thuringiæ.* In anno emortuali non satis conveniunt Scriptores: qvo de alibi dispiciam.

§. XIX. Ex eo uti totius Thuringiæ, ita Gothæ nostræ facti sunt Domini FRIDERICVS *Placidus* Elector, & WILHELMVS, Friderici Bellicosi Electoris Saxoniæ filii.

1441 §. XX. His postqvam anno CIↃCCCCXLI. hæreditario homagio se devinxit Senatus populusqve Gothanus, urbis privilegia confirmaruut.

Id qvod factum die S. Stephani, qvi tum in Iovis diem incidit: præsentibus viris strenuis ac intimis consiliariis, *Apollonio Vicethumio*, aulæ magistro, *Iohanne a Maltitz*, Marschalco, *Nicolao de Wolfsdorf*, *Friderico de Witzleuben*, *Henrico de Husen*, *Friderico de Hopfgarten*, *Iohanne de Schonberg*, eqvitibus, *Thoma de Bottelstet*, & *Iohanne Mullero*, scriba.

1445 §. XXI. Anno CIↃCCCCXLV. divisione provinciarum inter

inter Fridericum Placidum Electorem & Wilhelmum Ducem instituta, huic cessit Thuringia, atqve adeo Gotha nostra.

Nota sunt fraterna dissidia, bella, prælia. Ortum illa traxerunt ex divisione terrarum hoc ipso anno instituta, sed aliqvoties immutata. At de ipso bello fraterno plura brevi afferam in *Historia Salfeldensi*. Dici enim non potest, in qvot & qvantas, Deo fortunante! nuper inciderim scripturas, horum temporum gesta mirifice illustrantes.

§. XXII. Anno seqventi laudatus Landgravius civitatis Gothanæ privilegia cerevisiaria confirmavit, sic tamen ut certis pagis aliqvid indulserit.

Inter Senatum ac pagos Goldbach, Warza, Bufleben, Sibeleben, Remstet, Sunthausen & Illeben, graves enatæ sunt lites, qvas die Saturni, qvi erat Alexio sacer, Gothæ sic composuit Wilhelmus, ne hi pagi ex aliis civitatibus, qvam Gotha, Waltershusa, Isenaco, Saltza & Creutzburgo cerevisiam peterent, vinum autem domesticum & externam cerevisiam ab initio dedicationis suarum Ecclesiarum, per integram hebdomadam, nec diutius tamen, venderent. Testes hujus compositionis laudantur *Ditericus ab Hopfgarten*, *Fridericus Thime*, eqves, *Wilhelmus Schotte*, Marschalcus, & *Iohannes Sigfridi*, Cancellarius.

§. XXIII. Idem anno CIↃCCCCLXXI. Senatui Gothano census, qvibus hactenus aucti erant, omnes locupletissime confirmavit. 1471

§. XXIV. Ab obitu Wilhelmi (is contigit anno CIↃCCCCLXXXII.) communi Thuringiam regimine aliqvamdiu rexere Friderici Placidi Electoris filii, ERNESTVS Elector, ac ALBERTVS Animosus, Duces Saxoniæ; sed anno CIↃCCCCLXXXIV. aut LXXXV. facta provinciarum divisione, Ernesto soli maxima pars Thuringiæ, ac in eadem Gotha parere cœpit. 1482 1484

 Di-

Divisionis tabulæ obsignatæ sunt Lipsiæ, die Veneris post festum Bartholomæi.

1486 §. XXV. Ernesto Electori anno CIↃ CCCCLXXXVI. mortuo succedunt filii FRIDERICVS III. *Sapiens*, Elector, ac IOHANNES Duces, communi semper nomine, Electoralibus exceptis, provincias regentes.

1488 §. XXVI. Hi anno CIↃCCCCLXXXVIII. ipsimet Gotham se contulerunt, ac Senatum & cives inter se dissidentes reconciliarunt.

Varia erant dissidiorum capita, nempe de personis in Senatum cooptatis, ac in posterum cooptandis, de reddendis reditibus, de communi cella vinaria, de allegendis Qvatuorviris ex numero civium, de convivio Senatorio, de pecunia mutuo accepta, de non vendendis oppignorandisqve bonis Reip. de rescindendis immodicis largitionibus, de pecunia publica ab ærario præfectis nisi in certum tempus asservanda, de coqvenda cerevisia, de pannorum venditoribus externis, de opificibus & collegiis opificum extra civitatem non instituendis, de fossis civitatis. Ipsum diploma Principum perscriptum est Torgaviæ *Dominica Misericordias Domini*.

1508 §. XXVII. Anno CIↃ IↃ VIII. in gratiam Senatus Gothani, a legatis Principum repetitum fuit privilegium, ne Buflebiani ultra octiduum a dedicatione Ecclesiæ, in vendendo vino suo, ac cerevisia externa occuparentur.

1525 §. XXVIII. Anno CIↃ IↃ XXV. Friderico Sapiente Electore placide demortuo, solus Thuringiam Gothamqve rexit IOHANNES Elector.

1532 §. XXIX. Anno CIↃ IↃ XXXII. Iohanni Patri rebus humanis exemto, in Electorali dignitate successit filius IOHANNES FRIDERICVS I. Electoratum solus, Ducales vero provincias aliqvamdiu regimine socio, cum fratre IOHANNE ERNESTO rexit.

Vide *Historiam Iohannis Friderici I.* ante hoc decennium a nobis editam, *§. VII.*

§. XXX. Anno CIↃ IↃ XLVII. victo captoqve Patre, Iohanne Friderico Electore, relictas a victore Carolo V. terras, & in his Gotham, paterno nomine regunt filii duo majores, Iohannes Fridericus II. sive *medius*, & Iohannes Wilhelmus. 1547

§. XXXI. Anno CIↃ IↃ LII. Iohannes Fridericus, natus Elector, pristinæ libertati restitutus, regiminis curas recepit usqve ad ann. CIↃ IↃ LIV. diem III. Martii, qvo animam cœlestem cœlo reddidit. 1552

§. XXXII. Interea anno CIↃ IↃ LIII. ex decreto nati Electoris, urbs Gothana novis vallis ac munimentis cingi cœpit. 1553

Nimirum postqvam hac de re Elector, tum per consiliarios, tum in præsenti cum Senatu egisset, tandem remotis obstaculis, & munitio, & modus tributa eo conferendi, die Mercurii post festum Visitationis Mariæ, definita fuere.

§. XXXIII. Ab anno CIↃ IↃ LIV. usqve ad annum LVII. provincias communi nomine gubernat triga fratrum IOHANNES FRIDERICVS II. IOHANNES WILHELMVS, & IOHANNES FRIDERICVS III. sive *Iunior*. 1554

§. XXXIV. Anno CIↃ IↃ LVI. per nova statuta provincialia, uti aliis civitatibus, ita etiam Gothæ jura in coqvenda ac foris distrahenda cerevisia, una cum reliqvis privilegiis fuere confirmata. 1556

Qvia vero incolæ certorum pagorum non desiere mercatus instituere, & in aliis item capitibus privilegiis Gothanis adversari, actione fiscali aliisqve mediis sunt coerciti, donec per decretum Principum Vinariæ anno LVII. die Veneris in ipsis Natalitiorum vigiliis perscriptum, omnia componerentur.

1557 §. XXXV. Anno CIↃ IↃ LVII. Iohannes Fridericus II. nomine fratrum, regimen in qvatuor, iisdemqve elapſis, in totidem annos ſuſcipit.

1564 §. XXXVI. Anno CIↃ IↃ LXIV. XII. Iunii, Iohannes Caſimirus, Iohannis Friderici II. filius in arce Grimmenſtein natus eſt.

1565 §. XXXVII. Anno CIↃ IↃ LXV. Iohannes Fridericus II. privilegiorum Gothanæ urbis memor, Buflebianæ villæ incolis mandat, ne cereviſiam aliunde, qvam Gotha, aliisqve urbibus ſibi ſubjectis petant.

Factum id jam erat aliqvoties, ac ſpeciatim anno CIↃ IↃ LVIII. Sed hoc ipſo anno LXV. priſtina decreta novo mandato fuere repetita: in qvo & hæc habentur: Daß ihre Gnaden gemeinet/ die Stadt Gotha bey ihren alten Privilegien zu ſchützen und zu handhaben.

1565 §. XXXVIII. Ab exceſſu Iohannis Friderici III. (is in noſtra Academia anno CIↃ IↃ LXV. XXXI. Octobris exſpiravit) Iohannes Fridericus II. & Iohannes Wilhelmus, an-
1566 no ſeqventi LXVI. in proximum ſexennium provincias partiuntur.

Locus hic, ac noſtrum propoſitum non permittit, ut vel de motibus fraternis, vel diviſione illa per utriusque ſocerum Fridericum III. Electorem Palatinum procurata agamus exqviſitius.

1567 §. XXXIX. Solus tum Gothæ Dominus factus, Iohannes Fridericus II. anno CIↃ IↃ LXVII. ob receptum ac defenſum Wilhelmum Grumbachium perduellem, hoc ipſo, ac totius provinciæ ſuæ dominio excidit: qvo poſt captam Gotham, ac dirutum Grimmenſteinium, auctus eſt Iohannes Wilhelmus.

Belli hujus Gothani ſcriptores magno numero dabimus capite ſeqventi.

§. XL. Anno CIↃ IↃ LXXII. Gotha, qvæ hactenus Iohanni Wilhelmo Duci paruerat, IOHANNI CASIMIRO, & IOHANNI ERNESTO, Iohannis Friderici II. filiis, in arce Grimmensteiniana, annis LXIV. & LXVI. natis, qviqve sub trium secularium Electorum tutela efflorescebant, redditur. 1572

Hi jam anno 1570. in comitiis Spirensibus a Maximiliano II. in gratiam erant recepti: sed hoc anno, per novum cum Patruo pactum Erfurtense, a die VI. Novembris, partem provinciarum paternarum, & in his Gotham, recepere. Homagium iis præstitum Gothæ, præsentibus Imperatoris ac Electorum legatis. Regiminis autem tutelaris sedes erat Coburgum, eiqve præerat Comes Burchardus Barbyensis.

§. XLI. Anno CIↃ IↃ LXXXIV. die III. Augusti, Iohannes Casimirus & Iohannes Ernestus fratres, Duces Saxoniæ, Gotham ingressi, magno Senatus populiqve applausu excepti sunt, ac die V. Augusti Vinariam discesserunt. 1584

§. XLII. Anno CIↃ IↃ LXXXVIII. regimen adiit IOHANNES CASIMIRVS, cui homagio se obstrinxere Gothani. 1588

§. XLIII. Anno CIↃIↃXC. Iohannes Ernestus Dux jamjam laudato fratri summam cedit regiminis. 1590

§. XLIV. Qvæ inter aliqvot Nobiles, ac pagos istis, ut & alios pagos præfecturæ subditos, itemque Senatum populumqve Gothanum, de variis juribus ac privilegiis diu agitatæ erant controversiæ, anno CIↃIↃXCII. a Iohanne Casimiro Duce Coburgi sunt decisæ. 1592

Nobiles illi erant *Wangenhemii in Wangenheim, & in Winterstein, Hermannus a Reckerod, Fratres & Cognati de Erffa, Balthasar de Scharffenstein in Goldbach, Wilhelmus ab Vtterod, Andreas de Teutleben.* Diu autem in componendis controversiis occupati fuere sequentes Commissarii; *Michael Wirth*, D. Cancella-

cellarius Coburgensis, *Iohannes Ernestus a Teutleben*, *Nicolaus Reusnerus* D. Prof. Ienensis, *Thomas Müllerus*, Præfectus Isenacensis.

1601 §. XLV. Annus CIƆIƆCI felicissimus natalis fuit ERNESTO PIO, Saxoniæ Duci, Iohannis filio, Gothanorum non tam Domino, qvam Patri.

Natus est Altenburgi, in ipsis Natalitiorum Christi vigiliis, paulo post μεσονύκτιον.

1633 §. XLVI. Anno CIƆ IƆC XXXIII. Iohanne Casimiro Duce XVI. Iulii Coburgi demortuo, successor factus est IOHANNES ERNESTVS frater.

§. XLVII. Postquam autem & hic Princeps Isenaci
1638 vivere desiit VII. Ianuarii anno CIƆ IƆC XXXVIII. ERNE-
1640 STVS PIVS anno CIƆ IƆC XL. Gotham cœpit incolere, primam aulæ sedem statuens domum mercatoriam: in qua XVIII. Septembris die natus est Iohannes Ernestus filius.

§. XLVIII. Eodem anno Principatus Gothanus cum suis præfecturis, aliisqve bonis, Ernesto Pio per fraternam compositionem fuit adscriptus.

1643 §. XLIX. Anno CIƆ IƆCXLIII. XXIII. Februarii Christianus, Ernesti Pii filius, Gothæ natus, & post acceptum baptismum vita functus est. Anno sequenti die XXI. Februarii Sophia annoqve-XLV. XIV. Februarii Iohannna, ejusdem Ducis filiæ Gothæ natæ sunt.

1646 §. L. Anno CIƆ IƆCXLVI. die XV. Iulii, FRIDERICVS, Ernesti Pii filius, Gothæ natus est: quem excepe-
1648 runt, ALBERTVS, anno-XLVIII. XXIV. Maji: BERN-
1649 HARDVS, anno-XLIX. X. Septembris: HENRICVS,
1650 anno-L. XIX. Novembris: CHRISTIANVS, anno-LIII.
1653 VI. Ianuarii: ERNESTVS, anno-LV. XII. Iulii: IOHANNES
1655
1658 ERNESTVS, anno-LVIII. XXII. Augusti.

§. LI.

§. LI. Anno CIↃ IↃCLXVI. XI. Novembris nuptiæ *Elisabethæ Dorotheæ*, Ernesti Pii filiæ, cum Ludovico Hassiæ Landgravio in arce Friedenstein fuere celebratæ: annoque proximo, XV. Decembris, *Ernestus Ludovicus* Serenissimorum Neonymphorum filius in eadem arce fuit natus. 1666 1667

§. LII. Anno CIↃIↃCLXIX. FRIDERICVS, Ernesti Pii filius, uxorem duxit *Magdalenam Sibyllam*, Augusti, Postulati Administratoris Archiepiscopatus Magdeburgensis, Ducis Saxoniæ, filiam. Ex hoc matrimonio nati, *Anna Sophia*, anno-LXX. XXII. Decembris: *Magdalena Sibylla*, anno-LXXI. XXX. Septembris: *Dorothea Maria*, anno-LXXIV. XXII. Ianuarii: *Friderica*, anno LXXV. XXIV. Martii: *Fridericus*, anno-LXXVII. XXVIII. Iulii: *Iohannes Wilhelmus*, anno-LXXVII. IV. Octobr. *Iohanna*, anno-LXXX. I. Octobr. 1669 1670

§. LIII. Anno CIↃ IↃC LXXI. BERNHARDVS, Ernesti Pii filius, Fridensteinii nuptias celebravit cum *Maria Hedvvige*, Georgii Hassiæ Landgravii filia. Ex hac coniuge, Gothæ pater factus est *Ernesti Ludovici*, anno-LXXII. VII. Octobris: *Bernhardi*, anno-LXXIII. XXVIII. Octobris: *Iohannis Ernesti*, anno-LXXIV. XXIX. Decembris. 1671 1672 1673

§. LIV. Hoc ipso autem anno-LXXIV. Ernestus Pius, senio gravis, FRIDERICO filio curas regiminis resignat: quas hic summa cum industriæ prudentiæque laude gessit. 1674

Historia vitæ pag. 89. Niemand aber begriff die Consequentz der abgehenden Kräffte besser/ als Ihre Fürstl. Durchläuchtigkeit selbst/ dahero Sie auch aus innerlicher Liebe gegen Ihr Fürstliches Hauß/ Land und Leute/ bewogen würden/

noch bey ihren Lebzeiten/ Dero Landes Fürstliches mit hohem Ruhm geführtes Regiment/ des ältesten Printzens/ unsers itzo regierenden gnädigsten Landes Fürsten und Herrn Fürstlicher Durchlauchtigkeit/ auffzutragen/ und von dem 18. Octobr. Anno 1674. an/ biß zu Ihrem hochseligsten Ende in Dero Namen verwalten zu lassen/ Sich aber selbsten immermehr dem Zeitlichen und dieser Welt Mühseligkeit zu entziehen. Joh. Ernestus Schadius in Orat. parentali: *Curæ deniqve plane paternæ & summorum in Remp. meritorum beatissimi ERNESTI pars maxime commendabilis & hæc est, qvando laudatissimus Princeps vires suas indies magis magisqve confici persentiscens, ne cum corporis compage simul publica inclinaret moles, Anno superiori, M. DC. LXXIV. Celsissimum Filium ætate maximum, Illustrissimum Principem ac Dominum, Dn. FRIDERICUM, Ducem Saxoniæ, Iuliæ, Cliviæ ac Montium &c. Dominum nostrum Clementissimum in locum sui plena cum potentia substituit, se terræ curis remotis omnibus ad beatum ex hac mortalitate exitum & iter in cœlestem patriam, ad superum illud Politevma, accurata mortis commentatione tanto devotius præparaturus.* Tobias Pfannerus *de Germaniæ Principum gentibus cap. 11. pag. 104.* Patris *vices vivi adhuc, at senio nimiaqve negotiorum mole confecti pari jam tum prudentiæ industriæqve laude obierat.*

1675 §. LV. Anni CIƆ IƆC LXXV. dies XXVI. Martii emortualis fuit ERNESTO PIO, Patriæ Patri desideratissimo.

§. LVI. Eodem anno, die XXII. Iunii, FRIDERICO Duci, suo Fratrumqve nomine regenti, homagio se obstringunt Status provinciæ, ceteriqve subditi Gothani.

1676 §. LVII. Anno CIƆ IƆC LXXVI. XV. Iulii, HENRICUS Dux, Ernesti Pii filius, novellam conjugem, *Mariam Elisabetham*, Ludovici Hassiæ Landgravii filiam, in arcem Friedenstein deduxit.

1678 §. LVIII. Anno CIƆ IƆC LXXVIII. XXXI. Augusti, *Ludovicus*, Hassiæ Landgravius, in ipso ad celebrandas nuptias cum

cum Erdmuth Dorothea, Mauritii Saxoniæ Ducis filia, itinere, ad cœleſtia emigrat.

§. LIX. Anno CIↃ IↃC LXXIX. poſt inſtitutam cum Fratribus provinciarum diviſionem, Gothanus Ducatus ſoli FRIDERICO parere cœpit. 1679

§. LX. Anno CIↃ IↃC LXXX. XX. Decembris, *Eliſabetha Sophia*, Erneſti Pii vidua obiit: qvam anno proxime ſeqventi die XVII. Ianuarii ſeqvitur *Magdalena Sibylla*, Friderici Ducis coniux. 1680 1681

§. LXI. Eodem anno, die XIX. Octobris, altera Friderici Ducis conjux, CHRISTINA, Friderici, Marchionis Badenſis filia, Alberti, Marchionis Brandenburgo-Onoldini vidua, Friedenſteinium deducta eſt.

§. LXII. Anno CIↃ IↃC LXXXII. XVII. Iunii *Dorothea Maria*, Erneſti Pii filia vita exceſſit, Gothæ nata anno CIↃ IↃC LIV. XII. Februarii. 1682

§. LXIII. Anni præſentis LXXXVIII. die XV. Martii FRIDERICVS ex itinere Gallico feliciter redux ſummo cum Aulæ, Senatus populique applauſu exceptus eſt. Paulo poſt Hollandiam repetens, XVII. Septembris, inde ſalvus Friderico-Wertham, & poſt qvinqve dies ad aulam ſuam Gothanam rediit: ſummopere iam occupatus in propulſandis communis patriæ hoſtibus. 1688

CAPVT III.
DE FATIS CASTRI GRIMMENSTEINII.

§. I.

GRimmenſteinium olim dictum fuiſſe *Grunenſteinium*, Wagnero, Dreſſero, aliisqve affirmantibus crederem,

ſi vlla eius nominis vel apud antiqvos ſcriptores, vel in diplomatibus exſtaret memoria.

§. II. Antiquiſſimum tamen fuerit, ſi etiam Hermenfridi Thuringorum Regis ævo, hoc eſt, ſæculo a nato Chriſto VI. a Gothis eſſet conditum.

§. III. Eo autem tempore, quando regnum Thuringicum inter Saxones ac Francos diviſum, iam ſtetiſſe hoc caſtrum, fortean probari poſſet ex parvulo illo nummo in ruderibus diruti Grimmenſteinii reperto, diviſionis illius indice.

Nummum illum, qui beneficio laudatiſſimi viri, Friderici Rudolphi, ad nos pervenerat, primo doctiſſimus tum Iuvenis, nunc vigilantiſſimus Eccleſiaſtes Lubecenſis, Iacobus a Mellen in *Epiſtola de Numis quibusdam Germanicis, Hiſtoriam præſertim Thuringicam illuſtrantibus*, exhibuit; ac ipſe porro in *Antiqvitatibus Regni Thuringici* repræſentavi.

§. IV. Exin usque ad tempora Principum Landgraviorum fata hujus caſtri manſere in obſcuro, nec ſcio, an qvisqvam ſit repertus, qvi certa de iis auſus fuerit perſcribere.

§. V. Laudatorum Landgraviorum (de primis loqvor) temporibus, qvalemcunqve aulæ ſedem ipſis dediſſe autumo, ſi vel venationis vel aliarum occupationum ergo, in has oras vellent concedere. Nam pro ordinaria habuiſſe ſede aulica, vel ob id negaverim, quod nulla, in tanta copia, repererim ſcripta, ibidem perſcripta ac obſignata.

§. VI. Ex qvo vero Landgravii hoc caſtrum cœperunt incolere, vt contra externam vim, motusqve Thuringorum inteſtinos defenderent, certos in eo locarunt ex Nobilitate præſidiarios; qvi *Caſtellani* & *Caſtrenſes*, Ger-

Germanice Borgmänner/ nominabantur, & pro navata opera certis beneficiis feudalibus fruebantur.

Ex his, temporibus Alberti & Friderici Admorsi, laudantur anno 1290. *Eberhardus de Malsleibin*, *Heinricus de Cleberg*, anno 1297. *Paulus & Petrus fratres de Tullstet*, castellani in Gotha. Sic *Reinhardus de Vlleiben, Heinricus de Hayn*, castellani in Gotha: item anno 1290. 1303. & 1316. *Fridericus*, *miles de Hettstet*: 1293. 1303. *Heinricus Wendepaphe* & *Heinricus de Hain.* Hic etiam laudatur anno 1295. Anno 1300. 1301. & 1304. vocatur *Heinricus de Indagine*, castrensis in Gotha, item castellanus Alberti Landgravii in Gotha: 1303. *Eberhardus de Malsleiben*, *& Cunemundus filius eius*, milites & castellani Alberti Landgravii. Anno 1304. *Fridericus miles de Hettstet* vocatur castellanus in Gotha, & anno 1316. Illustris Principis Domini Friderici Marchionis Misenensis ac terræ Thuringiæ Landgravii castellanus in Grymenstein. Tempore Friderici Gravis, ejusqve matris Elisabethæ floruerunt anno 1326. *Henricus dictus Wendepfaffe*, & *Henricus filius ipsius*, castrenses in Gotha: anno 1327 *Eberhardus de Malsleiben*, *Dithericus de Vlleiben*, *Dithericus de Hetstet*, castrenses in Gotha: anno 1327. *Dithericus de Vlleiben*, *Dithericus de Hetstet*, castrenses in Gotha: 1328. *Strenuus Dominus Theodericus de Sybeleiben miles*, castrensis in Gotha: 1331. *Gotfridus de Naza*, castrensis Elisabethæ Dominæ Marchionissæ Misnensis in Gotha: 1331. 1334. *Heinricus de Nazza*, & *Thizelo de Vlleiben*, castrenses in Gotha: anno 1336 & 1337. *Fridericus de Hetstete*, *Heinricus de Cleberg*, castrenses in Gotha: anno 1343. *Güntherus de Sibeleben*, castellanus in Gotha: anno 1347. *Konemundus de Malsleiben*, castrensis in Gotha: anno 1349. *Fridericus de Hetstete*, castrensis in Gotha: cujus conjux *Adelheidis*, filii *Fridericus*, *Hermannus*, *Otto*, *Heinricus*, filia *Elisabeth*, eodem anno laudantur. Anno 1362. Fridericus Gravis, *Heinricum de Sibeleiben* vocat *Virum strenuum*, *suum in Gotha Castellanum*, *fidelem dilectum.* Anno 1366. *Hermannus de Sibeleiben*, anno 1377. *Ditericus a Wechmar*, miles, *Heinricus de*

Ebeleben, & *Heinricus de Heistet*, castellani in Gotha audiunt.

1380 §. VII. Anno CIↃ CCC LXXX. Balthasarem Landgravium, arcem Grimmensteinianam operibus aliqvot cinxisse, reperio.

In Collectaneis MSS. de rebus Gothanis.

1478 §. VIII. Anno CIↃ CCC LXXVIII. novis eandem munimentis firmavit Wilhelmus Landgravius.

Eadem Collectanea: Anno 1478. hat Hertzog Wilhelm den Grimmenstein mit Graben und Pasteyen befestiget.

1530 §. IX. Anno CIↃ IↃ XXX. Grimmensteinium, jussu Iohannis Electoris, fortius fuit munitum, templo cathedrali cum procera turri aliisqve ædificiis dirutis. Annis propemodum undecim in hac structura, memorabili sane, & pro illa ætate vere incomparabili, elaboratum est.

1546 §. X. Qvamobrem anno CIↃ IↃ XLVI. Iohanne Friderico Electore alibi occupato, Mauritius Dux plerasqve urbes & castra intercipiens, a Gotha tamen & Grimmensteinio abstinuit.

Sleidanus *lib. 18. Mauricius pleraqve omnia Electoris oppida deditione capit, inqve suam fidem illos adigit, præter GOTHAM, Isenacum, Wittembergam.* Confer Camerarium *de bello Smalcaldico* apud Freherum *tomo III. pag. 417.* Martinum Crusium *Annal. Sveviecorum parte III. pag. 659.* Die XXVII. Novembris Iohannes Fridericus II. ad Senatum Vinariensem Grimmensteinio scribit, ut, si vis inferatur, se dedant Mauritio, Quæstor autem tormenta remittat. So wollest auch Schösser das Geschütz/ so wir unlängst gegen Weimar geschickt/ durch die Ambtsverwandte Bawrschafft wiederum anherschicken und bringen lassen. - - Datum Grimmenstein unter unsers gnädigen lieben Herrn und Vaters Raths Siegel/ den 27. Novembris Anno Domini 1546. Integra epistola exstat apud Hortlederum *de initiis & progressu Belli Germanici lib. III. cap. XLIX.*

§. XI.

§. XI. Anno CIↃ IↃ XLVII. post infaustum illud prælium Mülbergense, Iohannes Fridericus II. primum Wittebergam, deinde Gotham evasit. 1547

Thuanus lib. IV. *Io. Fridericus Saxonis natu maximus filius accepto in capite vulnere, cum Bielingo & Recrodo - - - Vitembergam pervenerunt: unde ille, antequam Cæsar urbi appropinqvaret, ex consilio matris & patrui Gotham se contulit.* Natalis Comes Historiar. lib. III. *Quibus rebus ita compositis, procuratum est a Federici filiis, ut conditiones confirmarentur, accersitus est primogenitus, qvi Gottæ erat, vulneratus.* Confer Spangenbergium *Chron. Saxon. cap. CCCLXXXI. pag. 657.*

§. XII. Capto autem Electore Iohanne Friderico, Grimmensteinianæ arcis propugnacula per Lazarum Schvvendium fuere diruta.

Sleidanus lib. XIX. *Cæteræ vero conditiones sunt ejusmodi: - - Wittembergam & Gotham, alteram regionis propugnaculum Cæsari tradat, sic tamen ut suppellectilem omnem & annonam auferat, præterquam tormenta & tertiam alimoniæ partem: militi præsidiario Cæsar abitionem permittit, absque signis tamen. - - Si Cæsari videbitur, Saxo, permittente Mauritio, Gotham oppidum & arcem retinebit cum omni fructu, veruntamen arcis munitio demolietur, nec oppidum firmabit.* Idem eodem libro: *A Cæsare qvoqve missus Lazarus Schvvendius cum præsidio militum, ut & Gotham arcem dirueret, & Albertum Brandeburgicum ibi captivum libegeraret.* Laurentius Surius Commentar. rerum in orbe gestarum pag. 553. *Gotha nullis viribus expugnabilis solo æqvatur. In ea fuere centum tormenta majora, minora quamplurima: anearum pilarum centum millia, & multa alia.* Thuanus lib. IV. *In has conditiones cum Saxone conventum est. - - Vitembergam & Gotham, alterum Ditionis propugnaculum Cæsari tradat, relictis in ea tormentis & cibariorum tertia parte; reliqvam omnem suppellectilem & annonam secum auferat, permissa præsidiariis libera abitione, sed sine armis. - - Ita publicata Saxonis bona, eaqve a Cæsare*

ſare fratri Ferdinando & Mauritio donata, ſic ut Saxoni ejusqve liberis L. aureorum millia annua Mauritius dependat, & Gothæ oppidum, ſi Cæſari videatur & per Mauritium liceat, una cum omni uſufructu retineat Saxo, arcis munitione ab eo demolienda, nec citra Cæſaris voluntatem deinceps inſtauranda. Iacobus Maſenius lib. VII. Hiſtoriæ Caroli V. & Ferdinandi Imp. *Gotham inexpugnabilem ejus loci naturæ artisqve beneficio arcem funditus evertere, qvam cum periculo impenſisqve belli poſſidere maluit.* Vide Avilam, Faletum & Godojum *in Hiſtoria hujus belli*, in Hortlederiano Opere Germanice editos: item Natalem Comitem *Hiſtor. lib. III.* Spangenbergium *d. l. pag. 659.* Dreſſerum *de Germaniæ Vrbibus pag. 282.* Danielem Wintzenbergerum Grimmenſem *in geſtis ab anno* CIƆ IƆ. *usque ad annum* CIƆ IƆ LXXXIII.

§. XIII. Neqve tamen totum Grimmenſteinium fuit dirutum, ſed tantum quatuor oris decuſſatim ſibi reſpondentibus.

Wittichius in *Notis ad Geographiam metricam Gothæ.* Capto *Electore*, inqvit, arx deſtructa eſt a Lazaro Schvvendio Cæſariano Duce, ſed ita ut decuſſatim ea ipſa fieret deſtructio. Es ward nur ein Creutz durchs Schloß hingeriſſen.

1552 §. XIV. Anno CIƆ IƆ LII. Carolus V. Cæſar, Iohanni Friderico nato Electori ex cuſtodia dimiſſo, permiſit Grimmenſteiniana munimenta reparare: quod & paulo poſt factum eſt egregie.

Bulla Cæſarea hujus qvoqve rei teſtis exſtat apud Hortlederum *Tom. II. pag. 937.* Sleidanus *lib. 24. Iohannes Fridericus Gotham arcem, permittente Cæſare, rurſus muniebat.* Dreſſerus: *Eidem Ioanni Friderico in bulla Cæſaris anno Chriſti 1552. per qvam in priſtinum ſtatum reſtitutus eſt, -- poteſtas data eſt, illam arcem reparandi arbitratu ſuo, nemine prohibente. Qvod etiam factum eſt.* Ritterus: in Coſmographia Proſometrica: *Arx* Grimmenſtein *poſt relaxationem Electoris e cuſtodia, ex indultu Cæſaris ab eodem reædificata eſt, & vallis, muris, foſſisqve tantopere munita,* ut

ut nulli totius Germaniæ propugnaculo cederet. Postqvam igitur Elector tum per Consiliarios, tum in præsenti cum Senatu Gothano egisset, tandem, remotis obstaculis, & munitio, & modus contribuendi definita fuere. Ipse Elector anno seqventi, die Mercurii post festum Visitationis Mariæ, sic scribit: Uber das wir unser Schloß und Haus Grimmenstein numals/ GOtt Lob! wiederum bevestiget haben.

§. XV. Hoc tempore (anno nimirum CIↃ IↃ LIII. 1553
Iohannes Fridericus natus Elector, ob novos Alberti Brandenburgici, & Heinrici Brunsvvicensis motus, cum triga filiorum in arcem Grimmensteiniam secedit.

Spangenbergius *Chron. Sax. c. 389.* Apud Hortlederum *de Causis belli Germ. l. 4. c. 57.* habetur responsoria Electoris ad Heinricum Ducem, cum hac clausula: *Datum* uff unsern Schloß Grimmenstein/ Sonntags nach *omnium Sanctorum 1553.* Et vidi plures ibidem perscriptas.

§. XVI. Anno CIↃ IↃLIX. XXVII. Martii. Victorinus Stri- 1559
gelius, Professor Ienensis, Iena Leuchtenburgum, mox Grimmensteinium captivus fuit deductus: contra Mulichius cum aliqvamdiu Grimmensteinii fuisset asservatus, Leuchtenburgum traductus est.

B. Ioh. Ernestus Gerhardus in disp. Theolog. *de Strigelianismo sect.* I. §. VIII. *His Illustriss. Saxon. Dux Iohannes Fridericus II. sinceræ religionis fovendæ studiosissimus commotus fuit, ut Vict. Strigelium d. 27. Martii ipsis feriis Paschalibus anno 1559. armata 300. militum manu cinctum Iena primum Leuchtenburgum, arcem editissimam, & aliquot diebus post Gotham, eique contiguam in arcem Grimmenstein (nunc Friedenstein) deductum, futuro Colloqvio Vinariensi custodia reservandum tutaretur.* Meminit hujus Strigelianæ deductionis Michael Sachse in *Chronico Cæsareo pag. 391.* & Adamus Rempius *in Calendario Saxonico pag. 86.* De Mulichio ita Ioachimus Camerarius *in Annotatione rerum præcipuarum hujus anni* Tom. III. Freheri *pag. 502.* Fuit *&* in

 vincula

vincula conjectus Mulichius, maxima potentia & autoritate in Vinariensi aula præditus. - - Hic cum Gothæ in custodia aliqvantisper fuisset, postea traductus est in arcem Leuchtenbergensem ad Calam Duringicam. De hac captivitate Philippus ad Burchardum Mithobium scribit lib. II. Epistolarum a Peucero editarum: *Vicini ad Salam viri docti & pii captivi tenentur, Victorinus & pastor Ecclesiæ Ienensis, eo qvod non probant qvædam βλακώδη παράδοξα Στωικά. Sed Marchio Iohannes jam istuc iter faciens fortassis perficiet, ut liberentur.* Idem ad Ioachimum Mollerum: *Pastor Ienensis & Victorinus adhuc captivi tenentur, Oro filium Dei, ut ipsos liberet.*

§. XVII. Temporibus Iohannis Friderici II. Iohannis Wilhelmi, & Iohannis Friderici III. supremus Grimmensteinii præfectus fuit Bernhardus a Mila, eqves: cui anno LXI. mortuo successit Georgius ab Harstall.

1561

Plenum Bernhardi elogium ita habet: **Ritter/ Land-Hoffmeister/ Oberster-Befehlhaber zum Grimmenstein.** Vidi literas in qvibus *Vlricum Kalben* vocat **seinen Mit-Befehlhaber.** De Instructione Bernhardo data alibi.

1567 §. XVIII. Anno CIƆ IƆ LXVII. ex decreto Imperatoris ac Ordinum Imperii, Grimmensteinium ab Augusto Electore Saxoniæ obsessum, captum, ac funditus est dirutum.

Solet hoc bellum a Grumbachianis turbis coortum, singulariter Gothanum appellari: qvod aliqvi fusius, multi strictim descripsere: ex qvibus Alphabetica serie repetemus, qvi visi nobis lectiqve. Familiam ducat Auctor Anonymus *Historicæ descriptionis susceptæ a Cæsar. Maj. executionis contra S. Rom. Imperii rebelles, & captæ urbis Gothæ, soloq; æqvati castri Grimmenstein*, apud Simonem Schardium *Tom. III. Scriptorum Rerum Germanicarum.* Succedant Ioh. Bangius *in Chronico Thuringico pag. 167.* M. Adrianus Beierus *in Syllabo Rectorum Ienensium lib. 1. cap. 1. p. 75. & 84. 85. ex MS. Hortlederi.* Michael Beutherus *in Continuatione Sleidani Germanice versi pag. 767.*

Micha-

Michael Bojemus *in Vita Alberti III. Animosi, Saxoniæ Ducis*, ubi breviter agit de Augusto Electore: Georgius Bruin *in Descriptione Civitatum fol. 25.* Augustinus Brunnius *in Triade Electorali Politica, & speciatim Catalogo Electorum Saxon. pag. 444. seqq.* Abrahamus Bucholcerus in *Isagoge Chronologica*, & *in Indice Chronologico pag. 629.* Heinricus Büntingius *in Chronologia fol. 493. b.* Sethus Calvisius *in Opere Chronologico fol. 850. b.* Israel Clauderus *in Stemmate Saxonico pag. 68.* Philippus Cluverius *in Introductione ad Geographiam lib. III. cap. XVI. p. 236.* Martinus Crusius *Annalium Suevicorum parte III. lib. XII. p. 729.* Natalis Comes *Histor. lib. XVIII. pag. 383.* David Chytræus *Saxoniæ lib. XXI. p. 568.* Hardevvigus a Dassel *in Cæsaribus Austriacis lit. G. 3.* Rudolphus Diepholdius *in Genealogiis Historicis pag. 72. 74.* Iohannes Conradus Dietericus *in Breviario Historico pag. 364.* Iohann Michael Dilherr im Zeit- und Welt-Lauff *pag. 410.* Matthæus Dresserus *Millenarii VI. parte I. pag. 512. parte II. p. 469.* & *de Germaniæ Vrbibus p. 282. s.* item *in Chronico Saxonico p. 667.* Paulus Eberus *in Calendario Historico d. XIII. Aprilis, p. 141.* Henricus Eckstormius *in Historia Ecclipsium p. 94.* Iacobus Fabricius *Rerum memorabilium Saxoniæ universæ lib. II. pag. 349.* Laurentius Faustus *in Explicatione Arboris Genealog. Saxon p. 269.* David Frœlichius *Viatorii partis poster. lib. I. p. 153.* Iohannes Gvaltherius, sive potius, Ianus Gruterus *in Chronologia Ecclesiastico-Politica*, qvæ habetur *lib. II. Chronici Chronicorum Politici, lib. III. p. 1090.* Heinricus Gutberletus *in Chronologia p. 555.* Iohannes Sebastianus Güth *in Poligraphia Meiningensi p. 266.* Tobias Heidenreich *in Chronico Lipsiensi pag. 158. s.* Paulus Hentznerus *in Itinerario pag. 5.* Magnus Hesenthaler *in Supplemento Histor. Vniversalis Dionysii Gothofredi pag. 541.* Edo Hildericus Prof. Acad. Ienensis in præfatione *Orationis de instituenda in Academiis publica prælectione trium Biblicarum linguarum*, Ienæ 1577. edita. Paulus Ienisius *in Annalibus Annæbergæ p. 35.* Iacobus Wilhelmus im Hof *in Notitia S. Roman. German. Imperii Procerum lib. IV. cap. II. pag. 226. s.* Mi-

chael ab Isselt *in Historia sui temporis p. 110. s.* Iohannes Lætus *in Compendio Histor. Vniversalis cap. XXXIII. sect. I. pag. 419.* Iohannes Lampadius *Mellificii Historici parte III. p. 347.* Iohannes Georgius Layriz im Historisch-Genealogischen PalmWald / *tab. V. cap. III. pag. 256. s.* Michael Caspar Lundorpius *Sleidani continuati lib. VI. p. 767. lib. VII. p. 786. seqq.* Christianus Matthiæ *in Theatro Historico pag. 785.* Balthasar Mencius *in Historica Narratione de VII. Electoribus Saxoniæ p. 87.* Iohannes Micrælius *Syntagmatis Historiar. Politici lib. III. sect. XII. pag. 1044. s.* Andreas Möllerus *in Annalibus Fribergensibus p. 290.* Georgius Nicolai *parte II. Sylloges Histor. fol. 910.* Sebastianus Münsterus *Cosmographiæ lib. III. cap. 421. p. 977.* Gotfridus Olearius *in Halygraphia pag. 285.* Lucas Osiander *Epitomes Hist. Eccles. cent. XVI. lib. III. cap. LXIII. p. 804.* Laurentius Peckenstein *in Commentario Historico de Thuringia p. 58.* Caspar Peucerus *in Chronico Carionis, edit. Genev. anni 1617. p. 993.* Nicolaus Rittershusius *in Exegesi Historica Genealogiarum pag. 115.* Stephanus Ritterus *in Cosmographia Proso-metrica p. 629.* Zacharias Rivander *in Chronico Thuringico pag. 511. s.* Michael Sachse *in Chronico Cæsareo p. 391.* Osias Schadæus *parte II. Sleidani continuati lib. III. fol. 90.* Simon Schardius *de rebus sub Imp. Maximiliano II. gestis p. 2230. s.* Tobias Schmidt *in Chronico Cygneano p. 298.* & *in Annalibus Cygneanis p. 392. s.* Cyriacus Spangenbergius *Chronici Saxonici cap.* CCCCII. *pag. 707.* Philippus Iacobus Spenerus *in Sylloge Genealogico-Historica p. 358.* Ægidius Strauchius *in Continuatione Synops. Histor. Sleidani pag. 102.* Ioachimus Vagetius *in Geograph. Historica pag. 210.* Laurentius Surius *in Commentario rerum in orbe gestarum p. 934.* & in germanica versione Heinrici Fabricii, Chorepiscopi Spirensis *parte III. p. 191.* Iacobus Augustus Thuanus *Histor. lib. XXXIX. p. 819.* Caspar Vlenbergius *in Vita Flacii p. 440.* Andreas Wernerus *in Chronico Archiepiscoporum Magdeburgensium p. 161.* Iohannes Georgius Wilckius *in Nepote Saxonico pag. 130. seqq. 239. 505.* Daniel Wintzenberger *in rebus gestis ab an.* CIϽ IϽ. *usque ad* CIϽ IϽ LXXXIII. *p. 174.* Martinus Zeilerus

in Itinerario Germaniæ parte I. cap. XVII. p. 398. parte II. p. 213.

Venit etiam in manus meas liber ms. cui hæc eſt epigraphe: Kurtze und Summariſche Erzälung/ ſo ſich in der unſehlichen Belägerung der Stadt Gotha *anno Chriſti 1567.* zugetragen hat. Auctor fuit civis Gothanus non imprudens, ac ſumme diligens. Præterea in Sereniſſimi Ducis FRIDERICI Bibliotheca aſſervantur aliqvot mss. hujus argumenti: & in his (1.) Warhafftige Erzälung aller mit der Veſtung Gotha vorgelauffen Händel. (2.) Capitulation, zuſamt den Kriegs-Händeln bey Einnehmung der Stadt Gotha vorgangen. (3.) Von Execution wider die Echter zu Gotha. Auguſtus Elector unciales cudi fecit, in qvorum altera facie decuſſati gladii Electorales, cum inſcript. TANDEM. BONA. CAVSA. TRIVMPHAT. In altera: MDLXVII. GOTHA. CAPTA. SVPPLICIO. DE. PROSCRIPTIS. IMP. HOSTIB. OBSESS. SVMPTO. COETERISQ. FVGATIS. AVGVSTVS. D. SAXO. ELECTOR. &c. F. F.

§. XIX. In locum Grimmenſteinii, præſente ſæculo ſucceſſit FRIEDENSTEINIVM, ab Erneſto Pio anno 1643.
CIↃ IↃC XLIII. condi, ac qvadriennio poſt incoli cœptum.

Fundamenta jacta ſunt die XXVI. Octobris, hora meridiana duodecima.

§. XX. Templi Friedenſteiniani in honorem SS. 1646.
Trinitatis conſtructi encænia anno XLVI. die XVII. Septembris celebrata ſunt. In qvibus ſolennibus ſimul conſecratio (qvam vocant) recens nati, nunc Gothæ feliciter regnantis Principis FRIDERICI peracta eſt.

Adrianus Beierus *in Syllabo Rectorum Ienenſium lib. II. cap. IV. p. 275.* Hoc *A.C. 1646. 17. Sept. Pientiſſimus Princeps ac Dominus Erneſtus, Dux Saxon. encænia celebravit Gothana, in qvibus templum in arce recens extructa -- Friedenſtein a pace optata diu & ſperata ſuum habente nomen, cum ornamentis & vaſis omnibus SS. Trinitati ſolen-*

lennissime dedicatum fuit: ad qvæ Iohannes Major & Gothofredus Cundisius Theologiæ D. & PP. evocati in eo suas habuerunt conciones. Ille ex Jes. 66. 1. die 19. Sept. hic ex Evangelio Dominica XVII. *Trinitatis, Luc. 14. 1. 11. die 20. Septembris, omnium vero primam habuit D. Salomon Glassius Gothæ Super. ex Ps. 122. alteram deinde d. 18. Septembr. Christophorus* Brunckhorst/ *Ecclesiastes Aulicus ex 1. Reg. 8. v. 15.* Idem Beierus *lib.* V. *pag. 410.* Fridericus *Junior -- Ernesti filius -- natus ex Elisabetha Sophia, unica Iohannis Philippi Ducis Sax. sobole, Gothæ A. C. 1646. 15. Iul. renatus 16. ejusd. benedictus consecratusqve 17. Decembr.* (repone *Septembr.*) *qvo templum in Arce hodie* Friedenstein -- *in nomine & in honorem SS. & individuæ divinæ Trinitatis, Dei Patris, Dei Filii, & Dei Spiritus Sancti dicatum fuit, præsentibus Principibus Agnatis, Cognatisqve, nec non Theologis, inprimis Ienensibus.*

1655 §. XXI. Anno CIƆ IƆC LV. die III. Iulii, præsente Ernesto Pio, ejusqve conjuge ac liberis, fundamenta munimentorum Friedensteinianorum ponebantur.

Wittichius in Notis ad Geographiam metricam Gothæ: *Anno 1655. die 3. Iulii hora 3. pomeridiana primus lapis pro fundando fortalitio arcis Friedensteiniæ ponebatur.*

1678 §. XXII. Anno CIƆ IƆC LXXVIII. VII. Februarii, una turrium arcis Friedensteiniæ, eademqve præ ceteris speciosa, magnam partem conflagravit: qvæ iterum exstructa nunc magis magisqve exornatur.

1679 §. XXIII. Anno CIƆ IƆC LXXIX. Elisabetha, Friderici
1682 Ducis filia VII. Februarii nata; An. CIƆ IƆC LXXXII. XXI. Ianuarii, *Magdalena Sibylla*, Friderici Ducis conjux, in æde sacra Friedensteiniana sepulta est. Ab eo tempore usqve ad præsentem annum multa solennia in hac arce sunt habita: de qvibus alibi exqvisitius agemus.

CAPVT

CAPVT VI.

DE ÆDE CATHEDRALI IN ARCE GRIMMENSTEIN, EIVSDEMQVE DECANIS, CANONICIS, VICARIIS.

§. I.

Ex qvo castrum Grimmensteinium a Landgraviis incoli cœptum, ædes qvoqve sacra in eo fuit condita, ac S. Mariæ dicata: cujus jus patronatus, anno CIↃCC LXXXI. IX. Kl. 1281
Augusti, Albertus Landgravius donavit monasterio S. Crucis: qvam donationem post supplices Alberti, Nicolaus Pontifex Romanus confirmavit.

Verba Præcepti Albertini ita habent: *Ob honorem omnipotentis Dei, & ob reverentiam beate & gloriose virginis sue genitricis, & omnium sanctorum suorum, Ius patronatus ecclesie beate Marie in Gotha sanctimonialibus monasterii sancte Crucis ejusdem loci tenore presentium conferimus, & donamus libere, & qviete perpetuo possidendum, accedente ad hoc omnium heredum nostrorum favore benevolo & consensu. - - Datum & actum Gotha, presentibus Dominis Ottone Comite de Lutherbergk, Heinrico milite dicto de Holundren, Matthie notario nostro, Heinrico plebano beate Marie in Gotha, Anno Domini* MCCLXXXI. IX. *Kalend. Augusti, Indictione prima.* Alberti supplices ad Papam perscriptæ sunt Wartburgi anno 1288. 14. Kal. Aug. Qvas mox excepit confirmatio Papalis, data Reate 8. Kal. Septembris. Consensus filiorum demum secutus sæculo seqventi: & Theoderici qvidem Erfurti, anno 1302. Friderici autem Isenaci, anno 1303. pridie Innocentium.

§. II. Plebani hujus ædis fuere *Heinricus*, annis
CIↃ CCLXXXI. & - LXXXVI. *Ekkehardus*, annis CIↃ CCXCI. 1281
XCV.

1302 XCV. XCVI. CIↃCCCII. (Ejus Capellanus anno CIↃCCXCII e-
1322 rat *Eckardus de Cruceburg.*) *Theodoricus*, anno CIↃCCCXXII.
& - XXVIII. *Conradus*, anno - XXXVII. - XLVI.

1332 §. III. Circa annum CIↃ CCCXXXII. Eliſabetha Arnshaugia, Friderici Admorſi vidua, novum in hac arce condidit ſacrarium, S. Eliſabethæ dicatum, qvod reditibus auxit, ac certum ei plebanum præpoſuit: qvi anno - XLVI. erat *Heinricus*.

1344 §. IV. Anno CIↃ CCC XLIV. ædes ſacra in Eccleſiam cathedralem, S. Mariæ nomen ſervantem, commutata eſt, Canonicis Ordorfio Gotham concedentibus: rem ſtrenue promovente laudata Eliſabetha Landgravia, conſentientibus Abbatiſſa & monaſterio S. Crucis, ac plebano ipſo ædis S.Mariæ: novisq; hoſpitibus cum Senatu Gothano de variis capitibus convenientibus. Sacrum hoc inſtitutum confirmarunt Heinricus Moguntinus Archiepiſcopus, & Iohannes Abbas Hersfeldenſis.

Auctor de Landgraviis cap. XCVIII. Id refert ad annum ſeqventem. *Anno*, inqvit, *MCCCXLV. Domina Elizabeth Marchioniſſa mater Domini Friderici ordinavit, qvod Canonici de Ordorff ſe transtulerunt in Gotham.* At de hac translatione plura nos docebunt ſcripta ſeqventia. *In nomine Domini, Amen. Nos Heinricus Decanus & Hartungus Scolaſticus Eccleſie S. Marie Erffordenſis, Executores ſeu Commiſſarii ad infra ſcripta a Venerabili in Chriſto Patre ac Domino, Domino Henrico ſancte Magunthine ſedis Archiepiſcopo ſpecialiter deputati, receptis ejusdem Domini noſtri Maguntinenſis literis, in hæc verba:* Hinricus *Dei gratia ſancte Maguntinenſis ſedis Archiepiſcopus ſacriqve Imperii per Germaniam Archicancellarius in Chriſto ſibi dilectis, Hinrico Decano, & Harthungo Scolaſtico Eccleſiæ S. Marie Erffordenſis ſue Dioceſis Salutem in Domino ſempiternam. Exhibita nobis ex parte honorabilium virorum Decani & Capituli in Ordorff devotorum noſtrorum*

dicte

dicte nostre dioc. petitio continebat, Quod cum Ecclesia eorum predicta in loco non munito consistat, propter temporis presentis malicia faciente domus & habitationes eorundem freqventer per predones & raptores illarum partium devastentur, ac bonis suis mobilibus & se moventibus per eosdem predones nefariis ausibus spolientur, qvodqve persone ipsius Ecclesie personales injurias, & qvod gravius est ferendum occisiones & captivationes a malefactoribus earundem perferant sine causa. Nos Prelatos & Canonicos dicte Ecclesie cum omnibus suis bonis juribus jurisdictionibus & pertinentiis qvibuscunqve ad opidum munitum Gotha ad Ecclesiam parochialem S. Marie ibidem nostre diocesis transferre, ipsamqve Ecclesiam S. Marie ibidem in Ecclesiam collegiatam cum eisdem juribus consvetudinibus, libertatibus, honoribus & privilegiis, qvibus Ecclesia predicta in Ordorff ad presens munita dinoscitur, instaurare autoritate nostra ordinaria dignaremur. Nos vero hujusmodi rei notitiam non habentes de vestre circumspectionis industria plenam in Domino fiduciam obtinentes, devotioni vestre committimus & mandamus, qvatenus de premissis inqviratis cum diligentia, veritate, & si repereritis rem taliter se habere, vos vice & autoritate nostra Prelatos & Canonicos Ecclesie predicte cum omnibus suis bonis juribus jurisdictionibus & pertinentiis qvibuscunqve ad opidum predictum ad Ecclesiam S. Marie ibidem transferre ipsamqve Ecclesiam in Ecclesiam Collegiatam cum eisdem juribus, consuetudinibus libertatibus, honoribus & privilegiis qvibus predicta Ecclesia in Ordorff munita dinoscitur, ea vice & autoritate nostra approbando, absqve alieni juris cujuslibet prejudicio instaurari curetis, dum tamen inclite Principis Domine Marchionisse qvondam Illustris Principis Domini Frederici Thuringie Landgravii relicte ac devotarum in Christo Abbatisse & Conventus Monasterii sanctimonialium Cisterciensis ordinis extra muros predicti oppidi Gotha, ad qvas jus patronatus dicte Ecclesiis pertinere dinoscitur, voluntas ad id accesserit & consensus, proviso qvod ad minus duo sacerdotes in dicta Ecclesia Ordorff perpetuis temporibus remaneant, qvi ipsam Ecclesiam officient in divinis, & facientes qvod auctoritate nostra decrevimus per censuram Ecclesiasticæ firmiter observari. Testes vero

qvi

qvi nominati fuerint ſi ſe gratia odio vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili compellatis perhibere teſtimonium veritati. Datum Aſchaffenburg XIII. Kl. Auguſti Anno Dni M CCC XLIII. Harum igitur auctoritate literarum facta in Eccleſia S. Petri in Ordorf, & Sancte Marie in Gotha ſupradictis duobus Dominicis proximis ante diem Laurentii & in ipſa die B. Laurentii publica proclamatione, ut omnes qvorum intereſſet ad docendum de jure ſuo & proponendi contra translationem & inſtaurationem preſcriptas qvidqvam de jure ſibi competeret, proponendum coram nobis feria qvarta proxima poſt dictam diem Bti Laurentii in ambitu Eccleſie S. Marie ſupradicte comparerent. Qvo termino adveniente & nemine comparente, qvi contra premiſſa qveqve proponeret, vel allegaret. Precluſa itaqve per nos ipſis via aliqvid contra de cetero proponendi, viſisqve & auditis ab honorabili viro Domino Ludolffo de Winresleubin ejusdem Eccleſie Canonico, procurante Dominorum Decani & Capituli in Ordorff ſupra dictorum propoſitis & inqveſitis per nos cum exacta diligentia inqvirendis. Qvia invenimus translationis & inſtaurationis predicte commiſſioni nobis facte inſertas, rationabiles atqve veras exiſtere cauſas, canonicum nil obſtare, nec non conſenſu pariter & aſſenſu Inclite Domine Domine Elizabeth Thuringie Landgravie & devotarum in Chriſto Abbatiſſe & Conventus monaſterii ſanctimonialium ſancte Crucis in Gotha ac plebani ſancte Marie in Gotha ſupradictorum, nec non omnium aliorum qvorum intereſt, expreſſe acceſſiſſe & interveniſſe. Hos prefatos Dominos Prelatos, Decanum & Canonicos Eccleſie in Ordorff cum omnibus ſuis bonis, juribus, jurisdictionibus & pertinentiis qvibuscunqve ad oppidum Gotha ſupradictam Eccleſiam ſancte Marie in Gotha ac Eccleſiam collegiatam cum ejusdem juribus, jurisdictionibus, conſvetudinibus, libertatibus, honoribus & privilegiis, qvibus predicta Eccleſia in Ordorff munita dinoſcitur, authoritate prefati Domini Maguntinenſis absqve alieni juris cujuslibet prejudicio inſtauramus, decernentes & pronuntiantes, qvod ad minus duo ſacerdotes in dicta Eccleſia Ordorff, qvi ipſam in divinis officient, debeant perpetuis temporibus remanere. Mandantes & interdicentes diſtrictiſſime ſub pœna excommunicationis late ſententie,

tentie, premissa tamen canonica monitione, omnibus & singulis personis tam Ecclesiasticis qvam mundanis cujuscunqve existant status seu conditionis, ne translationem & instaurationem, nec non Dominos Prelatos, Decanum & Canonicos supradictos impediant vel perturbent publice vel occulte qvovis modo, imo ipsos gaudere atqve frui faciant pacifice & qviete, & permittant omnibus bonis, juribus & consvetudinibus, libertatibus, honoribus, privilegiis, qvibus hactenus usi seu gavisi fuerint in Ecclesia Ordorff supradicta. Lecta & lata est hec translationis sententia Anno Domini MCCCXL. qvarto, feria qvinta post diem B. Laurentii supradictam, presentibus honorabilibus viris, Domanno de Iicheburgk, Heinrico de Aldendorff, Reinhardo de Byenbach, Bertoldo de Hawental Canonicis, Heinrico de Sommerde, Hartungo de Sancta Cruce, Heinrico de Heiligenstat, Vicariis Ecclesie sancte Marie supra dicte, Theoderico de Isenaco, Notario publico, Hermanno de Gotha, Clerico, & qvam pluribus fide dignis ad premissa vocatis.

Nos Iohannes *Dei gratia Abbas Ecclesie Hersfeldensis recognoscimus per presentes & publice profitemur, qvod accedentibus Decano & Capitulo ejusdem Ecclesie nostre Hersfeldensis voluntate, beneplacito & consensu ad hanc nostram voluntatem nostrumque consensum adhibuimus & prestitimus ac adhibemus presentibus & prestamus, qvod Decanus & Capitulum olim Ecclesie S. Petri in Ordorff Clerici nostri transierunt de ipsa Ecclesia in Ordorff ad Ecclesiam S. Marie in Gotha, ex causis rationabilibus & legitimis ipsos moventibus, & ob spem meliorationis ejusdem Capituli & profectus. Sic qvod ipse Decanus & Capitulum in eadem Ecclesia sancte Marie in Gotha & apud eam posteris temporibus perpetue mansuri omnibus dignitatibus, honore jure & consvetudinibus, qvos dum essent apud dictam Ecclesiam in Ordorff a nobis & Ecclesia nostra Hersfeldensi predicta ab antiqvo & hactenus habuerunt, inconcusse frui debeant & gaudere. Nosqve debeamus & volumus eosdem Decanum & Capitulum--- dignitate & honore jure & consvetudinibus conservare, ac pro posse tanqvam alios nostros Clericos in omnibus fovere & tueri ac patrocinari eisdem. Nos etiam & dicta nostra Ecclesia Hersfeldensis omnia jura, honorem & dignitatem in dictis Decano &*

Capitulo dum essent apud Ecclesiam in Ordorff, per nos ab antiqvo nec non posteris debeamus in ipsis in Gotha apud Ecclesiam S. Marie existentibus inconcusse retinere ---- Item debemus Prepositu-ram nunc dicte Ecclesie sancte Marie in Gotha libere conferre, ac Decanum, Scolasticum & Cantorem confirmare, ac primarias Preces super receptionem unius persone in conventu ipsis porrigere apud Ecclesiam Marie in Gotha, sicut cum adhuc essent in Ordorff, fecimus, & nostri predecessores facere consveverunt. Item duas Vicarias in Ecclesia S. Petri in Ordorff remanentes, qvotiens eas vacare contigerit, nos & successores nostri conferre debemus. Et qvod eadem Ecclesia S. Petri in Ordorff cum omni jure honore & utilitate pertinet, & perpetuo pertinere debebit ad Decanum & Capitulum supradictos, duo Vicarii qvi pro tempore fuerint Vicariarum earundem sub obedientia dicti Decani S. Marie in Gotha perpetuis temporibus debent esse. Preterea dicti Decanus & Capitulum dicte Ecclesie S. Marie debent assignare & designare duas libras denariorum nummi perpetui census ad fabricam Ecclesie S. Petri obvenientes debent ibidem ad luminaria pertinere. Preterea Domini de gremio Ecclesie Hersfeldensis predicte hujus honore frui & gaudere debebunt, videlicet, qvod qvandocunqve unus eorum ad locum Gotha pervenerit, & chorum dicte Ecclesie S. Marie visitaverit eo tempore, qvando inter Canonicos ibidem dantur & distribuuntur presentie, ut est moris, illi duo de Hersfeldia ibidem in choro tunc presenti eqvivalens portio presentiarum hujusmodi sicut uni Canonicorum debet dari, & hoc idem per Dominos dicte Hersfeldensis Ecclesie Dominis Canonicis Ecclesie sancte Marie in Gotha, qvando & qvotiens ipsos Hersfeldiam venire, & Monasterium Hersfeldense visitare contigerit, observari debebit & fieri vice versa. In cujus rei testimonium --- Cetera desunt.

Nos Abbatissa *& Conventus monasterii S. Crucis prope muros opidi Gotha Cistericensis ordinis manifeste recognoscimus tenore presentium literarum, qvod cum Illustris Princeps Dominus noster Dominus Fridericus Landgravius Thuringie & Misnensis Marchio, ac Illustris Domina, Domina Elizabeth ejus mater eorundem consensum adhibuissent ad hoc, ut honorabiles viri Domini*

De-

Decanus & Capitulum Ecclesie S. Petri in Ordorff ad Ecclesiam Sancte Marie in Gotha nobis & nostro Monasterio ad proprios usus unitum transferantur, sicut in literis patentibus eorundem Domini Marchionis & Domine Marchionisse super eo datis plenius continetur; Nos precipue divini amoris intuitu ut ibidem divinum officium augeatur ad petitionem eorundem Dominorum Decani & Capituli consensum nostrum huic translationi adhibuimus & literis presentibus adhibemus, salva conditione infra scripta, videlicet qvod nobis & nostro monasterio in nostrisqve aliis personis qvibuscunqve habentibus jus in eadem Ecclesia S. Marie & per hujusmodi consensum nostrum in suis juribus nullum prejudicium in posterum generetur. In cujus rei testimonium ac firmitatem sigilla nostra videlicet Abbatisse & Conventus predictorum presentibus nostris sunt appensa. Datum anno Domini M. CCC. XLIIII. IIII. Idus Iunii. Et nos Iohannes Decanus ac Capitulum Ecclesie S. Petri in Ordorff predicti recognoscimus omnia & singula premissa & vera & in testimonium ac ratihabitionem earum perpetuum sigilla nostra sua litere duximus apponenda. Datum anno Incarnationis Domini & die &c.

Laudata Elisabetha Landgravia curiam suam noviter constructam ante castrum Gotha, qvam ipsa inhabitavit, *Ecclesiæ S. Mariæ, Canonicisqve ibidem divinum officium celebrantibus donavit, & testamentarie legavit. Actum & datum Gotha, anno Domini 135 . in die B. Cecilie virginis.*

§ V. Sic igitur laudato anno - XLIV. Gotham commigrarunt IOHANNES DE DRIFVRDIA, Decanus, Ludolphus de Winresleuben, Heinricus de Sibeleben, Hermannus de Nicro, Volmarus Kumerer, Heinricus de Hallis, Iohannes de Eimbeck, Guntherus ab Hesserode, Guntherus de Rudolfsleben, Bertholdus de Drifordia, Hermannus de Sibleben, Th. de Sibleben, Heinricus de Castungen, Hermannus de Escheleben, Güntherus de Königessee.

§. VI. Neqve tamen ante annum CIↃ CCC LXXXIV. Capitulum Gothanum jus patronatus ædis S. Mariæ accepit: ſed eo ipſo demum id Canonicis ceſſit Balthaſar Landgravius: pro qvo hi Landgravio reſignarunt duo beneficia cathedralia, cuicumqve voluerit, reddenda.

§. VII. Ex reliqvis Decanis mihi innotuerunt ſeqventes.

M. PAVLVS. anno 1362.-1368.

IOHANNES DE SALZA. 1384.-1400.

HEINRICVS DE ESCHELEVBEN. 1414.

DITERICVS LANGE. 1427.-1449.

Anno 1465. Decanus qvidam fuit mortuus.

CONRADVS SCHVTZEL. (SCHVTFELD) 1478.-1483.

GERHARDVS MARSCHALCVS DE GOSERSTET. 1498.-1524.

Et hic qvidem libro (uti vocatur) *Copiarum literarum Capituli Eccleſiæ Gothenſis montisqve S. Mariæ, pag. 41.* ad Donationem Eccleſiæ parochialis in Baldenſtet, anno 1345. per Hermannum de Baldenſtet factam, in qva mentio fit *Theoderici Marſchalci de Gozerſtete*, ſeqventia adſcripſit: *Gerhardus Marſchalk de eadem villa, Decanus hujus Eccleſ. Gothenſ. lineam fecit* (nam lineola ſubduxit nomen *Theoderici M. de G.*) *& manu propria ſcripſit, anno XVC. V.* (1505.) *feria poſt Marcelli, occaſione illius, qvod idem fuit de progenie mea.* Miror cur idem anno 1504. ambiverit parochiam Wangenheimianam, commendatione Friderici Electoris & Iohannis Ducis uſus; niſi forte Decanatui voluerit conjungere.

§. VIII. Afferam qvoqve Canonicos, qvorum nomina ex antiqvis ſcripturis exſculpſi.

Ludolphus, *Cantor*. (Sangmeiſter und Thum-Herr zu Gotha.) 1353.

Gun-

Guntherus de Hesserode, *Scholasticus*. 1354. - 1362. *Cantor*. 1365. - 1374.

Hic anno 1366. monasterio Georgenthalico donavit pratum in campis oppidi Ordorf, juxta amnem Kolbach situm, sex agris constans ac unam marcam puri argenti annuatim solvens: idqve, ut ait, *pure propter Deum.*

Fridericus ab Hetstet, 1355. *Scholasticus*, 1362.

Heinricus Kleinekouf. 1358. - 1363.

Paulus. 1358. 1361. Petri, scribæ civitatis, frater.

Petrus. 1368. *Scholasticus*. 1369. 1376.

(Peter der Schulmeister zu S. Marien Stifft: item: zu unser Fr. Kirche.)

Conradus a Kinthleben. 1371.

Dietericus Gans. 1373.

Iohannes de Molsleiben, *Scholasticus*. 1384. 1395.

(Fratres habuit Ditericum & Hermannum, sororem Catharinam.)

Petrus Brengebier, *Cantor*. (der Sänger des Capitels: item: Sänger in unser lieben Frauen Kirchen.) 1384. 1395.

Hermannus Wolfhayn, *Canonicus præbendatus*. 1389. - 1404.

Conradus Teigscheer. 1404. - 1414.

Ditericus Lange. 1420.

Iohannes Happius. 1433.

Caspar König, *Scholasticus*. 1435. 1440.

Iodocus Kauffmannus, *Cellarius*. 1435. 1438. *Cantor*. 1441.

Heinricus Kinteleben. 1441.

Guntherus Basel. 1441. - 1449.

Idem etiam fuit Vicarius in æde S. Margaretæ.

Con-

Conradus Wendelmuth, *Cellarius.* 1448.

Iohannes Müllerus, *Cantor:* Tela matre natus. 1449.

Heinricus Francke, *Scholasticus.* 1472.

Hermannus Riemenschneider, *Cellarius.* 1473.

Iohannes Meldung. 1479.

Martinus Platfus, 1480. *Senior.* 1498. 1522.

Ludovicus (Iohannes) Köteling, (Kutling) *Qvæstor & Cellarius.* (itzo Semener und Kelner.) 1483. *Cantor, Qvæstor & Cellarius.* (Thum-Herr und Senger unser L. Frauen Stifft-Kirchen zu Gotha / auch itzo Rentmeister und Kelner des Stiffts.) 1487.-1498.

Iohannes Brodkorb, *Scholasticus*, (der würdige und Erbare Herr / **Johannes Brodkorb** / Thum-Herr und Schulmeister zu unser L. Frauen.) 1492.

Heinricus Hudevers. 1493.

Iohannes a Stotternheim. 1493.

Georgius Rus, *Scholasticus.* 1498.-1522.

Iohannes Clos.
Heinricus Lindener.
Daniel Sifridi.
Iohannes Schinkopf.
Nicolaus Dorfeld.
Paulus Missener. } 1498.

Conradus Mutianus (**Muth**) cognomento Rufus. Juris D. 1498.

Vir summe doctus: qvem Megalander Lutherus ad ipsum scribens, anno 1516. vocat, *eruditissimum & humanissimum, Doctorem Iurium, hoc est, optimum virum.* Habetur hæc epistola tomo I. latinarum Lutheri a Iohanne Aurifabro editarum, eandemqve claudit seqventibus verbis: *Vale, vale, optime pater in Domino Ihesu, & memor esto mei. Ex nostro monasterio Go-*

Gothensi 29. Maji Anno M. D. XVI. Frater Martinus Lutherus, Decanus Vicarius. In ipsa porro Epistola Luthero audit *Vir delicatissimæ eruditionis.* Non ignotus fuit Erasmo, qvi eum appellat, *Virum omni doctrinæ genere commendatissimum.* Prolixum ac elegans eius elogium scripsit Ioachimus Camerarius in *Vita Eobani Hessi*, qvod integrum afferemus. *Conradus Mutianus Ruffus, in sodalitio Ecclesiastico Gothæ degebat. Et cum esset nobili familia ortus, neqve non offerrentur occasiones illi amplissimorum honorum, qvod & fratrem haberet in Principis Cattorum aula primo loco, & ipse non modo animi ac corporis donis, sed Italica etiam disciplina commendaretur, splendori & opulentiæ fortunam exilem, & infra mediocritatem positam Gothani collegii prætulit. Abest autem Gotha Erphordia mill. pass. non amplius XII. Ad hunc primum a te Adame* (Crato: nam huic vitam Hessi inscripsit Camerarius) *adductus, sæpe prædicavi, ut scis, me illum cognovisse optimum & sapientia ac virtute præstantissimum virum. Dignitas in hoc erat summa, gravitas autem ea, qvæ ætatem & locum, qvem tenebat, deceret, commista illa qvidem cum comitate incredibili. Mirifice autem lætabatur, cum audiret sedulo operam dare literis juventutem, & qvibus rebus poterat in hoc spacio solebat incitare currentes: superstitionibus inimicus, & hospitalis in re tenui admodum: sed erga studiosos litterarum tantum. Nam aliorum fere omnium consvetudinem fugiebat, adeo ut nimis fuisse appetens ocii studiorum & tranqvillitatis hac in parte videri alicubi possit, qvam præscripto ædibus titulo, se arbitrari significabat, ubi & hoc versabatur elogium: Bonis cuncta pateant. --- Solebat Mutianus tum qvidem canus (nam annis gravis erat, cum ad eum primum veni, adolescentibus studiosis litterarum, qvi ad se visendum accessissent, proponere materiam, qvam scribendo elaborarent, & scripta postea emendare, & sæpe non admodum digna collaudare, ut hoc pacto ad diligentiam & curam studiorum excitarentur animi illorum. Erat autem festivissimo ingenio, & liberalibus jocis admodum delectabatur. Epistolas ad amicos scribebat diligenter. Genus autem erat sententiosum orationis & incisum: qvale est Politianicum, ad qvod in Italia erat assve-*

assvefactus. Rhythmis etiam ludebat interdum, cum qvidem versus faceret sat bonos. Divulgati qvidam fuerunt de improbitate simulantium religionem. Sed ipse neqve edidit suorum qvicqvam, neqve reliqvit (affirmante etiam hoc optimo & doctissimo viro Io. Marcello Regiomontano, qvi affuit cum moreretur, & in sua omnia illius potestatem habuit) qvod edi recte posset, & omnino se sua publicari nolle ajebat. Ac mihi percontanti aliqvando causam, qvamobrem tam pertinaciter premeret scripta sua, cum omnes arbitrarentur, & ego qvoqve putarem eum scriptionibus operam dare, ita fieri respondit: Qvia sua sibi nunqvam satis placerent, ideoqve malle se frui aliorum stultitia. Erat nimirum ei persvasum, non facere sapienter illos, qvi sua scripta facile emitterent in lucem: præsertim cum illis temporibus non emitterentur, sed evolarent undiqve omnis generis libri. Mortuus est Mutianus Gothæ rebus turbulentis in Germania, in dolore, ut apparebat, amissæ dignitatis & diminutæ rei familiaris, anno Christi Jesu M. D. XXVI. tertio Calen. Aprilis. Vir magnus, & probitate, integritate, virtute, sapientia, humanitate excellens, decus & ornamentum eorum, qvibus cum vixit, & patriæ, immo Germaniæ totius & seculi sui. Stigelius tum adolescens elegans Mutiano scripsit epitaphium, qvod habetur *Volumine II. Poematum pag. 587.* Idem epitaphium Camerario transmisit Stigelius, sic porro de Mutiano scribens: *Mutiani nomen jam celebre puer sum admiratus unice, de qvo qvidem audivi permulta cognitu atqve imitatione digna, qvæ successu temporis publica perturbatio mihi exemit e memoria.* Habetur hæc Stigelii in calce epistolarum Eobani a Camerario editarum. Meminit qvoqve ejus Illustris Dominus Seckendorfius in Opere *Anti-Maimburgiano.*

Wilhelmus de Gebesen, *Cantor.* 1522.
Daniel Sigfridi, *Senior.* 1522.
Iohannes Saltzmann. 1522. Obiit. 1528.

Anno 1500. Sacrarii S. Elisabethæ in arce plebanus fuit.

Mac-

Matthæus Wagner.
Iodocus Koch.
Thomas Ludovici. } 1522.
Gerhardus Saltzmann.
Melchior Saltzmann. 1526. (der jüngste Stiffts-Herr.)

§. IX. Anno CIϽ IϽ XXII. qvidam ex infima plebe Gothana, concitata adversus Canonicos non satis continenter viventes, seditione, eorum ædes expugnarunt, ac diripuerunt; a Friderico Sapiente Electore, & Iohanne Duce ob id puniti. 1522

Dresserus *de Vrbibus Germaniæ*, Ritterus *in Cosmographia Prosometrica.*

§. X. Anno CIϽ IϽ XXX. postqvam castrum Grimmensteinianum fortius cœpit muniri, templum cathedrale fuit dirutum. Sacra in Augustinianam, campanæ in S. Margaretæ ædem, organum musicum Friederichsrodam fuere translata. 1530

§. XI. Neque tamen plane sublatum fuisse Canonicorum Collegium, ex supplicibus qvibusdam intelligo.

Nam anno 1533. ad Iohannem Fridericum Electorem subscribunt: Unterthänige und gehorsame Stifftsverwandte und Befehlshaber/ samt alten Canonicken zu Gotha. Item an. 1536. Unterthänige und geh. Canonicken und Stiffts-Verwandten. Et an. 1538. Unterthänige *Canonici* und Stiffts-Verwandte Studenten des Stiffts. Anno 1534. in Canonicis adhuc reperio D. Valentinum Mos.

§. XII. Ædes cathedralis olim multis distincta fuit altaribus: qvibus certa adjuncta beneficia, qvæ *Vicarias* vulgo appellabant. Harum hæc fuere nomina. I. Vndecim millium virginum. II. Cosmæ & Damiani. III. Mi-

chaelis & Beatæ Virginis. IV. Qvatuordecim Auxiliatorum. V. Viperti & Bonifacii. VI. Catharinæ. VII. Catharinæ recentioris. (Neu Catharinen.) VIII. Corporis Christi. IX. Corporis Christi Iunioris. X. Gothardi, Iodoci, Luciæ, Otiliæ. XI. Decem millium militum. XII. Georgii. XIII. Vincentii. XIV. Iodoci & Otiliæ. XV. B. Virginis. XVI. S. Salvatoris. XVII. Laurentii. XVIII. Barbaræ. XIX. Alexii XX. SS. Trinitatis. XXI. Annæ. XXII. Annæ Iunioris. XXIII. Felicis & Adaucti. XXIV. Trium Regum. XXV. Vincentii. XXVI. SS. Apostolorum.

Hunc Indicem contraxi potissimum ex duobus Catalogis; quorum alter anno 1535. a Friderico Myconio Superintendente Gothano conscriptus. Qvia tamen unum altare interdum duobus, tribus, pluribusve Sanctis dicatum, facile exin error nasci potuit. Nos brevi, si vixerimus, accuratiora dabimus, &, si non omnium, plerarumqve tamen Vicariarum hujus ædis origines.

§. XIII. Ex Vicariarum possessoribus inveni seqventes.

Albertum Vynne, Vicarium altaris B. Annæ. 1356.
Nicolaum Sne. 1368.
Iohannem ab Espech. 1368. - 1376.
Heinricum Rentwig. 1473.
Iacobum Beringen. 1474.
Christianum Wucher. 1492.
Iohannem Wagner. 1502.

Plebanus audit 1504. Hic nondum vivere desiit an. 1527. qvo octoginta annos natus, per duos & qvinqvaginta annos sacerdotem egerat.

Matthiam Meier. 1503.

Erhardum Ritter: Nicolaum Götzen: Iohannem Schmidt: Iohannem Teybachium: Ludovicum Fischerum: Adamum Künen: Matthæum Vaner. anno 1522. & partim 1528.

§. XIV. Vltimi Vicariorum fuere:

Valentinus Meinhardus: Wernerus a Beuern, *Decanus Fritzlariensis:* Iohannes Schlotzhauer, *Decanus Isenacensis:* Ditericus Scholl, *Canonicus Erfurtensis*, & qvondam *Isenacensis:* Paulus Lappius: Leonhardus Prochsel: Guntherus de Heringen, *Canonicus Erfurtensis:* Iohannes Engel, *Sacerdos Heldrunganus:* Manto Herborn, *Canonicus Erfurtensis:* Iacobus Schak, *Decanus Heldrungensis*, infensissimus renati Evangelii hostis: Erhardus Ritter, qvi Gotha Mülhusium concessit: Matthæus Vahner: qvi an. 1533. Gotham deseruit: Iohannes Schmidt, *Vicarius item Erfurti:* Martinus Kirchner.

§. XV. Præterea ædes cathedralis certos, durante Papatu, habuit plebanos: ex qvibus mihi obvenere:

Nicolaus Thram. 1349. - 1363.

Anno 1349. vocatur Pfarrer zu unsir Vrowin zu Gotha: & anno 1357. *plebanus montis S. Mariæ in Gotha*: item anno 1360. *Pastor parochie S. Marie in Gotha*. anno 1361. Pfarrer zu unser Frauen / Capellan der Nonnen.

Fridericus de Sondirshusen, (Pfarner zu unser Frauen Kirchen.) 1374.

Hartungus, *Subrector Ecclesiæ S. Marie:* 1410.

§. XVI. Anno CIƆ IƆ XLIII. in gratiam præsidiariorum Grimmensteinii novus vocatus est Ecclesiastes, *Laurentius Vsinger;* quem exceperunt *Ioachimus Stigelius*, & *Iohannes Weidmannus*, Melchioris Superint. Gothani frater. 1543

§. XVII. Ex curatoribus Ecclesiæ cathedralis (Altar-Lüte der Pfarr unser Lieben Frauen zu Gotha) reperi *Guntherum Freitag*, & *Heinemannum Gürteler*, anno CIↃ CCCC LXXII. *Heinricum Karg*, & *Iohannem Brengbier*, anno CIↃ CCCC LXXIII.

CAPVT IV.

DE MONASTERIO S. CRVCIS EXTRA VRBEM, EIVSQVE ABBATISSIS, MONIALIBVS, MEMORABILIBVS.

§. I.

Monasterium monialium S. Crucis Ordinis Cisterciensis, extra vrbem, non procul tamen a mœnibus, eo fuit situm loci, vbi nunc habet cœmeterium, inqve hoc constructa ædes sacra.

Hinc passim vocatur Monasterium *apud Gotham; prope Gotham; extra muros.*

§. II. Conditum illud fuit circa annum Christi
1251 CIↃ CC LI. ab Henrico Sezzephant de Sibeleben, & Burchardo de Lura.

Hi enim nominantur fundatores in Notitia *Theoderici de Gotha*, & fratrum ejus, *Iohannis & Hermanni*, qvi iisdem & Conventui Sanctimonialium vendiderunt *allodium suum apud Gotham, cum omnibus eidem allodio attinentibus, & villula Rode*, (das Rödichen: ad viam sita, qvæ Fridericovvertham ducit) *simul & Ecclesiam S. Crucis cum dote attinenti, tum propria, qvam illa, qvam in feodo possederant a Landgravio.* Id qvod factum anno Domini 1251. Vt igitur non diu ante conditum fuisse, admodum sit verosimile. Ex eadem etiam Notitia appa-

ret,

ret, unde monaſterio nomen: nempe ab æde, qvæ haut procul fuit, cognomine. Ipſa Notitia ſic habet:

Ego Theodericus de Gotha, & fratres mei Iohannes & Hermannus literis præſentibus innoteſcimus omnibus has audituris & viſuris, qvod parentum noſtrorum, & heredis noſtri Hermanni accedente conſenſu vendidimus conventui ſanctimonialium ſancte Crucis apud Gotha & fundatoribus earum Henrico Sezzephant de Sybeleibe & Burkkardo de Lura allodium noſtrum apud prædictam civitatem cum omnibus eidem allodio attinentibus, & villula Rode, ſimul & Eccleſiam S. Crucis cum dote attinenti, tam propria, qvam illa qve in feodo poſſedimus a Domino Landgravio Thuringorum. Inſuper hec omnia reſignavimus coram Domino Rudegero Advocato de Arnſtedt & Heinrico de Oſtheim tunc temporis Sculteto in Gota, preſentibus etiam multis aliis fide dignis cum literis noſtro ſigillo roboratis, & teſtimonio ſubſcriptorum. Teſtes Scabini civitatis Dominus Helberus Rizoberg, Wicelo Longus, Dominus Hertwicus, Dominus Cunradus de Wigeleiben, Heinricus Volucris, Dominus Ludewicus de Wechmar, Dominus Kunemundus Senior de Malsleiben, Dominus Heinricus de Baldeſtete. Dat. Anno Domini M CC LI.

§. III. Theodericum illum de Gotha non alium eſſe, qvam Theodericum de Tulſtet, ex inſcriptione cujusdam Notitiæ colligo. At vero hujus Theoderici filiorum unus ſe ipſum vocat Hermannum de Künendorf, cujus fratres fuere Theodericus & G. qvorum ſcriptum de compoſitione cum S. Crucis monaſterio facta affero.

Qvoniam actiones humanas poteſt ſucceſſus temporum abſorbere, litterarum firmitate ſolidentur. Ego Hermannus de Künendorf & fratres mei Theodericus & G. recognoſcimus tenore preſentium ad univerſorum Chriſti fidelium tam preſentium qvam futurorum noticiam cupimus pervenire, qvod omni juri & actioni qve nobis competere poterant & noſtris heredibus in his bonis qve pater noſter Th. bone memorie cenobio Sancte Crucis aput Gotha rite & rationabiliter vendidit, ſeu infeudata, ſive propria eadem bona fuerint, & ſi etiam

post emptionem aliqvis areas vel aliqva alia bona nostra feodalia comparaverint renuntiamus & renunciavimus liberaliter & sincere coram judice provinciali H. de Hirsingerode & Gis. Sculteto. Ita qvod prefatum cenobium & rectores ibidem Domino famulantes a nobis nec ab aliqvibus heredibus nostris vel successoribus impetitionem sive inqvietationem pro eisdem bonis vel etiam pro prebenda unqvam de cetero aliqvaliter debeant sustinere: sed potius tam in hiis bonis, qvam etiam in aliis ipsam ecclesiam volumus promovere. Pro hujusmodi tractu & ordinatione a predicto cenobio recepimus qvinqve marcas. Vt autem hec nostre liberalitatis denatio & renunciatio rata permaneat omni tempore, omni evo, literam presentem desuper dedimus sigillo patris nostri Th. qvia proprio sigillo caremus, & sigillo judicis provincialis nec non sigillo Prepositi de Vchterishusin, insuper sigillo civium de Gotha communitam. Sub testimonio omnium, qvorum nomina subsecuntur. Dns. H. de Hirsing. Dns. Heinricus Prepositus de Vchterishusin, Giselherus Con. scultetus, Heinricus de Masleiben, Heinricus de Baldestete, Heinricus de Clebere, Heinricus Wendepaffe, Reinhardus de Vlleiben, Th. de Sybeleiben, Heinricus de Indagine. Cives Heinricus Rose. H. Willekume, B. Grozhaubit, Hartungus Wirsink, Hartungus de Tuteleibn, Gun. Monetarius, Volmarus Monetarius, Sifridus Windeschmann & alii qvam plures. Acta sunt hec anno Domini M CC LXXXV. feria qvarta post Reminiscere.

§. IV. Eodem anno CIↃ CC LI. cum Theodericus iste novo monasterio qvinqve mansos, qvos ab Henrico Illustri in feudo tenebat, dimittere vellet, Henricus ille Marchio & Landgravius resignationem factam seqventi diplomate approbavit.

Heinricus *Dei gratia Missenensis & Orientalis Marchio, Touringorum Lantgravius & Saxonum Comes Palatinus omnibus in perpetuum. Cum nostrum sit desiderium & voluntas, ea omnia promovere, in qvibus pietatis opera exercentur, notum esse volumus Christi fidelibus universis, qvod considerantes inopiam sanctimonialium ordinis beate Katherine conversantium rite in Gotha eisdem & earum*

rum cenobio qvinqve manſos ſitos apud civitatem noſtram Gotha, quos Th. miles de Gotha in foeodo tenebat a nobis, & nobis multis preſentibus reſignavit, dedimus principaliter propter Chriſtum. volentes eosdem manſos ipſas Dominas cum omni utilitate qve rite eisdem ineſt vel in futurum ineſſe poterit perpetuo poſſidere. Ne autem hujusmodi donatio noſtra proceſſu temporis eisdem ſanctimonialibus per aliqvem malignantium infringi valeat vel immutari, ſuper his eis dari fecimus in teſtimonium preſens ſcriptum ſigilli noſtri munimine roboratum. Acta ſunt hec apud Tarantum Anno Domini M. CC. LI. XVIII. Kalen. Auguſti. Hujus rei teſtes ſunt Comes Hermannus de Heninberc frater noſter, Comes Theodericus de Berka, Burchardus, Hermannus de Novo caſtro, Fridericus Senior & Fridericus Junior fratres de Drivorte, Bertochus dapifer de Slatheim, Albertus de Hbirsleve, Cunemundus de Mila, Hugo de Salza, Albertus Dapifer de Burne, Helwicus Marſcalcus noſter de Gotha, & alii qvam plures.

§. V. Abbatiſſarum nomina qvæ reperire licuit, ſubjicio.

J. (forte JVTTA.) (*Miſeratione divina dicta Abbatiſſa.*) 1258.
C. (an CATHARINA?) 1272.
KVNEGVNDIS. 1292.
AGNES. 1299. - 1321.
GERTRVD. 1322.
GVTELA. 1328.
JVTTA. (an eadem cum GVTELA?) 1332. - 1343.
GERTRVD. 1344. - 1349.
THELA. 1350.
MARGARETA WILLEKOMEN. 1357. - 1365.
CHRISTINA DE GOLDBACH. 1368. - 1374.
GERTRVD LEITENBERGIA. (Leythpergen) 1384. - 1404.

IOHANNA. 1418.
ELISABETHA (Elſa) DE BERNWALDE. 1431.
CHRISTINA. 1468.
CATHARINA DORNHEIM. 1472.
OSANNA GANNERS. 1484.-1490.
MARGARETA. 1523.

§. VI. Succedit monialium, qvæ ad meum conſpectum venere, memoria.

Adilheida de Gelinden: ſoror uxoris Hermanni Iunioris, Camerarii de Vanre. 1292.
N. filia Heinrici Wiſvverck, Coſ. Gothani. 1310.
Catharina: cujus matertera erat Gertrud de Wechmar. 1322.
Qvatuor virgines ex nobili gente Wangenheimia. 1326.
Tres virgines ex nobili gente Malsleibia: qvarum pater Konemundus, avus Eberhardus. 1326.
Iutta, *Prioriſſa*. 1332.
Adelheit de Arnſtet. *Cameraria*. 1333. 1350. Frau in dem Cloſter zum Heil. Creutz.
Adelheit de Eſcheleiben. 1333.
Catharina de Seberg: cujus ſoror erat *Gertrud*. 1334.
Mechtild de Frunſtet (Frimſtet) *Prioriſſa*. 1338.
Gertrud de Sibeleben, *Cellaria*. 1338.
Duæ filiæ ſtrenui viri Sybotonis Knut, caſtrenſis in Mulburg. 1343.
Mechtild, *Prioriſſa*. 1344.-1362.
Catharina de Bonſtet.
Tela de Butſtet.
Cunegunda (Kunne) &
Eliſabetha de Kirspeleben. } 1349.

Mar-

Margareta Willekumen. a. 1350. qvo Tela Abbatissa eam vocat *nostræ professionis & observantiæ filiam*.
Elisabetha de Wangenheim. 1354.
Catharina, & Agnes de Sonneborn. 1358.
Tela de Arnstet. 1358.
Euphemia & Iohanna, Christiani (Kirstani) Scharffenstein de Goldbach, & Catharinæ, filiæ. 1362.
Ostirhilda, *Priorissa*. 1370.
Catharina Gressin, *Priorissa*. 1371.
Catharina de Bonstet, Diterici, civis Erfurtensis soror. 1374.
Euphemia de Scharffenstein, *Custrix, Sacrista*. *1384. 1388*.

Isentrud de Lengefeld, *Infirmaria*.	1384.
Cunigunda Leythbergen, *Capellana*.	
Cunigunda Vynnen, *Subcapelana*.	
Catharina Greters, *Subpriorissa*.	
Hempele de Folckstete, *Subcelleraria*.	
Gertrud de Sibeleben, *Subcameraria*.	
Anna de Scharffenstein, *Subcantrix*.	
Margareta de Krauvvinckil, *Subcustrix*.	

Agnes, *Priorissa*. 1388.
Cunigunda Heygen, Bertholdi, civis Gothani filia. 1449.
Margareta Metteners. 1449.
Catharina, *Priorissa*. 1468.
Margareta, *Cellaria*. 1468.

Margareta Großkurdin.	1468.
Elisabetha Kremerin.	
Catharina Sanderin.	

Catharina, *Priorissa*. 1472.

§. VII. Id miror, ex Præpoſitis hujus cœnobii me neminem reperiſſe: niſi qvis dicere malit, horum vices ſuppleviſſe Abbates Georgenthalicos. His enim ex certo qvodam privilegio datum, monaſterio S. Crucis de ſpirituali regimine, de procuratore etiam ac ſcriba, proſpiciendi: id qvod anno CIↃ CCCCLXXXVI. confirmarunt Fridericus Elector, & Iohannes, fratres Duces Saxoniæ.

Conqveſtus ſcilicet erat Nicolaus Abbas, qvod ſe neſcio ac inconſulto, Fridericus a Witzleben, præfectus Gothanus novum monaſterio S. Crucis procuratorem dederit. Hoc licet Fridericus excuſaret, & neceſſitate ſe ad id compulſum, ob peſſimam anteceſſoris adminiſtrationem, oſtenderet; in poſterum tameu non amplius id locum ut haberet, ſed Abbati ſua jura ſarta tecta permanerent, perfecerunt Principes: modo hæc omnia fierent præſciis Ipſis, Præfecto, & Senatu Gothano, ac qvotannis Abbatiſſæ, præſente Præfecto ac duobus Senatoribus, rationes œconomiæ redderentur. At qvia *Domus Præpoſituræ* memoratur, Præpoſitos in eadem egiſſe, aliqvis ſuſpicetur.

§. VIII. Alioqvi Auguſtinianorum monachorum erat, ſingulis hebdomadis ſermones ſacros habere in monaſterio: pro qvo certum ipſis reddebatur ſalarium. Hoc cum monachis aliqvamdiu negaretur, officium facere noluerunt, donec per Nicolaum Kaltſteten Coſ. & Heinricum Materſteck, Senatorem Gothanos, res amice componeretur anno CIↃ CCCCLXIII.

Qvæ ſuperat de eo Notitia, integram cenſuimus adſcribendam.

Wir von Gots Gnaden Kathrina Dornheim Eptißin/ Kathrina Priorissa, und gantze Sampnunge des Closters zum heiligen Creutze/ ußwendig der Stat Gota Graws Ordens bekennen für uns und alle unser Nachkomen / gein allen den/ die diesen Brieff sehin/ hören oder lesen/ nach dem

die

die innigen und Gots andechtigen Herren und Veter/ Prior und Sampnunge des Closters Sanct Augustini Ordens Heremitarum daselbs etliche Predigate und Staciones in vergangenen Czyten in unserm Closter gehalten haben/ wie das etliche unser Hofemeister sich gein yn mit den Almusen und andern Sachin unwillig betzeigt habin/ dorumb jn solche Staciones fürder tzu helden sere swere weren/ und fürder nicht helden wulden/ Also ist durch die Ersamen Wisen Er Clausen Kalstetin Ratismeister und Her Heinrichen Materstecf Rathman und unsers gnedigen Herren von Sachsen Müntzmeister daselbs unser Vormunden/ durch Verwilligunge beyder Parthie verteydingt/ daß die andechtigen Veter/ Prior und Sampnunge egenant solliche Staciones und Predigte in unserm Closter/ noch older Gewonheit/ als nemlich zcu der ersten Vesper/ und zcu den Messen beyder Feste des heiligen Crutzes/ und uff unser Kirmesse und Aplaßtag/ und die Wochen darnach ye über den andern Tag zcu der Messe und auch uff den achten Tag unsers Aplas nach aldem Herkommen helden sullen. Das aber dieselbin Hern und Veter sulcher Arbeit und guter Werke nicht unbelont bliben/ und nicht undangbar funden werden/ sulden und wullen wir obgenanten Eptißin und Sampnunge den megnanten Priori und Sampnunge zwei Malder Korns Gotisch Maß ierlichin uff Michaelis gebin/ und gutlichin an Verzug uff unserm Steinhuse betzalen. Wurden wir aber an solcher tzweyer Malder Korns betzalinge sümig/ und die/ wie obgerürt ist/ nicht gebin/ sulden die vielgnanten Veter/ Prior und Sampnunge uff solche Predigte und Stationes ungedrungen und unverpflicht sin/ des wir uns in diesem Verteydinge verpflicht und verwillet habin/ on Geverde und Argelist. Des zu merder Sicherheit und waren Bekentniß haben wir Kathrina Eptischin und gantze Sampnunge obgnant unser Eptye und Sampnunge Sigilla an diesin uffin Brieff wissentlich thun hengen. Der gegebin ist nach Christi unsers liben Herrn Geburt tusent vir-
 hundert

hundert / und in zwei und sebintzigsten Jaren am Dinstage nach Iudica in der heiligen Vasten.

§. IX. In his igitur monachis proculdubio fuere, qvi *Capellani*, item *Confeſſores monialium* dicuntur: ex qvibus Bertholdus de Wechmar, & Eccardus de Francken-huſen, anno CIↃ CCCXXXVIII. Fridericus & Conradus de Saltza, annis CIↃ CCCLVII. & ſeqventibus, (Herr Friedrich von Salza unſe Bichtiger / Herr Conrad von Saltza / ſin Compan: & hic qvoqve eorum *Cantor*, ihr Sang-Herr vocantur:) Bertholdus Schafferad, anno - LX. LXI. Helevvigus de Heiligenſtat, ejusqve ſocius Hartungus, anno - LXXXV. Sigfridus Gotheling anno CIↃ CCCXCVII. laudantur.

§. X. Rebus monialium œconomicis præfectus erat Procurator (Hoffmeiſter): qvem interdum clericum, qvandoqve & civem Gothanum fuiſſe puto. Præterea habuit monaſterium certos tutores: qvi Germanice Vormünder des Gotteshauſes der Cloſterfrauen zu dem Heiligen Creutz vocantur. Ex illis reperi Ludolphum, 1299. Heinricum Lancophium, anno 1321. & eundem, ſive alium gemini nominis 1348. Albertum Landmann, 1335. Heinricum de Aspech, 1338. Güntherum de Grützen, 1351. 1354. Heinricum Kleinekouf, 1357. Cunradum de Ilmene, 1358. 1362. Cunradum de Ordorf, 1360. Heinricum de Goldbach, 1358. Heinricum Körner, 1397. Iohannem Ruthardum, 1448. (der Erſame weiſe Mann / Hans Ruthart / Hoffemeiſter des Cloſters zum heiligen Creutz:) Iohannem Krondel, & Iohannem Haldeck, 1465. Scriba monaſterii anno 1427. erat Albertus Möllerus.

§. XI. Iam repetam memorabilia ad hoc monaſterium
1253 pertinentia. Nimirum cum anno CIↃ CCLIII. Theodericus de Tullſtet ſex manſos proprios monaſterio conferret,

Hein-

Heinricus Illuſtris, Miſniæ Marchio, & Thuringiæ Landgravius id confirmabat, ſeqventi præcepto.

Nos Heinricus Dei gratia Miſſenenſis & Orientalis Marchio, Thuringorum Landgravius, & Saxonum Comes Palatinus, recognoſcimus & tenore preſentium poteſtamur, qvod noſtre voluntatis exiſtit, ut Theodericus de Tulleſtete monaſterio Sanctimonialium in Gotha ſex manſos conferat & relinqvat, qvos idem Th. jure proprietatis dinoſcitur poſſediſſe. Datum Wizenvels Anno Domini M. CC. LII. VII. Idus Auguſti.

§. XII. Anno CIↃ CCLIII. Gerhardus Archiepiſcopus Moguntinus hoc monaſterium in ſuam recepit clientelam. 1253

Archiepiſcopale privilegium ita habet: *Gerhardus Dei gratia, ſancte Moguntine ſedis Archiepiſcopus, Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius, dilectis in Chriſto Prioriſſe & Conventui monaſterii in Gotha Cyſtercienſis Ordinis, Maguntin. Salutem in Domino. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota qve a rationis tramite non diſcordant, effectu proſeqvente complere. Eapropter dilecte in Domino filie juſtis veſtris ſupplicationibus grato concurrentes aſſenſu perſonas veſtras in locum in qvo divino eſtis obſeqvio mancipati, cum familia & omnibus bonis veſtris qve in preſentiarum habetis, aut in futurum juſtis modis preſtante Domino poteritis adipiſci, ſub beati Martini & noſtra protectione ſuſcipimus & preſentis ſcripti patrocinio communimus. nichilominus eximentes vos, locum & familiam veſtram a parrochiali Eccleſia, ſic ut ſitis omnino exempte & libere penitus ab eadem & poſſitis pro neceſſitate veſtra facere vobis divina officia celebrari per Clericos ſeculares. Preterea indulgemus vobis, ut libere gaudeatis omni libertate pariter & honore in perſonis & rebus qvo gaudent alii conventus veſtri ordinis per dioc. Magunt. Nulli igitur omnino hominum liceat hanc noſtre conprotectionis paginam infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si qvis autem hoc attemptaverit, indignationem omnipotentis Dei ſe noverit incurſurum.*

rum. Datum Erfordie anno Domini M. CC. LIII. VIII. Kl. Maji. Pontif. nostri anno tercio.

1257 §. XIII. Anno CIↃ CCLVII. Heinricus Comes Schvvartzburgicus bona qvædam in villa Goldbach a Ludolpho de Stuternheim emta monasterio assignat.

Notitiam Comitis affero: *Ego Heinricus Comes de Swarzburc universis ad qvos hec littere pervenerint cupio esse notum, qvod bona illa qve conventus Sanctimonialium in Gotha emit erga Dominum Ludolphum de Stuternheim & uxorem suam & qve sita sunt in villa Goltpach, & qve ego habui in mea potestate ad manum qve vulgariter Salman appellatur, cum omni jure & utilitate qvibus ego predicta bona hactenus tenui, presente Comite Hermanno de Heninberc Illustri qvi nunc judex provincialis existit, eidem conventui dedi libere assignando. Dicti qvoqve Ludolfus & uxor ejus similiter dederunt predicto conventui omne jus suum qvod in predictis bonis aliqvaliter habuerunt. Hujus rei testes sunt Illustris Comes Hermannus de Heninberc, Dominus Fridericus de Drivorte junior, Helwicus Marscalcus de Goltpach, Hermannus Stranz de Tullestete, Th. de Gotha, Wernherus de Ostheim, milites. In cujus rei testim. presens scriptum sigilli mei munimine roboravi. Acta sunt hec anno Domini M. CC. LVII. post octavas Pentecostes.*

1258 §. XIV. Anno CIↃ CCLVIII. I. Abbatissa a Burchardo Comite de Brandenberg molendinum, piscinam, & jus patronatus Ecclesiæ in Goldbach accepit.

Ex duabus tabulis Burchardi præcipua repetam. Et ex priori qvidem seqventia: - *Nos Comes Burchardus de Brandeberc heredum nostrorum accedente consensu jus patronatus Ecclesie parrochialis in Goltpach, molendinum qvoqve ibidem situm cum pratis attinentibus Ecclesie S. Crucis juxta Gotha contulimus libere ac perpetuo possidendum. Et ut hoc factum inconvulsum maneat atqve ratum, presentem paginam conscribi fecimus sigillo nostro & Domini Friderici Senioris de Drifurthe, nec non & fratrum de Mila, Kunemundi videlicet Hermanni ac Wezelonis qvi interfuerunt tracta-*

tractui, roboratam. Hujus rei testes sunt Hartungus Herwici, Witulo Longus, Hartungus Gerbotonis, Heinricus de Wandesleiben cives de Gotha, & alii qvam plures. Acta sunt hec & consummata anno Dominice incarnationis millesimo CC LVIII. Indictione prima, feria qvinta ante Margarete. Ex posteriori autem ista: *Nos Burkardus de Brandenberg Comes --- de libero consensu heredum nostrorum qvandam partem proprietatis nostre, videlicet molendinum cum piscina adjacente cum qvodam pratiolo qvod situm est inter piscinam & pratum heredum Gerhardi, qve omnia sita sunt in Goltpach cum jure patronatus Ecclesie baptismalis ejusdem ville jure proprietatis contulimus monasterio S. Crucis ordinis Cyst. apud Gotha. Et vere dicimus, qvod nunqvam aliqva bona nostra sita in Goltpach ab aliqvo in feodo habuerimus, nec recipere debebamus. Vnde de dictis bonis vvarandiam facimus monasterio memorato. - - Hujus rei testes sunt Hartungus Hertwici, Witulo Longus, Hartungus Gerbotonis, Heinricus de Wandezleiben, cives de Gotha, Dominus Fridericus senior de Drifurte, nec non & fratres de Mila, Kunemundus videlicet, Hermannus ac Wezelo, qvi contractui interfuerunt. Acta sunt hec & consummata anno Domin. Incarnationis Millesimo CC LVIII. Indictione I. feria qvinta ante Margarete.*

§. XV. Hanc Brandenbergensis Comitis resignationem anno CIↃ CCLXII. confirmavit Wernerus Archiepiscopus Moguntinus.

Archiepiscopi confirmationem subjicio: *Wernherus Dei gratia sancte Maguntine sedis Archiepiscopus Sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius Dilectis in Christo Abbatisse & Sororibus monasterii sancte Crucis in Gotha Cystercienfis ordinis Maguntin. diocesis salutem in Domino. Iustis petentium votis dignum est nos facilem prebere consensum, & desideria qve a rationis tramite non discordant, effectu proseqvente complere. Ea propter dilecte in Domino filie justis vestris precibus inclinati, jus patronatus ecclesie & molendinum ville in Goltpach qvod nobilis vir Comes de Branderberch nobis & monasterio nostro per vos contulit intuitu pietatis*

pro remedio peccatorum ſuorum ſicut juſte & pacifice poſſidetis, vobis auctoritate preſentium confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si qvis autem hoc attemptare præſumſerit, indignationem omnipotentis Dei noverit incurſurum. Datum apud Aſſcafenburg anno Domini M. CC. LXII. II. Non. Ianuarii.

§. XVI. Imo & ipſe Alexander V. Pontifex Romanus monaſterio S. Crucis hæc bona confirmavit, ſeqventi bulla.

Alexander Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſſe & ſororibus monaſterii ſancte Crucis apud Gotham Ciſtercienſis ordinis Moguntin. dioc. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Iuſtis petentium deſideriis dignum eſt nos facilem prebere conſenſum, & vota qve a rationis tramite non diſcordant effectu proſeqvente complere. Ex tenore ſiqvidem veſtre petitionis accepimus, qvod dilectus filius nobilis Vir Comes de Brandeberg jus patronatus Eccleſie ac molendinum de Goltpach tunc ad eum ſpectantia vobis de aſſenſu diœceſani loci pia & provida liberalitate conceſſit, prout in patentibus litteris confectis exinde plenius dicitur contineri. Nos itaqve veſtris ſupplicationibus inclinati, qvod ab eodem Nobili ſuper hoc pie ac provide factum eſt, ratum & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtre confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si qvis autem hoc attemptare preſumſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagnie V. Id. Maji Pontificatus noſtri anno qvinto.

§. XVII. Idem porro Comes Burchardus monaſterio adſcripſit aream qvandam in Goldbach, qvam antea Vlricus Altmannus feudali jure poſſederat.

Præceptum, in qvo tamen anni ac diei nota ſunt omiſſa, repeto.

Nos Burkardus Comes de Brandenberg omnibus ad qvos preſens ſcriptum.

ptum pervenerit, volumus constare, qvod qvandam aream in Goltpach adjacentem allodio Conventus S. Crucis apud Gotha, qvam olim Vlricus Altman in feodo a nobis habebat, & coram nobis dinoscitur resignasse, eidem conventui cum consensu heredis nostri Alberti contulimus commutando, libere perpetuo possidendam. Et in hujus rei firmitatem presentem paginam scribi fecimus nostro sigillo roboratam.

§. XVIII. Præterea anno CIↃ CC LXIII. idem Comes, acceptis XX. marcis argenti, & certo qvodam censu, denuo renuntiavit bonis illis in Goldbach.

Scriptum Comitis integrum adscribam. *Notum sit omnibus presentem paginam inspecturis, qvod nos Burchardus Comes de Brandenberc super dissensione inter nos & Sanctimoniales aput Gotha ordinis Cysterc. habita de bonis sitis Goltpach scilicet molendino & piscina adjacente octo qvoqve mansis sitis ibidem cum arbustis, pratis & pascuis attinentibus, sex etiam mansis sitis Hostheim concordavimus in hunc modum: videlicet qvod super emptione jam pridem facta nobis denuo XII. marcas argenti, duas meisas allecis, XX. maldra caseorum, qvatuor botos detulerunt. Preterea tunicam griseam & botos duos singulis annis nobis dabunt. Nos autem omni actioni in predictis bonis & proprietate una cum heredibus nostris plane abrenuntiamus, sicut constat antea nos fecisse. Vt autem hoc factum inconvulsum maneat atqve ratum, presentes litteras conscribi fecimus nostro sigillo & Domini Friderici junioris de Drifurthe munitas. Hujus rei testes sunt Giselberus Prepositus de Ellende, Fridericus junior de Drifurte, Cunradus miles de Rode, Erfo de Iochesberc, Bertoldus de Holzhusin, Th. de Salmanshusen, Bruno & Meinfridus fratres de Cruzeberc, & alii fide digni. Acta sunt hec anno Domini M. CC. LXII. Die Vincentii Martiris.*

§. XIX. Anno CIↃ CC LIX. moniales accipiunt aream 1259
domui ipsarum vicinam, qvam antea cellarius Landgravii possedit.

Nos Th. Dei gratia Thur. Landgravius. Qvia ea qve geruntur in tem-

tempore in dubium venire possunt temporum intervallis, oportet ut verborum series scriptis confirmetur. Notum facimus universis & tenore presentium publice protestamur, qvod in remissionem peccaminum nostrorum conventui Sanctimonialium S. Crucis aput Gotha aream qvandam domui ipsarum vicinam cellario nostro hactenus attinentem jure proprietatis contulimus perpetuo possidendam. Et ut hoc factum inconvulsum maneat, præsens scriptum nostri sigilli munimine fecimus communiri. Datum apud Gotha anno Domini M CC LVIIII. Non. Maji. Testes sunt Fridericus de Drivorte, Heinricus Camerarius de Vanre, Albertus de Herversleiben, Kunemundus de Slatheim, Th. de Tullestete, & alii qvam plures.

1263 §. XX. Anno CIↃCCLXIII. Albertus Landgravius monasterio confirmat donationem dimidii mansi a Bertholdo Groshaupt factam.

Alberti præceptum his est conceptum verbis: *In nomine sancte & individue Trinitatis, Amen. Albertus Dei gratia Thur. Lantgravius & Comes Saxonum Palatinus universis Christi fidelibus salutem in ipso salutis auctore. Testamentum suum non recte disponit, qvi terrenis tantum testatur heredibus, & non facit Christum sue substantie coheredem. Hinc est qvod notum esse cupimus universis tam presentis temporis qvam futuri, qvod proprietatem dimidii mansi in pago Gotha siti ecclesie & conventui sanctimonialium in Gotha dedimus perpetuo liberaliter possidendam: qvem dimidium mansum Bertoldus civis noster de Gotha dictus Grozhaubet eidem Ecclesie de suo dedit & coram nobis in publico resignavit. Ne igitur donatio prefata valeat a nobis vel aliqvibus nostris Successoribus aliqvaliter immutari, presentem litteram conscribi jussimus, & sigilli nostri munimine roborari. Hujus rei testes sunt Dominus Fridericus senior de Drivorte, Dominus Timo de Liznic, Dominus Th. de Tullestete, Dominus Heinr. de Glizberc, Dominus Helwicus de Glotpach (forte Goltpach) Gerhardus Notarius curie nostre, & alii qvamplures homines fide digni. Acta sunt hec in Gotha anno Domini M. CC. LXIII. VII. Kl. Iulii.*

§. XXI.

§. XXI. Idem Landgravius eodem anno proprietatem alicujus mansi monasterio adscripsit seqventi præcepto.

In nomine sancte & individue Trinitatis, Amen. Albertus Dei gratia Thur. Lantgravius & Comes Saxonum Palatinus universis Christi fidelibus tam futuris, qvam presentibus salutem in eo qvi est omnium vera salus. Cum humane conditionis memoria sit labilis penitus & inconstans, necesse est, ut eidem scripturarum testimonio succurratur. Nos ergo notum facimus universis & recognoscimus literam per presentem, qvod proprietatem mansi cujusdam in pago Gotha siti Ecclesie sancte Crucis Sanctimonialium apud Gotha in proprium dedimus perpetuo possidendam: qvem inquam mansum pater noster dilectus Misinensis & Orientalis Marchio Domino Bopponi de Lapide pro qvadam summa pecunie dinoscitur obligasse, & idem Dominus Boppo ulterius infeodasse dinoscitur Hermanno filio Kummereri. Qvod feudum nobis esse recognoscimus ab utroramqve manibus resignatum. qvem etiam mansum per conseqvens Heinricus Burgensis noster de Gotha dictus filius Domine Rose dinoscitur pro sua pecunia comparasse. Ob cujus tam specialem instantiam & amorem prelibatam proprietatem dedimus gratia Sancti Spiritus annuente. Hujus rei testes sunt Dominus Heinricus Advocatus de Glizberc, Dominus Heinricus de Reschiz, Dominus Th. de Tullestete, Dominus Heinr. de Sconemberc, Gerhardus curie nostre Notarius, & alii qvamplures Clerici & Laici fide digni. In cujus etiam rei testimonium presens scriptum dedimus sigillatum in Gotha Anno Domini M. CC. LXIII. XVII. Kal. Novembris Indictione septima.

§. XXII. Eodem anno Guntherus Comes de Schvvartzburg jus proprietatis in tribus mansis in Goldbach ac in monte Cronberg monasterio resignat.

Formula resignationis ita habet: *Ego Comes Guntherus de Swarzburc recognosco omnibus ad qvos presens scriptum delatum fuerit, qvod ego uxor mea liberiqve mei jus proprietatis, qvod in tribus mansis sitis in Goltpach ac in silva in monte qvi Cramberc dicitur*

sita habuimus, resignavimus eadem bona jam pretaxata claustralibus sancte Crucis in Gotha voluntarie sibi conferendo. Testes vero hujus rei sunt H. de Gruwzen, Otto frater suus, Bertoldus de Ischerstete, Beringerus Camerarius, Kunemundus de Vanre, & alii qvam plures. Datum Erford Anno Domini M. CC. LXIII. in die sancti Albani.

1264 §. XXIII. Anno CIↃ CC LXIV. Elisabetha Abbatissa Notitiam perscribi fecit, qvod Vlrici cujusdam vidua a monasterio recognoscat domum Arnstadii sitam, qvotannis talentum ceræ solventem.

Abbatissæ Notitia seqvitur: *In nomine sancte & individue Trinitatis. Elisabet dicta Abbatissa Sanctimonialium cenobii sancte Crucis prope Gotha. Qvum volubilitate temporum labuntur universa, necesse est scripto redigi, qvod tenera neqvit hominum memoria conservare. Eapropter nosse damus omnibus tam presentibus qvam post futuris ex hujus paginule tenore, qvod relicta Vlrici, nec non ipsius heredes curiam unam in Arnstete a nobis feodaliter possideant, talentum cere in purificatione beate Marie virginis annuatim exinde soluturi. Cujus in testimonium confederationis presens scriptum sigilli nostri munimine roboravimus. Testes sunt hii, Cunradus Monetarius, Sifridus Palatinus, & ejus filius Albertus, Guntherus Ronimannus, Ekehardus & Heinricus Ekehardi filii, verum alii qvam plures hoc firmiter attestantes. Acta sunt hec anno Dominice Incarnationis M CC. LXIII.* Hæc ipsa Vlrici vidua vocabatur *Engilbergis*, annoqve LXXVII. jam fatis concesserat. Tum enim illa domus ab ejus filiis, sive etiam nepotibus (sic vocantur in Notitia:) pro XXIX. marcis vendita fuit Cunrado cognomento Scholari: qvi & eandem domum a monasterio Sancte Crucis in feudum recipit: id qvod Notitia burgensium in Arnstete V. Nonas Octobris data testatur. *In nomine sancte & individue Trinitatis. Nos Henricus Sacerdos, Cunradus Monetarius, Henricus Geh- - - Sifridus Palatinus, Albertus filius ejus, Guntherus Ronmannus, Hermannus Ronmannus, Vlricus Meichthildis,*

dis, Henricus & Ekehardus fratres burgenses in Arinstet. Quod temporum volubilitate labuntur universa, necesse est scripto redigi, quod certa nequit hominum memoria restaurare. Ea propter firmiter attestamur, Cunradum cognomento Scolarem, nec non ipsius heredes feodaliter suscepisse a conventu Sanctimonialium prope Gotha, curiam unam apud nos sitam solventem annuatim talentum cere, quam ceram solvet predictus C. aut ipsius heredes in purificatione beate Marie. Scimus ac protestamur predictum Cunradum comparasse eandem curiam XXVIII. marcis a nepotibus bone memorie Vlrici Egilbergis ipsis publice resignantibus cum eis relicta ipsius & materna. Acta sunt hec anno gratie M. CC. LXVII. V. Nonas Octobris.

§. XXIV. Anno CIↃ CC LXV. Albertus Landgravius mansum cum duobus pratis in Lina monasterio adscibit. 1265

Præceptum Landgravii hoc est: *Nos Albertus Dei gratia Thur. Lantgr. & Comes Saxonum Palatinus Vniversis cupimus esse notum, tam presentis temporis, quam futuri, quod ob divinam remunerationem claustro monialium sancte Crucis in Gotha unum mansum situm in Lina cum duobus pratis & quinque solidis redditumm, quod Dominus Hermannus de Luppenze coram nobis cum consensu heredum suorum dinoscitur resignasse, in perpetuum dedimus libere & quiete perpetuo possidendum. Hujus rei testes sunt Nobilis vir Comes Fridericus senior de Bychelingen, D. Fridericus senior de Drivordia, Dn. H. advocatus de Gizberch, D. Th. de Tullestete, & alii quam plures. In cujus rei testimonium sigillari jussimus presens scriptum. Isenach, Anno Domini M. CC. LXV. VIII. Idus Marcii.*

§. XXV. Eodem anno idem Princeps monasterio donavit sylvam Berlo dictam.

Notitiam Landgravii adscribo: *Nos Albertus Dei gratia Thur. Lantgrav. & Saxonum Comes Palatinus Notum facimus universis tam presentis temporis quam futuri, quod quia ob amorem divinum semper in promotionibus ecclesiarum inveniri volumus benivoli*

voli & parati, Nos Ecclesie Sanctimenialium sancte Crucis apud Gotha silvam qvandam majorem dictam Berlo in proprium dedimus perpetualiter possidendam. Hujus rei testes sunt Dns Fridericus senior de Drivurde, Dns Timo de Lizenic, Dns Heinricus de Glizberc, Dns Helwicus Marscalcus, & Gerhardus curie nostre Notarius & alii qvam plures. In cujus etiam rei testimonium presentem literam jussimus sigillari in Erford. Anno Domini M. CC. LXV. II. Idus Marcii Ind. VIII.

§. XXVI. Porro eodem anno Guntherus Comes Schvvartzburgicus mansum feudalem in Guntersleben monasterio liberum dimittit, seqventi præcepto.

Nos G. Comes de Schvvarzburc nec non nostri filii recognoscimus coram omnibus presens scriptum inspecturis firmiter protestando, qvod ad instantiam & condignam petitionem Otthonis militis de Wechmar unum mansum feodalem situm in Gunderichsleiben cujus redditus singulis annis sunt tria maldra frumenti Erfordensis mensure monialibus sancte Crucis in Gotha proprietarie contulimus perpetuo possidendum. Vnde ne verba in posterum adnichilentur, sed ut magis rata teneantur, nostro sigillo roboravimus presens scriptum. Insuper hujus rei testes sunt Beringerus de Meldingen, Dithericus de Winrichesleiben, Albertus de Elcheleibn, Ottho de Wechmar & sui fratres. Datum anno Domini M. CC. LXV.

§. XXVII. Eodem anno --LXV. Cunradus Gthaice civis Gothanus monasterio S. Crucis domum suam donavit.

Formulam donationis affero: *Ego Cunradus Gthaice civis, cognomento Pretor constare volo universis presentem literam inspecturis tradidisse me ex consensu heredum nec non cognatorum meorum curiam unam libere possessam sanctimonialibus ordinis Cysterc. nostriqve confinii testamentaliter in perpetuum possidendam, ac anniversario meo presentialiter responsuram. Hujus pie traditionis atqve ordinationis testes sunt qvi sunt affuerunt, Heinricus de Alich & Kristanus de Remistete, germani mei, Mezzelo gener meus,*

nec

nec non alii qvam plures vere fidei fiducialiter assertores. Acta sunt hec anno Domini M CC LXV. in die S. Medardi conf. Feliciter. Qvia sigillo non utor proprio, presentem literam pro cura intra nostre civitatis retinalia sita civium nostrorum sigillo statui communire.

§. XXVIII. Anno CIↃ CCLXIX. Albertus Gnagebein bona qvædam a matre Gertrude monasterio S. Crucis donata post diuturnam contentionem resignat, accedente Sculteti & Scabinorum Gothanorum testimonio. 1269

Qvod sic se habet. *Nos Th. Scultetus, dictus de Tullestete tenore presentium protestamur, qvod Albertus cognomine Gnagebein super dissensione qvondam habita de bonis, qve Gertrudis mater ipsius cum consensu heredum suorum pro remedio anime sue Ecclesie S. Crucis donavit, coram nobis & judicibus ceterisqve burgensibus civitatis promto animo & voluntate abrenuncians dicta bona memorate Ecclesie perpetua libertate possidenda donavit. Ne autem super his aliqva in posterum controversia oriatur, presentem literam conscribi atqve sigillo civitatis fecimus communiri. Datum anno gratie M CC LIX. coram testibus Bertoldo de Abiete, Bertoldo Grozhoubet & filio ejus, H. Rose, Bertoldo Willekum, Cunrado de Nurenberc, H. de Vfhusum, Sifrido Windesman.*

§. XXIX. Eandem resignationem post obitum Alberti vidua ejus ac filii repetierunt anno CIↃ CCLXXX.

Id qvod Scultetus & Scabini testantur novo scripto, qvod integrum afferam. *Nos Guntherus de Loucha Sculthetus & Scabini ceteriqve concives in Gotha literis presentibus recognoscimus, qvod coram nobis judicio presidentibus omnes pueri Alberti Gnagebein defuncti beate memorie, qvemadmodum ipse vivens, sic & sui pueri cum sua matre relicta Alberti abrenuntiarunt omni juri, qvod habuerunt, & habere videbantur in omnibus bonis, qvæ possedit & habuit Gertrudis felicis memorie dicta Gnagebein de Waltershusen cum suis pueris, videlicet cum fratre Hermanno, fratre Gerhardo, Ekehardo sacerdote, Thitmaro & sorore Bertradi,*

tam in communi, quam in ſorte cuilibet deputata, qve ſortium partes in morte cujuslibet ceſſerunt, & cedent in univerſo. In univerſo poſt obitum omnium in poſſeſſiones perpetuas monaſterio ſanctimonialium ſancte Crucis omnibus bonis & poſſeſſionibus & omnibus actionibus & repetitionibus tam pro ſe qvam poſteros ſuos movendis in futurum abrenunciarunt pueri Alberti Gnagebein cum ſua matre relicta jam dicti Alberti defuncti. Cujus rei teſtes ſunt Heinricus Roſe, Heinricus de Wandesleibm, Heinricus de Vſhuſen, Witulo Melzer, Cunradus Hugoldi, Hermannus Willekume, Guntherus frater ſuus Monetarius, Hartungus Hartwici, Cunradus frater ſuus, Heinricus Vlleibin, Cunradus Vaſtrate filius, Cunradus Foil, Heinricus Scaphenicht, & ſuus filius Heinricus, Ditmarus Gnagebein. In hujus rei teſtimonium has literas muniri fecimus ſigillo noſtre civitatis. Acta ſunt hec anno CIↃ CC LXXX. *in ſecunda feria ebdomade paſſionis Domini.*

§. XXX. Eodem anno - LXIX. Heinricus Advocatus de Gleisberg piſtrinum qvoddam, qvod Heinricus filius Roſæ jure feudali poſſedit, monaſterio proprium dicat.

Præceptum Advocati Gleisbergenſis ita habet: *Nos Henricus Advocatus de Glisberch recognoſcimus de pleno conſenſu uxoris & heredum noſtrorum qvoddam piſtrinum qvod Heinricus filius Roſe jure feodali poſſidebat, a nobis ad petitionem ipſius Eccleſie S. Crucis ſub nomine proprietatis contulimus poſſidendum. Ad hujus collationis evidentiam preſentem literam conſcribi fecimus, & ſigillorum noſtrorum munimine roborari. Hujus rei teſtes ſunt plebanus de Condiz, Tylo & Albertus frater ſuus de Gaberwir & alii qvam plures. Datum anno Domini M CC LXVIIII.*

1272 §. XXXI. Anno CIↃ CC LXXII. Albertus Landgravius teſtatur, Gerhardum de Salzungen renuntiaſſe juribus in bona monaſterii S. Crucis in Goldbach.

Nos Albertus Dei gratia Thuringorum Landgravius & Saxonum Comes Palatinus recognoſcimus, qvod Gerhardus de Salzungen una cum

cum uxore & suis heredibus pleno jure renuntiaverit omni actioni, qvam in bonis in Goltpach habere hactenus dinoscebantur. Ne autem impedimentum Ecclesie S. Crucis apud Gotha per ipsos vel successores eorundem oriatur, damus in testimonium presens scriptum sigilli nostri munimine roboratum. Datum in Ysnach, Anno gratie M. CC. LXXII. die Dominico ante Nativitatem beate virginis.

§. XXXII. Idem faciunt Scabini civitatis Isenacensis.

Nos Heinricus dictus Laczia & Scabini civitatis Ysnache recognoscimus, & lucide protestamur, qvod Gerhardus de Salzungen cum uxore sua nomine Sophia & tam filiis, qvam filiabus ceterisqve heredibus suis coram nobis ac judicio, & judicis loco loco debito omni actioni & juri, qvod in omnibus bonis sitis in villa Goltpach ex parte Domini Burchardi Comitis de Brandeberc habere dinoscebantur, rite & rationabiliter & communi consensu renunciaverunt, & a gravamine conventus Ecclesie S. Crucis apud Gotha juris sententia cooperante cessaverunt. Ne autem predicta Ecclesia ab ipsis vel eorum successoribus in posterum gravetur; vel a qvoqvam gravari presumatur, presens scriptum munimine nostri sigilli damus roboratum. In hujus rei testimonio milites Domini Thuringorum Lantgravii Dn. Mathias Scriptor, Dn. Heinr. de Glizberc, Dn. Th. de Tullestete, Dn. Heinemannus de Indagine, Scabini civitatis, insuper Dn. Ludevvicus Goltsmit, Dn. Bertoldus sororius ejus, Heinricus de Riden, Cunradus de Erford, Dn. Th. de Egere, & alii qvam plures fide digni. Datum Ysnache Anno gratie MCC LXXII. die Dominico a nativitate beate virginis.

§. XXXIII. Eodem anno Albertus Landgravius qvatuor mansos feudales in Lina sitos in gratiam monasterii fecit proprios, seqventi Notitia.

Albertus Dei gratia Thur. Lantgrav. & Saxonum Comes Palatinus recognoscimus literis presentibus protestantes, qvod qvatuor mansos in Lina sitos, qvos in feodo possedit a nobis Hermannus de Luppenze, ob honorem sancte Crucis Deiqve genitricis Marie virginis

& ad petitionem ipsius & filiorum suorum contulimus in proprietatem monasterio eidem in perpetuum possidendum. In cujus rei testimonium presentes litteras cum nostro sigillo fecimus roborari. Testes hujus facti sunt Th. de Tullestete, Guntherus de Slatheim, dictus Ezzich, Heinricus de Colmar, Hermannus & Wezelo fratres de Mila, Heinmannus de Indagine, Heinr. de Clebich, Heinricus & Konemundus fratres de Maslesleibn. Datum Gotha Anno Domini M. CC. LXXII.

§. XXXIV. Eodem anno Senatores Gothani unà cum Conrado Abbate Georgenthali testimonio suo confirmabant mutuum inter monasterium S. Crucis & Bertholdum ac Mechtildam de Warza pactum.

Nos Cives de Gotha & Conradus Abbas Vallis S. Georgii presentibus literis recognoscimus, & audivisse protestamur ordinationem que circa Bertholdum, & Mechtildin de Warza facta est, qui professi sunt coram nobis, se votum solempne & obedientiam Deo & Dominæ C. Abbatissæ & suo Conventui fecisse & dedisse scilicet omnia que presentialiter possident & in posterum sunt habituri super altare beate virginis in cenobio sanctimonialium sancte Crucis apud civitatem Gotha ad serviendum ipsi videlicet beate virgini Marie & hominibus cenobitis ipsius, quoad vixerint, statu suo sic disposito, quod uterque tam Bertoldus quam Mechtildis uxor ejus sint in Warza curia monasterii, dantes de singulis mansis ibidem tria maldia frumenti & ordei Erfordensis mensure quolibet anno. Qui si decreverint degere sub religione & habitu religioso, disponendi sunt alterutrum ad loca sibi congruentia de providentia Domine Abbatisse ad suam & Ecclesie sue utilitatem. Si vero necessitas postulaverit, quod locetur curia in Warza, viris religiosis locanda erit aliter B. & Mecht. ullatenus absolutis a prefate curie administratione, & rursum ad formam prehabitam, locandi commoditate sibi & Ecclesie sollicite conservata. Idem erit si alter eorum preventus morte fuerit, ut status deputetur superstiti secundum dispositionem predictam quam pluries, prout ipsi placuerit & monasterio expedierit. Nec habebunt facultatem ultra quam ipsorum necessitas exegerit,

rerum

rerum suarum alienandi possessarum. Ad hujus rei memoriam ampliorem nos cives Gotha cum Domino Abbate sigillum civitatis nostre duximus apponendum, adnotantes etiam presentibus testes cives nostri municipii, qvi cum Domino C. Abbate Vallis beati Georgii & Dominis suis fratribus huic ordinationi interfuerunt. Et hec sunt nomina eorum Heinricus de Wandesleibn, Ditmarus de Vfhusin, & Heinricus frater suus, Hartungus Hartvvici, & Cunradus suus frater, Witulo Melzer, Kirstanus de Tungesbruchen, & alii qvamplures cum Domino H. filio Domine Rose. Acta sunt hec anno Domini M CC LXXII.

§. XXXV. Anno CIↃ CC LXXIII. Conradus de Gerbrechtsrode monasterio mansum & hortum legavit. 1273

Ipsam Conradi Notitiam affero. *In nomine Domini Amen. Ego Cunradus de Gerbrechterode (Gozbrechterode) civis in Gotha Kunegundim uxorem meam mihi relinqvens heredem & extreme voluntatis mee statuens testamentum, de consensu ejus & aliorum mihi jure succedentium, presentibus Dominis Gumperto Priore, Gerhardo de Kungesse, Cellerario, fratre Bertoldo vitrario, Bertoldo Grozhoubet, Ditmaro de Vffuhusen, & aliis pluribus, mansum unum in campis civitatis, atqve ortum unum holerum ad fossatum muri adjacentem legavi Dominabus Sanctimonialibus S. Crucis Cysterciensis ordinis, pro salute tam mea, qvam uxoris mee Kuneg. post obitum utrorumqve nostrorum libere possidenda. Ne igitur infirmetur assignatio ista, tam legitime, qvam cum solempnitate debita celebrata, presentem literam cum sigillo civium meorum, & subscriptione honorabilium virorum ad qvorum notitiam hec gesta sunt; qvi & Sabini civitatis fuerunt, statui communire: Quorum nomina hec sunt Heinricus de Hain villicus, qvi & ipse interfuit testationi. Item Bertoldus Grozhubet, Ditmarus de Vffhusen, Heinricus de Seberge, Heinricus de Vfhusen, Th. Wurzvverck, Pertholdus Cellerarius, Heinaricus Rose, Hermannus Willekume, Hartungus Hertvvici, Cunrdus de Nurenberch, Heinricus de Wandesleiben. Acta sunt hec anno Domini M CC LXXIII.*

§. XXXVI. Eodem anno Ludovicus Abbas Reinhartsbornensis mansum agri monialibus S. Crucis vendidit.

Ex Notitia contractus præcipua excerpam. *Nos Ludovicus miseratione divina Abbas, H. Prior totusqve conventus monasterii Reinherisbrun publice recognoscimus -- qvod de communi beneplacito nostro & consensu mansum unum ad officium custodie nostre pertinentem, cujus media pars sita est juxta Remistete, de qva Bertoldus miles dictus de Tanne tenebatur annuatim custodi nostro in V. solidis redditu um, altera vero medietas ejusdem mansi sita est aput Gotha, de qvo Sifridus Pillearius civis jam dicte civitatis singulis annis qvatuor solidos & dimidium in redditibus Ecclesie nostre similiter persolvebat, pro tribus marcis argenti convertendis in usus nostre custodie vendidimus conventui sanctimonialium cenobii S. Crucis extra muros Gotha justo proprietatis titulo sibi perperpetuo possidendum. Testes autem hujus contractus sunt H. Prior, Heinricus clericus de Wizense custos, monachi Reinherisbr. frater C. Privisor curie predicti cenobii S. Crucis, Heinricus dictus civis in Gotha, & qvam plures alii fide digni. --- Acta sunt hec anno Domini* M. CC. LXXIII. *in die beati Martini.*

1274 §. XXXVII. Anno CIↃ CC LXXIV. monasterium S. Crucis cum monasterio Hünefeldensi de bonis qvibusdam in Warza pridem litigans reconciliatum fuit.

De qvo loqvitur seqvens Notitia: *In nomine Domini Amen. Nos Cristanus Decanus totumqve capitulum sancte Crucis in Hunevelth constare cupimus universis presentes litteras inspecturis, qvod cum Abbatissa & moniales sancte Crucis in Gotha tres mansos in Warza, qvos qvondam Fridericus de Methenstein violenter possederat, & Heinrico dicto Sezzephant, & Burchardo de Lina civibus in Gotha & Bertoldo de Bechstete alienaverat, per qvos cives dicta bona Ecclesie predicte sanctimonialium nostro capitulo irreqvisito tradita fuerunt, longo tempore possed ssent, Nos ad presentiam Mogunt. judicum accedentes pro hujusmodi injuria Abba-*

tissam

tissam & moniales ad eorum fecimus audientiam evocari, qve in presentia supradictorum judicum constitute petiverunt sibi locum & tempus indulgeri ad compositionem nobiscum amicabilem faciendam. Quod dicti judices tali tenore concesserunt, ut si non comparerent coram eis responsure denuo in certo termino comparerent. Nobis igitur & nostris fratribus ex una, & procuratoribus predictarum monialium ex parte altera in civitate Vache ad tractandam compositionem convenientibus, adhibito discretorum virorum consilio, ac diligenti deliberatione prehabita, talem cum predictis monialibus compositionem duximus admittendam, qvod proprietatem trium mansorum in Warza & qvatuor in Ostheim perpetuo possideant, & octo marcas argenti pro expensis factis refundant, qve in usus Ecclesie pro bonis aliis deducantur in restaurum donationis & memoriam ordinationis predicte, & nichilominus debitum censum ab antiqvo solutum & omnia jura villicorum de bonis antedictis exhibeant & persolvant. In cujus rei testimonium presentes litteras eis dedimus sigilli capituli nostri munimine roboratas. Acta sunt hec anno Domini M. CC. LXXIIII. in civitate Vache II. Kl. Iunii, presentibus Domino Godfrido Canonico ibidem, Ottone Cellerario, testibus vero Ekehardo milite, Cunrado converso, Ditmaro, Cunrado de Nurenberc, Ludevvico dicto Rynch, Hartungo & Heinrico Clericis de Salzungen fratribus civibus in Vache.

§. XXXVIII. Anno CIↃ CCLXXV. Heinricus Rose monasterio pistrinum qvoddam dicavit. 1275

Id qvod seqventi testimonio profitentur Scabini Gothani.

Nos Scabini civitatis Gotha, scilicet Heinricus de Seberch, Volmarus Monetarius, Heinricus de Vfhusen, Wicelo de Arnstethe, Cunradus Hugoldi recognoscimus literam per presentem, & testes sumus, qvod Heinricus Rose de pleno consensu heredum suorum qvoddam pistrinum situm in platea H. Resel contulit monasterio sanctimonialium sancte Crucis loco proprietatis & censum scilicet fertonem recipiendo singulis annis, qvod etiam coram Wicelone dicto Vinne vice Dn. H. militis de Mila Sculteto tunc temporis rationabiliter resignavit, pars vero predicti census, scilicet V. solidos pro fratribus

bus ſancti Auguſtini in concambio contulit reliqvam partem in ſubſidium predicte Eccleſie ſancte Crucis erogavit. Promittens & coram nobis veram & debitam Warandiam pro juris conſvetudine, ſi aliqvis debito modo & juſto tempore predictum piſtrinum & cenſum impeteret ipſe vel ſui heredes id reformare, qvod vero extunc aliqvem defectum predicta Eccleſia paterentur, tunc cenſum ſepius nominatum in domo apud curiam ſuam ſitam aut in propria curia recipiendum aſſignavit, qvoadusqve cenſum eqvipollentem priori pro conſilio ſepe dicte Eccleſie emptione comparabit. In cujus rei certitudinem ampliorem preſentem litteram ſigillo civitatis damus roboratam. Acta ſunt hec anno Domin. M CC LXXV. Id. Ianuar.

§. XXXIX. Atqve id conſenſu ſuo comprobavit Albertus Landgravius.

Cujus Notitiam ſubjicio: *Nos Albertus Dei gratia Thur. Lantgravius Saxonumqve Comes Palatinus univerſis Chriſti fidelibus qvibus preſens ſcriptum fuerit exhibitum, volumus eſſe notum, qvod qvoddam piſtrinum in Gotha ſitum una cum cenſu ejusdem ad petitionem H. Roſe noſtri militis propter grata ſua obſeqvia contulimus Eccleſie ſancte Crucis ibidem loco proprietatis perpetuo poſſidendum. In cujus rei certitudinem preſentem literam damus noſtri ſigilli munimine roboratum. Datum Gotha Anno Domini* MCCLXXV.

§. XL. Eodem anno CIↃ CC LXXV. Conradus qvondam plebanus in Goldbach renunciat liti, Abbatiſſæ & monaſterio S. Crucis temere motæ, de parochia & bonis in Goldbach a Burchardo Comite de Brandenberg monaſterio pridem venditis.

Qvæ in manus meas hac de re venit ſcriptura Conradi, ita habet. *Ego Magiſter Conradus Medicus qvondam plebanus in Goltbach, litteris preſentibus recognoſco, qvod cum indigus eſſem, volens onus indigentie mee qvocunqve modo poſſem ſublevare, cum occaſio mihi foret honeſta de parrochia in Goltbach movi cauſam*

Domine

Domine Abbatisse & suo conventui Sanctimonialium sancte Crucis apud Gotha, & rectori parrochie. Et qvia maxime videbatur mihi posse proficere circa Dominam Abbatissam & suum Conventum, ipsam traxi in causam co am judicio, & in manifesto & in occulto qvocunqve modo poteram excogitare constitui, ut sic timore perterrita mecum constitueret compositionem, etiam calumpniose me firmare proponens loqvebar me scire de bonis in Goltbach, qve possederat qvondam vir nobilis Comes Burchardus de Brandenberg, qve jure emptionis devoluta sunt hodie monasterio Sanctimonialium sancte Crucis tractans aliqva qve confinxeram in salutis mee dispendium cum Dominis nostris Canonicis sancte Marie, & cum Domino Alberto filio prenominati Comitis Burchardi de Brandenberch, & aliis qvampluribus qve nota mihi forent, & de aliqvibus super dicta bona veris instrumentis, qve apud me essent. Sed qvia renunciavi omni actioni & juri, qvod habere videbar, & habere me credidi, circa Dominam Abbatissam & suum monasterium, & feci compositionem amicabilem, ne in futurum possit controversia suboriri sibi indebita super bonis in Goltbach, presentibus litteris protestor, nullas litteras aut instrumenta aliqva habuisse, vidisse, vel intellexisse, qvod qvomodocunqve modo feodalia essent, aut aliter ad aliqvem pertinentia qvecunqve bona in Goltbach, qve monasterium possidet, sed qvod firmiter titulo proprietatis a Domino Comite Burchardo de Brandenberg & suis antecessoribus possessa, ut ab universis creditur, & qvod ita jure proprietatis ipsa possidere dederit monasterio S. Crucis contractione venditionis. Super qvo presentem litteram sigillo studui communire. Datum in Gotha anno Domini M.CC.LXXV. in crastino divisionis Apostolorum.

Ceterum ut appareat magis, qvam fraudulenter egerit hic Conradus, & qvomodo Burchardi Comitis de Brandenberg literas & sigillum supposuerit, afferemus Volradi Halberstadiensis Episcopi memorabilẽ hac de re Notitiam. *Honorabilibus viris & in Domino dilectis judicibus sancte Moguntine sedis. V. Dei gratia Halb. Episcopus sincere dilectionis affectum. Ad notitiam vestram devenire volumus, nos per famam, & alias*

multorum veridica relatione didicisse, qvod Magister Conradus dictus de Goltbach, existens in civitate nostra Halb. fecit sculpi qvoddam sigillum in qvo exprimebatur aqvila duorum capitum, & cujus circumscriptio talis erat: Sigillum Comitis Borchardi de Brandenberch, *cum idem Comes longe ante tempus preparationis dicti sigilli carnis debitum exsolvisset. Fecit enim conscribi litteras nomine ejusdem Comitis, & dicti sigilli appensione roborari, qvarum auctoritate confisus Abbatissam & conventum ordinis Cysterciensis monasterii sancte Crucis extra muros civitatis Gotha coram nobis trahit in causam, fatigans ipsas qvamplurimum gravibus laboribus & expensis. Ideoqve qvod ratione delicti qvis sortiatur forum, qvamvis de jure possemus procedere contra ipsum, ad penam tantam ---- Nos tamen vestre reverentie deferre volentes rogamus, qvatenus dicta habentes pro certis dictum instrumentum nobis faciatis exhiberi, & compescatis ipsum ab injuriosa molestatione monasterii supradicti, nihilominus contra ipsum qvantum de jure potestis pro perpetrato facinore procedentes. Alioqvin si vestre prudentie ita visum fuerit, ipsum cum vestris literis ad nos remittatis, ubi copiam testium habere poterimus falsitatis supradicte, qvam commisit in civitate nostra in proprie salutis dispendium & scandalum plurimorum, & nos negotium sufficienter instructum ad vos denuo remittemus, ut ex tunc secundum juris ordinem & juxta datam a Deo vobis prudentiam procedatis, ne tante presumptionis temeritas ad multorum perniciem maneat impunita. Dat. Halb. qvinto Kalendas Iunii.*

1276 §. XLI. Anno CIↃ CC LXXVI. Ludovicus & Fridericus fratres de Wangenheim mansum qvendam feudalem, quem Theodericus Rube possederat, proprium adscribunt monasterio.

Præceptum Wangenheimianum subjicio: *Nos Ludovicus de Wangeheim una cum fratre nostro Friderico litteris presentibus recognoscimus & omnibus inspecturis innotescere desideramus, qvod ad honorem beate virginis & sancte Crucis qvendam mansum situm in Goltpach cum attinentibus, qvem Th. dictus Rube a nobis jure feodali*

feodali possidebat, ad petitionem ejusdem & heredum suorum bona deliberatione & nostrorum heredum consensu loco proprietatis ecclesie S. Crucis in Gotha & Sanctimonialibus ejusdem contulimus rationabiliter possidendum. Ne autem talis collatio in posterum a qvoqvam valeat immutari presentem literam tam pro nobis, qvam pro fratre nostro munimine nostri sigilli damus roborari. Testes hujus sunt Albertus plebanus de Wangenheim, Dominus Heinricus dictus Snoiversach, Berthous & Hermannus Scaf, fratres, Ekehardus Ciriol, Hertvvigus de Weberstete, & alii qvam plures. Datum Wangeheim anno Domini M. CC. LXXVI. in die beati Bonifacii.

Iidem fratres de Wangenheim, decem & octo agros in Goltbach, qvos Hermannus de Vtenrod, qvi eosdem feudali nexu possederat, jamqve monasterio S. Crucis vendiderat, huic monasterio in proprium adscribunt eodem anno 1276. mense Augusto: nec alii in hac Notitia testes, qvam in priori laudantur. Berthoo & Hermanno fratribus Scaf dictis, *militum* elogium adscribitur.

§. XLII. Anno CIↃ CC LXXVII. lites inter allodium monasterii, ut & incolas villæ in Goldbach sunt compositæ, seqventem in modum. 1277

Nos Kuneg. Abbatissa S. Crucis apud Gotha, Helvvicus Marscalcus dictus de Goltpach notum facimus universis qvibus exhibitum fuit presens scriptum qvod lis & discordia diu versabatur inter allodium sancte Crucis in Goltpach & inter villanos ejusdem ville super comprehensione piscium qve qvondam ibi fluxit, qve lis tam secundum proborum virorum consilium sopita est & divisa tali forma, qvantum ejusdem piscine circumfossum est, hoc jure proprietatis ad ipsum allodium perpetuo pertinebit, reliqvum vero communitati totius ville. Insuper edictum est eidem de communitate, tam in pascuis, pratis, & siluis ipsum allodium cum aliis villanis commune jus habebit. Preterea dictum est, qvod - - - predicti villani de Goltpach de communitate statuerint & ordinaverint observandũ, hoc ipsi inhabitatores allodii una cum villanis eqvalibus expensis & laboribus observabunt. Vt autem predicta ordinatio nostra rata & grata perpetuo observ-

observetur, presens scriptum conscribi fecimus & sigillo nostro fecimus roborari. Testes etiam qvi predictis ordinationibus interfuerunt, hi sunt: Dn. Ekehardus plebanus de Goldpach, Ditmarus de Ellende, Kirstanus de Westhusen, Helwicus Albus & Heinricus frater suus, Frater Cunradus & frater Ludolfus procuratores ejusdem allodii, Gotfridus de Nazza, Cunradus de Koldiz, Heinricus Rose & alii qvamplures. Datum & actum in Ysnach, in curia Domini Marscalci, Anno ab incarnatione Domini M. CC. LXXVII. in crastino S. Andree Apostoli.

1278 §. XLIII. Anno CIↃ CC LXXVIII. Albertus Landgravius monasterio remittit annonam, Wegemite vulgo dictam, hoc, qvod seqvitur, præcepto.

Nos Albertus Dei gratia Thur. Lantgr. & Comes Saxoniæ Palatinus recognoscimus, & tenore presentium publice protestamur, qvod ob reverentiam Dei & propter anime nostre salutem Sanctimonialibus sancte Crucis in Gotha annonam, qve Wegemite vulgariter dicitur, donavimus jure proprietatis perpetuo possidendam. Et ne super donatione predicta alii dubium oriatur, presentem literam sigilli nostri munimine fecimus sigillari. Datum Wartberc Anno M. CC. LXXVIII.

1279 §. XLIV. Anno CIↃ CCLXXIX. Ecclesia S. Crucis solenni ritu consecrata fuit.

Id colligo ex Ottonis Episcopi Hildesiensis bulla, in vigilia Benedicti Abbatis perscripta, qva qvadraginta dierum Indulgentias concedit iis, qvi consecrationi isti adfuerint. Episcopus qvidem Numburgensis Meinherus in sua bulla, *emendationis monasterii* meminit, & qvod in candelabris aliisqve ornamentis detrimentum patiatur: sic tamen ut & dedicationem sive consecrationem memoret. Legi etiam alias bullas indulgentiarum huic monasterio datas, & in his Sigfridi Coloniensis Archiepiscopi eodem anno Idibus Iulii perscriptam, in qva singulariter cavet, *ne per qvæstuarios extra locum monasterii deferatur, alioqvin viribus suis caritura.*

Con-

Contra *Ludolphi* qvondam Epiſcopi Halberſtadienſis, & *Ludovici* Apamienſis Archiepiſcopi bullæ in gratiam hujus monaſterii, iſta anno -LXXI. hæc jam anno --LXXXV. perſcripta eſt *tempore Capituli generalis.*

S. XLV. Anno CIↃ CC LXXX. Senatus populusqve Gothanus monialibus S. Crucis permiſit, ut certam viam monaſterii horto vicinam obſtruerent, & alium locum in civitatis ſuumqve emolumentum munirent. 1280

Integrum privilegium meretur afferri. *Nos Guntherus de Loucha Scultetus & Scabini civitatis Gotha cum ceteris civibus qvi tunc temporis fuimus in loco judicii literis preſentibus innoteſcimus omnibus has audituris & viſuris, qvod ad noſtre civitatis munimen conceſſimus monaſterio Sanctimonialium ſancte Crucis adjacenti noſtro muro, qvatinus viam qve deſcendit inferius ab horto ſuo obſtruant, continuam curie ſue, ne per ejus occultum aditum civitati aut ante civitatem manentibus noſtris civibus malum aliqvid poſſit machinari. Item eidem monaſterio concedimus, ut illam particulam, qve ad fontem S. Gothardi adjacet, gramentum videlicet vallent ad aliqvod munimen noſtrum, & ad qvamcunqve ſuam utilitatem. In hujus rei certitudinem ampliorem literam preſentem ipſis tradidimus ſigillo noſtre civitatis communitam. Teſtes hujus rei ſunt ipſe Guntherus de Loucha Scultetus, Heinricus de Wandesleibn, Heinricus Roſe, H. de Vſhuſn, Witulo Melzer ac alii Scabini & cives. Acta ſunt hec anno Domini* MCC LXXX.

§. XLVI. Eodem anno vidua & liberi Alberti Gnagebein renunciant juri in bona Gertrudis Gnagebein de Waltershauſen, utpote monaſterio S. Crucis relinqvenda.

Id qvod ſeqventi Notitia teſtantur Scultetus & Scabini Gothani. *Nos Guntherus de Loucha Scultbetus & Scabini ceteriqve concives in Gotha Litteris preſentibus recognoſcimus, qvod coram nobis judicio preſidentibus omnes pueri Alberti Gnagebein defuncti beate memorie qvemadmodum ipſe vivens ſic & ſui pueri cum ſua matre relicta Alberti abrenunciarunt omni juri qvod habue-*

 runt

runt & habere videbantur in omnibus bonis que possedit & habuit Gertrudis felicis memorie dicta Gnagebein de Waltershusen cum suis pueris, videlicet cum fratre Hermanno, fratre Gerhardo, Ekehardo sacerdote, Ditmaro & sorore Bertradi tam in communi quam in sorte cuilibet deputata, que sortium partes in morte cuilibet cesserint in universo post obitum omnium in possessiones perpetuas monasterio Sanctimonialium sancte Crucis. In quibuscunque bonis & possessionibus & omnibus actionibus & repetitionibus tam per se quam posteros suos movendis abrenunciarunt pueri Alberti Gnagebein cum sua matre relicta jam dicti Alberti defuncti. Cujus rei testes sunt Heinricus Domine Rosen, Heinricus de Wandesleiben, Heinr. de Vfhusen, Witelo Melzere, Cunradus Hugoldi, Hermannus Willekume, Guntherus frater suus Monetarius, Hartungus Hertwici, Cunradus frater suus, Heinricus Ulleibn, Cunradus Vastrate filius, Cunradus Foil, Theodericus Loige, Heinr. Schafenicht, & suus filius Heinricus, Ditmarus Gnagebein. In hujus rei memoriam ampliorem has literas muniri fecimus sigillo nostre civitatis. Acta sunt hec anno M CC LXXX. *in II. feria ebdomade passionis Domini.*

In alia hujus anni (1280.) Notitia sic invicem succedunt Scabini: *Heinricus de Wandisleibn, Heinricus de Vfhusen, Hartungus Hertwici, Cunradus Hugoldi, Heinricus de Seberge, Heinricus Rose, Witulo Melzere, Bertoldus Willekume, Witulo Vinne, Heinricus Goldeneri.*

1281 §. XLVII. Anno CIↃ CC LXXXI. Albertus Landgravius permittit monasterio S. Crucis jus patronatus Ecclesiæ S. Mariæ in monte.

Scriptura Alberti hoc nomine perscripta ita habet. *Albertus Dei gratia Thur. Lantgravius ac Saxonie Comes Palatinus universis ad quos presens scriptum pervenerit salutem in eo qui est omnium nostra salus. Quum ea que geruntur in tempore volubilitate temporis a mortalium memoria facile labi solent. Hinc est quod ad perpetuam rei memoriam omnibus presentibus & futuris volumus esse notum, quod ad honorem omnipotentis Dei & ob reveren-*

verentiam beate & gloriose virginis sue genitricis & omnium sanctorum suorum jus patronatus ecclesie beate Marie in Gotha Sanctismonialibus monasterii S. Crucis ejusdem loci tenore presentium conferimus, & donamus libere & qviete perpetuo possidendum, accedente ad hoc omnium heredum nostrorum favore benevolo & consensu. Insuper indulgemus ut eandem ecclesiam memorate claustrales obtenta licentia diocesani Episcopi cum omnibus ejus proventibus usurpent & usibus applicent, prout ipsis melius videbitur expedire. Ne autem hec nostra donatio ab ullo omnino hominum in posterum unqvam valeat violari, aut aliqvaliter infirmari presentem conscribi literam fecimus sigilli nostri robore communitam. Datum & actum Gotha, presentibus Dominis Ottone Comite de Lutherbergk, Heinrico milite dicto de Holundren, Matthie notario nostro, Heinrico plebano beate Marie in Gotha Anno Domini MCCLXXXI. IX. *Kl. Augusti, Indictione prima.*

§. XLVIII. Anno CIↃ CC LXXXIII. Fridericus eqves de Slotheim una cum fratre Gunthero monasterio S. Crucis adscribit dimidium mansum in Stutternheim, qvem Heinricus de Sibeleben ab ipsis feudali nexu possederat. 1283

Eodem anno Theodoricus de Sibeleben, Hartmudo Camerario, & hic Hermanno Dapifero in Slotheim, ejusqve fratri Gunthero, dimidium mansum in Stutternheim resignavit, Qvo de in *Annalibus Gothanis* videbimus.

§. XLIX. Anno CIↃ CC LXXXIV. Albertus Comes de Brandenberg, acceptis octo marcis argenti, monasterio S. Crucis confirmat omnia bona in villa Goldbach a Burchardo Patre eidem vendita anno CIↃ CC LVIII. 1284

Sequitur scriptum Comitis. *Ad vitandum futura litigia, qve cupiditas rerum mater litium generat incessanter, consilio sane prudentie est inductum, ut ea qve rite & rationabiliter ordinantur, scripturarum testimonio perhennentur. Hinc est qvod ego Albertus filius & heres Comitis Burkardi de Brandeberg recognosco tenore presen-*

presentium & ad universorum Christi fidelium tam presentium qvam futurarum notitiam cupio pervenire, qvod omni juri & actioni, qve mihi competere poterat & meis heredibus in his bonis qve pater meus bone memorie in villa Goltpach sitis cenobio sancte Crucis apud Gotha rite & rationabiliter vendidit, sive infeudata, sive propria eadem bona fuerint tam in jure patronatus. Pro hujusmodi tractatu & ordinatione a prefato cenobio accepi octo marcas. Vt autem hec mea liberalitatis donatio & renunciatio rata permaneat omni tempore, omni evo, literam presentem desuper dedi sigilli mei robore communitam, sub testimonio omnium, qvorum nomina subseqvuntur. Matthias scriptor Domini Lantgravii, Ludovvicus de Husen, Scultetus tunc in Gotha, Heinricus de Baldestete, & Hermannus filius ejus, Otto filius Hermanni de Baldestete, Heinricus de Malsleiben & Thydericus filius ejus, Heinricus Wendepaffe, Heinricus de Cleberg & frater ejus, Reinhardus de Vlleiben, Gecie de Varila, Heinricus Girviztatz, Heinricus Rose civis in Gota, Bertoldus Grozhoubet, Kristanus Longus in Goltpach, & filii sui Kristanus & Kristanus & Kristanus ibidem dicti de Varila, Kristanus de Westhusen, Albertus Lusse. Acta sunt hec anno Domini M. CC. LXXXIII. *feria secunda post Invocavit.*

Sed qvid sibi vult seqvens scriptum Alberti Brandenbergici post octoginta annos datum? qvod subjicio. *Nos Albertus de Brandeberg recognoscimus presentium serie literarum, Qvod sub anno Domini* M CCC LXII. *Dominica die proxima post festum Annunciationis Virginis gloriose, per privilegia per nos & nostros progenitores data Religiosis Abbatissæ & Conventui Sanctimonialium Ecclesie sancte Crucis prope Gotham certius informati sumus, qvod nulla nobis competit actio super litibus & controversiis inter nos & Abbatissam ac conventum predictum hactenus habitum. Vnde simpliciter renunciavimus omni actioni sive impetitioni, qve nobis qvomodolibet competere possent super allodiis, pratis, pascuis, molendinis, agris, aqvarum decursibus, virgultis, botis & tunicis griseis & generaliter super omnibus litibus inter nos hactenus habitis & exortis, super qvo presentes dedimus literas sigillo firmiter communitas. Actum & datum ut supra presentibus magistro Paulo*

Paulo Decano Ecclesie in Gotha, Domino Nycolao plebano ibidem, Petro Notario civitatis ibidem, Domino Heinrico de Stuternheym milite, Th. suo fratre, Heinrico de Sybeleibn, Dn. Theod. de Guttern, ac pluribus aliis fide dignis. Verum res ipsa docet, & aliam esse causam, & Albertum alium.

§. L. Atqve hoc ipsum non multo post testimonio seqventi confirmat Albertus Landgravius.

Nos Albertus Dei gratia Thuringorum Lantgravius & Saxonum Comes Palatinus recognoscimus tenore presentium publice protestando, qvod Albertus de Brandenberch miles filius Comitis Burchardi de Brandeberch bone memorie, in presentia nostra Gotha, & multis aliis probis viris constitutus, omni actioni, omni juri, & impetitioni, si qva sibi competere poterat, pro se & heredibus suis in bonis Goltpach & simpliciter in omnibus bonis qve Comes Burchardus pater suus rite & rationabiliter vendidisse dinoscitur, cenobio Sanctimonialium sancte Crucis apud Gotha renunctavit libere & sincere. Ita qvod ab ipso Alberto de Brandenberch, nec a suis heredibus predictum cenobium sancte Crucis apud Gotha nunqvam de cetero debet impetitionem sive inqvietationem aliqvam sustinere. Hujus rei testes sunt Nobilis vir Comes Otto de Luterberch, Heinricus de Malsleibn, Hermannus & Heinr. fratres de Baldestete, Heinricus Wendepfaffe, Heinricus & Hermannus fratres de Cleberch, Heinricus Getze, Reinhardus de Villeibn, & Mathias curie nostre notarius. Super qvo presentem literam nostram conscribi fecimus sigilli nostri munimine roboratam. Datum & actum anno Domini M. CC. LXXXIV. *in die beati Bonifacii.*

§. LI. Eodem anno CIↃ CC LXXXIV. Vda Diterici de Tullstet vidua monasterio S. Crucis vendidit sylvam Cronberg.

Ita pridem vocatur lignetum: qvamvis in Notitia seqventi habeatur Cramberg. *Ego Vda relicta Domini Th. de Tullestete ad sufficientem fidem rerum gestarum posteris ingerendam ex presentis scripti testimonio notum tam presentibus qvam futuris (for-*

te omiſſum, facio) *qvod communi conſenſu & voluntate heredum meorum vendidi predium meum, videlicet ſilvam in monte qvi* Cramberch *dicitur, conventui cenobii ſanćte Crucis apud Gotha pro viginti qvatuor marcis argenti & reſignavi coram Giſelhero tunc temporis Sculteto & Scabinis, ne prefatum cenobium ab alicujus* (aliqvibus) *meis heredibus inpoſterum aliqvam ſuſtineat inqvietationem. Super hac qvoqve venditione debeo & volo eisdem plenam vvaranthiam in omni loco & tempore cum meis heredibus exhibere. Et ut preſens ſcriptum ſemper deinceps maneat illibatum, ſigilli prefati Th. & ſigilli civium de Gotha appenſione tradidi roboratum. Teſtes ſunt Heinricus de Malesleiben, Heinricus de Debere, & frater ejus Heinricus Wendepaf, Reinhardus de Vlleiben, Th. de Sybeleibn, Heinricus Roſe, Bertoldus Grozhoubet, Heinricus de Vfhuſn, Witulo Melzere, Hermannus Willekume, Guntherus Monetarius, Heinricus de Wandesleibin, Hartungus Hartvvici, Cunradus Hartvvici. Datum anno Domini* MCCLXXXIV.

1286 §. LII. Anno CIↃ CC LXXXVI. Albertus Landgravius monaſterio dicabat dimidium manſum in Warza, qvem antea Ludovicus de Huſen miles ab ipſo in feudum habuerat.

Teſtes afferuntur *Nobiles viri Fridericus de Rabinsvvalt, Heinricus de Honſtein, & Heinricus de Stolberg, Comites: Guntherus de Slotheim, Hermannus Camerarius de Vaner ſenior, Hermannus magiſter curiæ & Marqvardus Notarius.* Weiſſenſeæ die B. Galli. Meminit hujus qvoqve rei Dreſſerus *libro de Germaniæ Vrbibus.*

§. LIII. Eodem anno magiſtri Scabinorum & Scabini Iſenacenſes teſtantur, Rudolfum Luſſonem ante obitum ſuum monaſterio S. Crucis remiſiſſe cenſum annuum octo ſolidorum.

Ipſum teſtimonium ſubjungo. *Nos Conradus de Koldize, Conradus dictus More Magiſtri Scabinorum, nec non ceteri Scabini & Cives*

Cives universi de Isenach notum facimus universis Christi fidelibus, tam presentibus qvam futuris, qvibus presens scriptum fuerit recitatum, qvod Dominus Rudolphus dictus Lusso, qvondam noster concivis felicis memorie illos octo solidos denariorum, qvos Abbatissa totusqve Conventus Sanctimonialium de sancta Cruce prope civitatem Gotha singulis annis eidem dare consveverant, ob remedium anime sue coram nobis donavit & legavit claustralibus prenotatis. Preterea prefatus Conventus memoratos denarios omnibus impedimentis remotis in qvieta possessione perpetuo debet obtinere. Hujus rei testes sunt Dominus Heinricus plebanus Ecclesie sancte Marie, Dominus Conradus dictus Topelstein, Dominus Har. de Varinrode, Dominus Helmericus frater suus, Dominus Heinricus de Mila, Dominus Mor. de Mila, Gotefridus de Lina, Th. de Wicmanshusen, & alii qvam plures fide digni. Qvod autem hec omnia rata sint & semper inviolabiliter permaneant, presentem literam conscribi fecimus & cum sigillo nostro jussimus communiri. Datum & actum Isenach anno Domini M.CC.LXXXVI. in vigilia nativitatis Domini nostri Iesu Christi,

§. LIV. Porro eodem anno Albertus & Hermannus, pater & filius Sebachii Nobiles monasterio in proprium adscribunt unum cum dimidio mansum in Goldbach, qvos antea Bertoldus de Aldestete feudaliter possedit.

Potiora ex Sebachiorum Notitia adscribo: *Nos Albertus de Sebeche & Hermannus noster filius recognoscimus - - - qvod accedente consensu unanimi ac puro velle omnium heredum nostrorum unum mansum & dimidium situm in campo Goltbach qvos a nobis Bertoldus de Aldistete feodaliter possidebat, ad instantiam nempe ejusdem B. ac amorem propriavimus cenobio Sanctimonialium ord. Cyst. S. Crucis in Gotha libere proprietatis titulo perpetuo possidendum. In cujus rei evidens argumentum nostri sigilli karactere presens muniri nobis placuit instrumentum. Hujus rei testes sunt B. Scultetus dictus de Elinde, Gothefredus de Natza, Kristanus Longus de Goltpach & Kristanus suus filius, Hartungus de Nurinberg,*

Hartungus Wirsing, Volmarus Iunior & H. Monetarius cives in Gotha & qvam plures alii digni fide. Datum anno Domini MCC LXXXVI. qvinto Idus Aprilis.

1287 §. LV. Anno CIↃ CC LXXXVII. Eberhardus & Heinricus Malslebii fratres monasterio vendiderunt duos mansos in Sibeleben.

Id qvod seqvens Sculteti Scabinorumq; Gothanorum Notitia pluribus inculcat. *Nos Gyselherus Scultetus & Scabini civitatis Gotha cum ceteris civibus qvi tunc temporis fuimus in loco judicii litteris presentibus recognoscimus, qvod Eberhardus & Heinr. de Malsleybin fratres accedente consensu uxoris predicti Eberhardi, Agnetis & filii sui Kunemundi, qvem tunc unicum habuit, vendiderunt monasterio S. Crucis duos mansos sitos in Sybeleibin ut dictum monasterium eosdem mansos jure proprietatis, qvo & ipsi possederant, libere habeat in sempiternum. Quibus bonis & possessionibus & omni juri & actioni in eisdem & repetitionibus tam per se, qvam posteros suos movendis in futurum abrenuntiaverunt in judicio coram nobis & castrensibus, Scabinis & ceteris civibus nostris, qvi hujusmodi abrenuntiationi pariter interfuerunt. In hujus rei memoriam has literas muniri fecimus sigillo nostre civitatis. Testes sunt Heinricus de Malsleybin, Heinricus de Baldestete, Heinricus Wendep. Heinricus Cleberc, Reynhardus de Vlleybin milites, Heinr. Rose, Heinr. de Vffehusen, Sifridus Windeschman, Witido Melzere.*

§. LVI. Eodem anno Guntherus de Salza domum quandam in Goldbach, qvam antea Gotfridus de Natza jure feudali possedit, propriam dicavit toties laudato S. Crucis monasterio.

Id profitetur seqventi scripto: *Noverint universi hujus litere inspectores, Quod ego Guntherus de Salza recognosco publice protestando curiam sitam in Goltbach qvam Gotefridus dictus de Natze a me possidebat jure feodali quod jam dictus Gotef. in concambio dedit pro alia curia sita in villa prenotata Dne Abbatisse in Gotha,*

nec non conventui ibidem omni jure proprietatis assignasse. Et ut hec rata & firma permaneant presentem cedulam mei sigilli munimine dedi roboratam. Datum Anno Domini M. CC. LXXXVII. in die Gerdrudis virginis.

§. LVII. Anno CIↃ CC XCI. Gisilerus de Tullstet mansum in campis Sunthusanis situm, qvo Fridericus Gytz feudali possessione fuerat gavisus, proprium attribuit monasterio. 1291

Ex Gisileri Notitia præcipua afferemus. *Nos Gysillerus de Tullistete recognoscimus -- quod qvendam mansum situm in campo Sunthusin, qvem a nobis Fridericus dictus Gytz feodaliter possidebat, a qvo & Cunradus dictus Cumereri civis Gothanus & Bertoldus dictus de Arnstete civis Erfordensis rationabiliter eundem mansum emptionis titulo compararunt -- propriavimus -- cenobio Sanctimonialium extra muros opidi Gothacensis ordinis Cystercienfis ab eodem libere proprietatis titulo perpetuo possidendum. --- Testes sunt Dominus Eckardus plebanus S. Marie in Gotha, Kristanus plebanus S. Margarete ibidem, Dn. B. plebanus in Aschire, Heinricus de Baldistete, Ludevvicus de Hursilgevve, H. Saccus senior, Th. filius ejusdem. H. de Lupnize milites, Item Guntherus Monetarius, Hartungus Wirsing, H. ante portam, Volmarus dictus Vinne, cives Gothani, Item Guntherus Gerhardi, Gezo Sartor, Th. Stenze, H. in Monte, H. de Isenache, Gerhardus Kesselrinc, Scabini in Walterhusen, -- Datum anno Domini* M CC LXXXXI. *XV. Kl. Februar.*

§. LVIII. An. CIↃ CCXCII. Eberhardus de Malsleben miles monasterio S. Crucis vendit proprietatem mansi in campo Gothano siti, qvem Conradus de Busleben civis Gothanus titulo hereditario hactenus possedit pro novem marcis usualis pecuniæ: ea conditione adjecta, ut si intra biennium pecuniam illam non redderet, unam adhuc marcam solverent moniales, ac tum mansum perpetuo possiderent. 1292

Teftes funt *Dominus Eckardus plebanus Ecclefie S. Marie in Gotha, & Eckardus de Cruceburc fuus Capellanus facerdotes, Heinricus miles de Cleberc, Hartungus Wirfing, & Heinricus ante portam, Cives in Gotha, & Theodericus rector & informator parvulorum ibidem. - - Datum & actum anno Domini* M CC LXXXXII. *XVIII. Kl. Maji, qvod eft in die Tyburcii & Valeriani Martyrum.*

§. LIX. Eodem anno Kunegund Abbatiffa ab Heinrico de Meldingen eqvite aliqvot bona in minori Rettbach (Rittebach) emit, confentiente Alberto Landgravio.

§. LX. Eodem anno Hermannus Iunior Camerarius de Vaner oppignorat monafterio S. Crucis bona fua in Vfhufen.

Ex formula oppignorationis nonnulla afferemus. *Nos Hermannus Iunior Camerarius de Vanre prefentibus recognofcimus, qvod Ecclefie Sanctimonialium S. Crucis apud oppidum Gotha pro Adilheida de Gelinden in Ecclefia locata, forore noftre uxoris tenemur folvere ufualis pecunie octo marcas, & pro eadem fumma prefate Ecclefie noftra bona in Vfhufen expofuimus fub forma pignoris - - preterea pro fepedicta fumma Heinricus dictus Sne nofter Scultetus & Henricus nofter fervus de Vfhufen nobifcum fecerunt ratihabitionis in folidum fidejufforiam fponfionem. - - - Teftes hujus funt Dominus Henricus de Vanre, nofter frater, Canonicus Ecclefie S. Marie in Erford, & Reinhardus de Gotha civis Erfordenfis. Datum anno Domini M CC nonagefimo fecundo in die Annunciationis S. Marie Virginis.*

1293 §. LXI. Anno CIↃ CC XCIII. Albertus Landgravius Gothæ agens, monafterio adfcripfit dimidium manfum, qvem antea Hartungus de Nurenberg ab ipfo habuit in feudum.

Huic noftre appropriationi (inqvit Albertus) *aderat Lymannus de Meila, Hermannus magifter curie noftre, Matthias prothonotarius noftre curie, & qvam plures alii fide digni. VII. Kl. Septembris.*

§. LXII.

§. LXII. Eodem anno idem Landgravius monaſterio addicit duos manſos in Rettbach, à Diterico de Meldingen ejusqve filia ſibi oblatos.

Teſtes erant *Heinricus de Meldingen*, *Heinemannus de Hain, Hermannus magiſter curiæ*, *Guntherus de Slotheim*, *Hermannus de Mila.*

§. LXIII. Porro eodem anno laudatus Albertus Landgravius Abbatiſſam & Sanctimoniales S. Crucis in ſingularem ſuam recipit clientelam.

Præceptum eo nomine perſcriptum in rem præſentem affero. *Nos Albertus Dei gratia Touringorum Landgravius & Saxonum Comes Palatinus recognoſcimus tenore preſencium publice proteſtando, Qvod pio zelo ducti ob reverentiam Dei, & ſancte Marie virginis, devocionis cauſa qvam inprimis comperimus Dominam Abbatiſſam & Sanctimoniales ſancte Crucis ante fores noſtre civitatis reſidentes Gotha cum omnibus ſuis bonis in noſtram protectionem recepimus in gratiam ſpecialem. Nolentes ipſas Dominas in ſuis bonis ſeu perſonis ab aliqvibus impediri, qvi noſtris obediunt voluntatibus & mandatis, imo potius ab omnibus cum exacta diligentia promoveri in ſingulis ipſarum bonis & negotiis qvibuslibet in agendis, ut noſtram velint ingratitudinem evitare. Igitur ut noſtre protectionis voluntas ab omnibus preſens ſcriptum intuentibus ſincerius perfici cognoſcatur, preſentem divalem paginam, ſupradictis Dominabus pro demonſtratione habendam dedimus noſtri ſigilli robore communitam. Actum & datum in Gotha anno Domini M. CC. nonageſimo III. in vigilia beati Thomæ Apoſtoli. Hujus rei teſtes ſunt Heinemannus de Hayn, Hermannus magiſter curie noſtre, Heinricus de Miela, noſter tunc Scultetus in Gotha, Heinricus Wendephaphe, & Heinricus de Hayn noſtri Caſtellani in Gotha & qvam plures alii fide digni.*

§. LXIV. Sed & ſeqvens reperi decretum Alberti Landgravii eodem nomine perſcriptum, in qvo tamen eſt omiſſa anni epocha.

Alber-

Albertus Dei gratia Thuring. Lantgr. & Saxonum Com. Palat. Gunderano de Indagine & universis ei succedentibus in officio nostro Gotha Salutem & omne bonum. Noveritis qvod Ecclesiam & conventum Sanctimonialium sanctæ Crucis ante civitatem Gotha ex speciali gratia sic in nostram protectionem specialem receperimus & favorem, qvod ipsam Ecclesiam in universis bonis suis a nullo offendi volumus aut gravari. Mandamus ergo vobis, ne a predicta Ecclesia contra voluntatem procuratoris ipsius qvicqvam de cetero reqviratis, si nostram velitis ingratitudinem evitare. Qvicqvid vero ab ipsa Ecclesia servicii habere volumus, illud per nostras literas reqvirere volumus, aut propria in persona. Datum Wartberch in Dominica Invocavit.

1294 §. LXV. Anno CIↃCCXCIV. triga fratrum Slothemiorum monasterio S. Crucis attribuit dimidium mansum in Stotternheim, qvem antea feudali titulo ab ipsis habuit Heinricus de Sibeleben.

Ex præcepto Nobilium aliqva subjicio. *Nos Guntherus & Fredericus & Cunmundus fratres filii Guntheri de Slatheim dicti Surezzig. - - publice protestamur, qvod dimidium mansum situm in Stuternheim, qvem Henricus de Sybelebin a nobis qvondam possidebat jure feodali, eo jure qvo ad nos spectabat dedimus Ecclesie Sanctimonialium sancte Crucis apud Gotha perpetuo possidendum. Et hoc fecimus de libero consensu nostrorum hereaum, & in hoc pro ipsis nostris heredibus, & omnibus, qui se ratione juris feodalis interponere voluerunt, vvarandiam in omni loco debemus & volumus exhibere. Testes hujus sunt Dominus Iohannes Viceplebanus in Tungisbrucken, Henricus de Indagine Gisilberus, Cunradus Ruchsten, Fridericus de Molre, & qvamplures alii fide digni. Datum anno Domini M. CC. nonagesimo qvarto in crastino Assumptionis beate Virginis.*

1295 §. LXVI. Anno CIↃCCXCV. Albertus Landgravius pomarium ante portam Sunthusanam situm, & ad filios Hermanni Willekomms spectans, ab omni petitione & exactione liberat, seqventi præcepto.

Nos

Nos Albertus Dei gratia, Thur. Landgrav. & Saxon. Comes Palatinus recognoscimus tenore presencium publice protestando, Quod ortum seu pomerium, qvondam Hermanni dicti Willekume civis nostri nunc nunc autem filiis & parvulis suis jure hereditario successuris & ad eosd. devolutum, situm prope civitatem nostram Gotha, ante valvam Sunthusen qvem pro commodo speciali nobis elegimus, & recepimus, ab omni peticione sive exactione solutum esse volumus simpliciter & exemptum. Nolentes qvod cives nostri de Gotha tempore petitionum nostrarum, de jam dicto pomerio, nomine petitionis exigant aliqvid vel reqvirant. Super qvo patentes nostras literas sibi conscribi fecimus, sigilli nostri robore communitas. Hujus rei testes sunt Hermannus de Myela, Hein. de Hayn, H. de Hyrsenrode, & Matthyas nostre curie prothonotarius & Cristanus noster scriptor. Et licet dictus H. de Willekume, bone memorie de hac vita decesserit, nichilominus tam suos pueros & heredes in predicta gratia, & in libertate conservare volumus & gaudere, quemadmodum est perscriptum. Actum & datum Wartberc, Anno Domini M CC Nonagesimo.

§. LXVII. Eodem anno Eberhardus de Malsleben monasterio vendit molendinum ad pagum Mittelhausen situm.

Potiora Notitiæ Eberhardi adscribo: *Ego Eberh. miles de Malslebin recognosco - qvod de consensu & bona voluntate uxoris mee Agnetis & filii mei Kunimundi - - Domine Abbatisse & Conventui Sanctimonialium S. Crucis prope Gotha vendidi unum molendinum situm prope Mittelhusen cum omnibus proventibus & redditibus, videlicet qvinqve maldris frumenti Erfordensis & una marca usualis argenti, & hanc pensionem Henricus dictus Mennechen de Gundirsleiben, civis in Gotha, qvi predictum molendinum jure possidet hereditario predicto Conventui annis singulis presentabit. preterea sepedictum molendinum promisi predicto conventui ante proximum festum Bte Walp. proprium ordinare a nobili Comite Domino de Orlamunde de cujus manu jure feodali habui, & pro ratihabitione vvarandie Heinricus de Hain Castellanus in Gotha mecum fecit*

fideliter sponsionem. In cujus rei certitudinem firmiorem presentem literam predicto dedi conventui sigillo meo & Heinemanni de Hain mei soceri roboratam. Testes hujus sunt Dominus Eckardus plebanus Ecclesie S. Marie in Gotha, Theodericus rector scolarium ibidem, Heinricus de Hain prescriptus, & Hartungus dictus Wirsing, & qvamplures alii fide digni. Datum anno Domini M CC XCV. in die beati Ioh. Bapt.

§. LXVIII. Venditioni mox consensit dominus feudi Hermannus senior Comes Orlamundanus.

Testes erant *Comes Fridericus de Rabensvvalde, Hermannus de Indagine, Otto & Ditericus de Wechmar, Henricus de Denstet.* Dresserus parte III. Isagog. Histor. *Anno Chr. 1295. Hermannus Orlamundanus Comes Mittelhusinum molendinum eidem monasterio* (S. Crucis) *consecravit.*

1296 §. LXIX. Anno CIↃ CC XCVI. Albertus Iunior, Thuringiæ Landgravius, Alberti filius, vulgo dictus Apitius, in gratiam monasterii S. Crucis bona qvædam in villa Lina ab omnibus exactionibus & angariis liberat.

Dignum est privilegium, qvod integrum adscribatur. *In nomine sancte & individue Trinitatis. Ne ea qve fiunt tempore, simul effluant cum tempore, necessarium duximus ea qve aguntur per literarum noticiam ad futurorum memoriam pervenire. Hinc est qvod nos Albertus Dei gratia Lantgravius Thuringie Iunior presentibus recognoscimus publice protestando, qvod qvibusdam bonis in Lina sitis videlicet manso & dimidio qve conventus Sanctimonialium sancte Crucis apud Gotha jure proprietatis possidet, & longo tempore jam possedit, talem libertatem voluntarie admittimus, qvod nulli nostri Advocati, Sculteti, villici, precones, sive alii viri nostri officiarii predicta bona, colonos & incolas eorundem ullis exactionibus, petitionibus, contributionibus seu aliis angariis ullo tempore impugnabunt. Et ut orationum & aliorum beneficiorum qve in dicto conventu continue fiunt, participes maneamus, dictorum bonorum specialis gubernator esse volumus & defensor. Vt igitur hu-*

jusmo-

jusmodi nostra donatio & libertatis permissio per nos & nostros subditos perpetuo tempore inviolabiliter observetur, presentem literam pro dicto Conventu dedimus nostri sigilli munimine roboratam. Testes hujus sunt Dominus Eckardus plebanus Ecclesie S. Marie in Gotha, Dominus Eckardus viceplebanus in Lina, Heinricus miles de Cleberc, Heinricus de Botinstete, Heinricus dictus Wegener, & qvamplures alii fide digni. Datum per manus magistri Theoderici rectoris parvulorum in Gotha. Anno Domini M CC XCVI. *sabbato ante diem S. Bonifacii.*

§. LXX. Anno CIↃ CC XCVII. Paulus & Petrus fra- 1297
tres de Tullestet, castellani in Gotha, monasterio vendiderunt nemus Luchenrod inter Tennebergam & Wintersteinium castella situm, consentiente primum Alberto Landgravio, ac post Alberto filio ex Kunigunda Isenbergica genito.

Alberti Landgravii Notitia XII. Kl. Sept. perscripta ita habet.

Nos Albertus Dei gratia Thuringie Lantgravius & Saxonie Comes Palatinus recognoscimus in hiis scriptis & ad singulorum notitiam qvibus presens scriptum exhibitum fuerit apertius cupimus devenire, qvod ligneta inter medium Tenneberc & Wintherfteyn opida sita qve Luthechenrod vulgaritur nuncupant, qve Paulus & Petrus fratres filii Theoderici qvondam de Tullestete nostri in Gotha capellani in feodo a nobis tenuerunt, & ad nostras manus liberaliter & voluntarie resignaverunt, qve etiam ligna Sanctimoniales claustri sancte Crucis extra muros civitatis Gotha site suis denariis compararunt, ob reverentiam Dei & S. Crucis & honorem beate & gloriose virginis Marie genitricis Dei, nec non ob nostre anime veniam & salutem ipsis Sanctimonialibus & Ecclesie ibidem appropriavimus & presentibus in proprium damus, ipsam appropriationem nostra litera & sigilli robore confirmavimus. Cujus rei testes sunt strenui viri Albertus de Brandenberg, Hermannus de Hyrsingerode, magister curie nostre, Eberhardus de Malsleiben, Güntherus de Lyznick, Haynemannus de Hayn miles, Heinricus de

Mila, noſter tunc in Gotha Scultetus, nec non Wilhelmus de Wiſſenze, Criſtanus de Gotha Notarius curie noſtre. Actum & datum in caſtro noſtro Wartberc Anno Dominice Incarnacionis MCCXCVII. *XII. Kl. Sept.*

Notitiam Alberti Iunioris (is eſt famoſus ille *Apicius*, Apez) integram qvoqve placet repetere. *In nomine Domini, Amen. Nos Albertus Dei gratia Thuringiæ Lantgravius Iunior recognoſcimus tenore preſentium lucide proteſtando, Qvod nemus ſive rubetum, qvod dicitur Luchenrod, ſitum inter duo caſtella Tenneberg & Winterſtein, adjacens inter alia bona noſtro dominio deputata, qvod nemus ſeu rubetum dilectus pater noſter Albertus Lantgravius Thuringiæ ſenior appropriavit & donavit Ecclesie & Conventui Sanctimonialium ſancte Crucis extra muros Gotha pro remedio anime ſue & ſalute perpetuo jure proprietatis libere poſſidendum damus & appropriamus cum omnibus noſtris, qvorum intereſſe poterit, predictis ſanctimonialibus & conventui S. Crucis ob honorem & reverentiam Dei omnipotentis & ſancte Crucis. Volentes igitur hujusmodi appropriationem & donationem per prefatum patrem noſtrum & nos factam ratam & firmam in omnibus inviolabiliter obſervare, & dictum cenobium in predicto nemore & in aliis bonis ſuis, in qvantum poſſumus, defendere & tueri. Teſtes hujus donationis ſunt Hermannus de Lupenice, Ludevvicus de Hurſelgovve, Heinmannus de Indagine milites, Bertoldus de Abiete, Fridericus Gize, Conradus de Cleberg, & qvamplures alii fide digni. In hujus rei certitudinem & incorruptibilem firmitatem preſentem literam conſcriptam dedimus ſepedictis Sanctimonialibus & conventui noſtri ſigilli munimine roboratam. Actum & datum anno Domini milleſimo ducent. nonageſimo octavo in craſtino beatorum Apoſtolorum, Philippi & Iacobi.*

§. LXXI. Eodem anno in vigiliis S. Bartholomæi Abbas & Conventus monaſterii Reinhartsbornenſis vendiderunt monaſterio duos manſos in Warza.

Teſtes contractus laudantur *Heinricus de Mila, miles, tunc Scultetus in Gotha, Eberhardus miles de Malsleiben, Heinricus de Indagine,*

gine, Hartungus de Tuttilstete, Heinricus de Vfhusen, Hartungus Wirsing, Heinricus Bertradis, Hartmudus Hottermann, cives in Gotha.

§. LXXII. Eodem anno Luckardis, Friderici de Wangenheim vidua, eo qvod Abbatissa S. Crucis filiam suam Helvvigem inter moniales receperat, monasterio assignat duas marcas annuorum redituum in Phalndorf.

Ex Viduæ Wangenheimiæ Notitia potiora repeto: *Ego Luckardis relicta qvondam Friderici militis de Wangenheim --- recognosco, qvod cum reverenda Domina Abbatissa Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis apud Gotha de consensu unanimi ejusdem conventus Helvvigin meam filiam receperit in consororem, Ego de bona voluntate meorum coheredum promisi duas marcas annalis redditus pensionis perpetue eidem Ecclesie comparare, vel viginti marcas usualis pecunie procuratoribus predicte Ecclesie presentare pro qvibus predicta annalis pensio emetur. Cum ergo nulla bona predicte Ecclesie competentia nunc vendibilia se offerrent, nec sepedicta Ecclesia de meo promisso detrimentum aliqvod pateretur, in meis bonis censualibus in Phaladorph duas marcas prefate Ecclesie annis singulis assignavi. --- Testes hujus facti sunt Dn. Th. plebanus in Phalndorf, Dn. Heinricus dictus Ysnal plebanus in Walvvinkel, sacerdotes, Burckardus dictus Rube, & plures alii fide digni. Datum & actum anno Domini M CC nonagesimo septimo sexta feria infra communes.*

§. LXXIII. At forte Helvigis non fuit filia, sed neptis Luckardæ. Nam anno CIϽCCXCIX. Ludovicus de Wangenheim eandem Helvvigem vocat filiam suam. Nisi forsan dixeris duas tum floruisse virgines Wangenheimias cognomines. 1299

Ex hujus qvoqve Ludovici Notitia pleraqve afferam.

Nos Ludovicus de Wangh. -- recognoscimus --- qvod qvam devote & religiose Domine Abbatissa totusqve conventus Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis apud Gotha nostram filiam Helvvigin

precipue causa Dei & ob preces nostras continuas in consororem sui conventus & consociam receperunt, nos eidem conventui benivolum ac favorabilem animum inclinantes, ob salutem nostre anime & ut suarum rationum & omnium beneficiorum apud Deum jugiter participes maneamus de benevolo consensu Iutte nostre uxoris legitime & Lodevvici nostri filii & omnium heredum nostrorum duos mansos nostros proprios sitos in Ascher eidem dedimus conventui proprietatis titulo perpetuis temporibus possidendos. - - Testes hujus sunt Berthous miles apud pontem dictus Mus, & Reynboto frater suus, & Berthous Mus filius sui patrui, Reynboto dictus Smucke, Cristanus & Heinricus fratres dicti de Goltbach - - Datum anno Domini MCC nonagesimo nono sexta feria ante Dominica, in qua cantatur Invocavit.

§. LXXIV. Etsi Beginæ qvædam in villa Warza monasterio S. Crucis dimidium mansum legaverant, qvia tamen hæredes Beginarum dissentiebant, Agnes Abbatissa cum procuratoribus monasterii mansum illum resignavit.

Id qvod seqventi Notitia testabantur Consul ac Senatores Gothani. *Ne ea qve fiunt in tempore simul effluant cum tempore, necessarium duximus ea qve per nos fiunt per literarum noticiam ad futurorum memoriam pervenire. Hinc est qvod nos Hartungus Wirsing & Heinricus Bertradis magistri Consulum ceteriqve Consules in Gotha presentibus recognoscimus publice protestando, qvod Mechtildis & Kunigundis sorores & Hildegunt cognata predictarum, Begine de Wartza de consensu unanimi dimidiam mansum situm in pago predicte ville legaverunt & dederunt pro remedio animarum suarum conventui Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis apud Gotha post ipsarum obitum perpetuis temporibus possidendum. Heredes vero dictarum Beginarum videlicet Hermannus Calcifex de Warza, Cristanus, Guntherus, Cunradus filii ejusdem Hermanni, Albertus, Theodericus, Hermannus filii Domine Gyten, Hermannus, Conradus, Berthous & Bertoldus fratres dicti de Vorte, Heinr. de Ellende, & sui parvi unanimiter reclamaverunt dicentes,*

centes qvod post obitum dictarum Beginarum dictus mansus dimidius potius ipsis cederet qvam prescripto conventui S. Crucis. Tandem vero devota Domina Agnes Abbatissa, frater Ludolfus & alii procuratores predicte Ecclesie cum ceteris coheredibus adeo amicabiliter tractaverunt, qvod omni juri qvod in sepedictis bonis habere poterant, abrenunciaverint libere & libenter, & super eo in majorem cautionem presentem nostram literam signatam sigillo nostre civitatis dare predicte Ecclesie rogarunt. Testes hujus sunt Hartungus de Tutilstete, Volmarus apud Capellam, Witelo in foro dictus Vinne, & qvam plures alii fide digni. Datum anno Domini M CC nonagesimo nono sexta feria ante Invocavit.

§. LXXV. Anno CIↃCCC. Hartungus & Heinricus fratres de Erffa, eqvites, monasterio vendiderunt duos mansos Warzæ pro triginta marcis argenti. 1300

Id qvod eloqvuntur seqventia Notitiæ eo nomine perscriptæ excerpta. --- *Nos Hartungus & Heinricus de Ercfa fratres milites recognoscimus -- qvod duos mansos sitos in campo Warza vendidimus religiosis Dominabus Domine Agneti Abbatisse & Conventui cenobii S. Crucis extra muros Gothenses ord. Cysterc. pro triginta marcis nobis integraliter persolutis jure proprietatis perpetuo possidendos. -- Testes hujus contractus sunt Dominus Heinricus sacerdos dictus Tsnal, Elkenbertus de Buchenovve, Bertoldus de Northovven, Gothefridus de Nazza, milites, Heinricus de Indagine castellanus in Gotha, Cunradus dictus Snoubersat. -- Actum & datum anno Domini M CCC. feria qvinta ante diem Palmarum.*

§. LXXVI. Anno CIↃ CCCI. Albertus Landgravius generali qvodam privilegio beat monasterium S. Crucis, de bonis qvibuscunqve emendis, &, si qvæ legarentur, recipiendis. 1301

Dignum est hoc privilegium, qvod integrum afferatur. *Qvoniam res gesta aut oblivionis incuria, aut humane temeritatis protervia sepius violatur, que non approbatur scriptis autenticis*

literarum. Inde est qvod nos Albertus Dei gratia Thur. Landgravius & Saxon. Comes Palatinus presentibus lucide recognoscimus, & ad omnium cupimus noticiam pervenire, qvod cum ob rerum varios eventus in hujusmodi maliciis se nobis offerentes divino minus intendere possumus cultui, religiosis tamen personis & in via Dei ambulantibus promocionis beneficium pro nostro posse impendere cupimus, ut eorum apud Deum meritis & precibus adjuvemur. Qvapropter monasterio Sanctimonialium ordinis Cysterciensis sancte Crucis apud civitatem Gotha sito ex nostra liberalitate conferimus hanc libertatem, qvod qvicunqve ductus zelo pietatis, aut pressus articulo necessitatis, possessiones aliqvas intra aut extra civitatem in areis scilicet, curiis, domibus, possessionibus, campis, agris, pratis, pascuis sive aliis rebus qvibuscunqve & ubicunqve sitis predicto monasterio aut ejus incolis dare, legare, vel vendere voluerit, ut ipsa de nostra permissione & consensu petere, retinere & possidere qviete & pacifice valeant consvetudine contraria non obstante. Litere vero impetrate vel impetrande factum hujusmodi impedire volentium nullum prorsus robur habeant firmitatis, dum nec nostre civitati inde prejudicium generetur. Super qvo presens scriptum dedimus sigillo nostro firmiter roboratum. Acta sunt hec Anno Domini M. CCC. primo, in die sanctor. Iohannis & Pauli presentibus Eberhardo milite de Malsleiben, Heinrico de Hain, Cunrado de Amera, Prothonotario nostro, Wilhelmo nostro Notario, & aliis qvamplurimis fide dignis.

§. LXXVII. Idem Scultetum & Scabinos Gothanos jubet coercere juventam monasterio molestam.

Qvia mandatum Principis sine anni ac die nota conscriptum, malui in hunc referre locum, qvam plane omittere. *Al. Di gra. Thuring. Lantgr. & Saxon. Com. Palat. Fidelibus suis Scultheto & Scabinis universis de Gotha gratiam suam & omne bonum. Conqvestus est nobis Conventus Sanctimonialium sancte Crucis, qvod Iuvenes & pueri nostre civitatis vagantur sepius circa suam piscinam & sepes tam apud claustrum, qvam alias, scilicet Rode, & ubi suas habent possessiones, molestias & damna sibi faciant*

inceſſanter. Et qvia ipſum protegere atqve tüeri pre ceteris monaſteriis ſubjacentibus nobis cupimus, prout potuerimus, mandamus vobis qvatinus ſub obtentu gratie noſtre injuriatores ſuos omnes vobis denunciatos & accuſatos tam in perſonis qvam & poſſeſſionibus ita coherceatis, ne contingat nos nova rurſum qverimonia a vobis teporem exigere judicii, & ſuper veſtra negligentia indignari.

§. LXXVIII. Eodem anno Hartnidus Abbas cum ceteris fratribus monaſterii in Breitungen monaſterio S. Crucis vendunt manſum proprium in Tophleben.

Excerpta Notitiæ Abbatis affero. *Nos Hartnidus Abbas, Reynhardus Prior, Hartmannus Cuſtos, & Hertvvidus Camerarius totusqve conventus monaſteris in Breitungen recognoſcimus -- qvod onere debitorum graviter occupati unum manſum proprietatis ſitum in Tupheleibin maturo prehabito conſilio vendidimus venerabilibus in Chriſto ac religioſis Dominabus Domine Abbatiſſe & Conventui monaſterii S. Crucis extra muros Gotha pro viginti & ſex marcis uſualis argenti. --- Teſtes hujus noſtre venditionis & ſupradictarum Dominarum emptionis ſunt Dn. Criſtanus plebanus S. Margarete in Gotha, Dn. Heinricus ſacerdos dictus Yſnal, Heinricus de Indagine Caſtrenſis in Gotha, Hartungus de Tuthilſtete, Dn. Heinricus Kumer ſenior in Gotha cives, Heinricus dictus Caſeus, Guntherus de Tuphelcybin. -- Actum & datum anno Domini* MCCC *uno, in die beatorum martyrum Gervaſii & Prothaſii.*

§. LXXIX. Anno CIƆCCCII. Hermannus miles de Kundorf Agneti Abbatiſſæ in proprium adſcribit qvartam partem manſi, a Ditmaro Monetario emtam. 1302

Ex Hermanni Notitia potiora ſubjungo. --- *Nos Hermannus miles de Kundorf preſentibus recognoſcimus --- qvod Domina Agnes Abbatiſſa totusqve conventus Sanctimonialium Eccleſie S. Crucis apud Gotha emit qvartale unius manſi ſitum in campo Gotha ad Ditmarum Monetarium civem ibidem, qvi idem Ditmarus jam dudum a nobis jure habuit feodali, Nos vero ut bonorum operum qve per devotas virgines in eadem fiunt Ec-*

clesia, participes maneamus predictum qvartale eidem appropriamus Ecclesie, ut titulo proprietatis perpetuis temporibus possideant de nostrorum heredum & successorum benivola voluntate. -- Testes hujus sunt Dominus Echardus plebanus Ecclesie S Marie, in Gotha, Dn. Hermannus filius predicti Ditmari, sacerdotes, Hartungus de Tuttelstete, Hartungus Kyner, Guntherus de Berringen, Reynboto de Vlleybin, & alii qvamplures. Datum anno Domini MCCC II. *in octava beati Martini Episcopi.*

§. LXXX. Eodem anno procuratores monasteri cum Conradi Snozen de Goldbach filiis amicam compositionem ineunt.

Id qvod docent seqventia Notitiarum excerpta. *Nos Heinricus Albertus Cunradus filii qvondam Cunradi dicti Snoze de Goltbach presentibus recognoscimus -- qvod de omni rancore & impetitione qvam habuimus adversus Ecclesiam & Conventum S. Crucis apud Gotha compositionem habuimus cum procuratoribus predicte Ecclesie amicabilem nobisqve & aliis nostris confratribus placitam & acceptam -- fecimus. -- Super qvo prefate Ecclesie presentem damus literam, qve sigillo Domini nostri Alberti de Brandenberc rogavimus sigillari. Testes hujus sunt Theodericus de Hochheim, Eckardus Hellingesleybin, Bertoldus de Ellende, Hartungus de Nuremberc, Cristanus Longus, Gerhardus apud fossatum. Datum Anno Domini* MCCCII. *qvinto Idus Februarii. Nos Ludolfus, Iohannes, Heinr. Guntherus procuratores Sactimonialium apud Gotha cupimus esse notum -- qvod de consensu nostro & aliorum confratrum nostrorum cum filiis qvondam dicti Snoze Cunradi in Goltbach commorati, omnes discordie & gverre qve inter nos & ipsos ex parte ripe dicte Goltbach movens nostrum molendinum vertebatur, compositionem amicabilem hujusmodi & acceptam facientes concambium &c.*

§. LXXXI. Eodem anno Albertus Landgravius conciliavit monasterium sancte Crucis cum Gerhardo de Sula, ejusqve uxore ac liberis, qvi bona illa in Goldbach

a Bur-

a Burchardo Comite de Brandenberg olim vendita repetebant.

Gerhardi uxor erat Sophia, filii Bernhardus, Hermannus & Reinhardus, filiæ Sophia & Giſela, & ex Sophia nepos Hermannus: qvibus Abbatiſſa tredecim libros denariorum ſolvit. Teſtes ab Alberto Landgravio citantur. *Heinricus de Blanckinberg, ord. Ciſterc. Dn. Heinricus de Franckinſtein, Kunemundus de Myla, Syfridus de Hopfgarten, Fridericus de Hetſtete, Theodericus de Beringen, Guntherus dictus Thuceln.* Plane iidem teſtes laudantur in Heinrici de Franckenſtein teſtimonio de eadem conciliatione.

§. LXXXII. Eodem anno Theodericus Iunior, Alberti Landgravii filius monaſterio S. Crucis confirmat jus patronatus parochialis Eccleſiæ S. Mariæ in Gotha ſeqventi privilegio,

In nomine Domini amen. Theodericus Dei gratia Iunior Thuring. Lantgr. Orientalis & Luſſacie Marchio omnibus in perpetuum. Oportet rem geſta ſub tempore ſcripturarum apicibus imprimi, ne rapiat ipſam ſucceſſus temporis & defluere faciat a memoria hominum. & propter oblivionem hujusmodi contingat aliqvaliter oberrare. Eſt ergo qvod ad univerſorum noſſe qvibus preſens ſcriptum oſtenditur volumus pervenire, qvod cupiendo ſeqvi honeſta Patris noſtri veſtigia omnem donationem ſeu appropriationem qvam fecit in Eccleſia parrochiali ſancte Marie in Gotha, videlicet donando eam vel appropriando ad clauſtrum Sanctimonialium ſancte Crucis juxta muros ibidem ratam gratam & acceptabilem in preſentibus promittimus fideliter obſervare. In cujus evidenciam & evidens nichilominus argumentum hanc preſentem literam cum noſtri ſigilli typario juſſimus informari. Actum & datum Erford preſentibus nobilibus viris Friderico & Bertoldo Comitibus de Rabensvvalde, Gunthero Comite de Svvartzburc, Bertoldo Comite de Hennenberc ſororiis noſtris, Henrico & Friderico de Bychilingun Comitibus, Theod. Comite de Hoenſtein, Theod. & Ottone fratribus

 de

de Wechmar, Theod. de Almenhusen, Eberhardo de Malsleiben cum ceteris fide dignis. Anno Domini M CC II. *XI. Kl. Aug.*

1203 §. LXXXIII. Idem seqventi anno fecit Fridericus frater.

Hujus qvoqve privilegium integrum adscribo. *In nomine Domini Amen. Nos Fridericus Dei gratia Marchio Missenensis recognoscimus puplice per presentes & tam ad futurorum qvam presencium omnium Christi fidelium noticiam cupimus pervenire, Qvod qvia Illustris Princeps Albertus Thuringie Lantgravius Saxonie Comes Palatinus pater noster dilectus divino afflatus spiritu pro anime sue & suorum heredum remedio salutari jus patronatus Ecclesie gloriose virginis Marie in Gotha qvod ad ipsum & nos ex successione paterne hereditatis pleno jure pertinuit venerabilibus in Christo Dei Abbatisse & Conventui Ecclesie sancte Crucis prope Gotha Dei ancillis ex pia liberalitate contulit & donavit pacifice & qviete perpetuo possidendum venerabilis Patris Domini Gerhardi Archiepiscopi Mog. loci Dyotesani super eo consensu libero accedente, nec non felicis recordationis Domini Nycolai Pape Qvinti ratihabitione & confirmatione Apostolica subsecutis. Nos ipsam donacionem per ipsum patrem nostrum tam pie atqve provide factam laudamus & consensu benivolo ratificamus. Immo eciam omne jus & dominium qvod nobis & nostris successoribus competebat in dicta Ecclesia seu in posterum competere posset, qvovis modo predictis Abbatisse & Conventui divine pietatis intuitu presentibus conferimus & donamus perpetuo possidendum. Volentes hujusmodi donationem cessante qvolibet obstaculo gaudere robore debite firmitatis, promittentes nichilominus bona fide Nos velle & debere prefatas Dei ancillas in possessione dicte Ecclesie contra qvoslibet impedientes nostre protectionis clypeo defensare. Testes hujus rei sunt Otto de Wechmar, Fridericus de Hetstete, milites, Theod. Tute, Heinricus Hellegreve cives in Ysennach, & alii qvam plures fide digni. Ne igitur super premissis aliqvalis scrupulus contentionis seu aliqva qvestio inposterum oriatur nocitura, presentes literas in perhennem memoriam nostri sigilli munimine fecimus fideliter robo-*

roborari. Datum & actum in Ysennach Anno Domini MCCCIII. *in die Innocentum.*

§. LXXXIV. Ad has filiorum ſuorum confirmationes provocat ipſe Pater eodem anno CIↃ CCC III.

In nomine Domini, Amen. Qvoniam temporum ſucceſſiones ſepius fidelium actiones in oblivionis decurrunt precipitium, neceſſe eſt & utile res perpetuitatis robur habituras ſcriptis autenticis roborari. Inde eſt qvod nos Albertus Dei gratia Thuring. Lantgravius & Saxonie Comes Palatinus omnibus tam preſentis qvam futuri evi hominibus volumus eſſe notum, qvod ob Dei honorem noſtriqve perhennem memoriam habendam, de miſſione noſtrorum filiorum Friderici ſcilicet & Theoderici monaſterio Sanctimonialium ſancte Crucis ordinis Cyſtercienſis apud Gotha ſito de noſtra liberalitate omnes res ac poſſeſſiones ſuas in qvibuscunqve bonis fuerint & ubicunqve ſitas, in opidis videlicet villis, terris, campis, agris, cultis & incultis, paſcuis, virgultis nemoribus, aqvis, aqvarum decurſibus, montibus & collibus, viis & inviis, redditibus qvibuslibet cum omnibus aliis intereſſe nunc inpreſenti habitas vel inpoſterum habendas appropriavimus & in perpetuum preſentibus erogamus. Prohibentes ne in bonis aut poſſeſſionibus ſuis predicti monaſterii incole a qvoqvam hominum calumpniam vel moleſtiam aliqvam patiantur, ſpeciali noſtre protectionis munimine firmiter confovendo. Vt autem hec donatio perpetuis temporibus inconvulſa permaneat, preſentem divalem literam deſuper conſcribi fecimus ſigilli noſtri karactere communitam. Teſtes hujus rei ſunt frater Heinricus Proviſor celle Scti Iohannis, Fridericus de Hetſtete, Eberhardus de Malsleybin, milites, Thelmannus de Hayn, & alii qvamplures fide digni. Datum anno Domini MCCCIII *pridie Kl. Decembris.*

§.LXXXV. Eodem anno CIↃCCCIII. Albertus Landgravius 1303 cœnobio S. Crucis attribuit judicium villæ Bufleben & annuam qvinqve marcarum penſionem, idqve in gratiam uxoris Eliſabethæ, ad cujus anniverſariam poſt exceſſum

memoriam moniales ex hac pecunia lautius erant tractandæ.

Insignis hac de re exstat Alberti scriptura, qvam non possum non afferre integram. *Testamentum suum non bene disposuit, qvi terrenis tantum testatur heredibus, & non facit Christum participem sibi substantie coheredem. Qvapropter nos Albertus Dei gratia Thuringie Lantgravius & Saxonie Comes Palatinus recognoscimus tam presentis qvam ac futuri evi Christi fidelibus cupimus esse notum, qvod pio zelo ducti bonaqve deliberatione prehabita, ob honorem Dei sueqve genitricis virginis gloriose ac inclite Domine Elyzabeth nostre contectalis dilecte precum instantiam studiosam propri•vimus, & ex certa conscientia literis presentibus propriamus judicium ville Bufeleibin cum qvinqve marcarum redditibus annue pensionis Conventus Sanctimonialium S. Crucis claustri Cistercienses ordinis ante fores civitis nostre Gotha Deo & beate virgini jugiter famulanti cum omni honore, utilitate, usufructu ac respectu qvibus ad nos pertinuit usqve modo. Sane qvod predictum judicium & pensio prenotata Sanctimonialium eisdem in ipsarum refectorio deserviat, & inde pro refectione & corporum consolatione tria fercula cum vino, cerevisia, piscibus & simulis ipsis ministrentur in singulis anniversariis nostre contectalis superius annotate, premissis solennitatibus divinorum & aliorum bonorum operum solitorum in memoriam defunctorum. Predicta vero judicium & pensio ad predictas Sanctimoniales in ejus usufructu devolvetur, impedimento qvolibet posthabito, ejusdem nostre contectalis hujus vite termino consummato. Renunciantes sicut exnunc sic extunc, omni juri nostro, qvod nobis, nostris successoribus qvibuscunqve ex nunc vel inposterum posset vel deberet competere in eisdem, que universa & singula simpliciter amputamus. Igitur ut predicta propriatio nostra ob honorem Dei & beate virginis, nostreqve contectalis Touringie Landgravie sepedicte introducta ipsius nostrorumqve peccaminum in medelam robur habeat sempiternum, presentem literam desuper conscriptam nostri sigilli robore jussimus communiri. Acta sunt hec anno incarnationis Domi-*

Domini millesimo CCC. *tertio, qvinto Nonas Iulii. Hujus nostre propriationis testes sunt strenui viri Fridericus de Hetstete, Eberhardus de Malsleibin, & Cunemundus ejus filius, Henricus de Miela tunc temporis noster Scultetus in Gotha, milites & castellani nostri ibidem, Heinricus de Hayn, Heinricus de Cleberg, Heinricus Wendepfaffe, etiam nostri Castellani ibidem, Hartungus Wirsing, Hartungus Hotirman magistri Consulũ, Nicolaus Cleinekouff, Hartungus ante portam, nostri cives in Gotha, & plures alii fide digni.* Dresserus de Germaniæ Vrbibus: *Anno 1303. Albertus Duringiæ Landgravius & Saxoniæ Palatinus, impulsu Elisabetæ conjugis suæ qvinqve marcas annui censûs eidem* (monasterio S. Crucis) *tradidit, de qvibus annis singulis natali illius die tria fercula cum vino & cerevisia apponi in refectorio debuerunt.*

§. LXXXVI. Ipse porro Fridericus Alberti filius paternum beneficium confirmavit seqventi Notitia.

Qvoniam & utriusqve meritum augmentatur, si predecessorum beneficia religiosis impensa a successoribus fiunt solidata Nos igitur Fridericus Dei gratia Missn. & Orientalis Marchio recognoscimus in his scriptis & ad singulorum notitiam cupimus pervenire, qvod vestigia Illustris Principis Alberti Thuring. Landgr. patris nostri dilecti studiosius imitantes, omnem gratiam qvam ob honorem Dei & beate virginis nec non ob sue contectalis Elyzabet petitionem (hic pauca videntur omissa) *sancte Crucis ante civitatem Gotha residentibus impropriatione ville judicis seu pensionis in Buffelebin vel in qvibuscunqve a'tis bonis, redditibus, pensionibus, proventibus ipsis Sanctimonialibus propriasse vel donasse pro ipsarum refectione & divini cultus augmentatione fecisse dinoscitur, testantibus suis litteris conscriptis desuper & donatis suiqve sigilli robore communibus collandamus & constanter annuendo de bona voluntate ex certa conscientia roboramus renunciantes omni juri nostro successorio in eisdem, ut exinde una cum nostro patre & matertera prenotata bravium etiam meriti attingamus. Et ut hec nostre roborationis ratihabitio voluntarie inducta maneat semper inconvulsa presentem literam desuper scribi fecimus & nostri sigilli robore jussimus communiri. Hujus rei testes sunt strenui viri Otto & Theoderi-*

dericus fratres de Wechmar, Eberhardus de Malsleiben, Fridericus de Hetstet, Hermannus magister curie, Henr. de Mila, Hermannus Goldackir, Conradus de Czvetin, & alii qvam plures fide digni. Actum & datum in Wartberg Anno Domini M CCC *tertio XIII. Kl. Augusti.*

§. LXXXVII. Præterea Albertus Landgravius laudato anno liberat omnes intra septa monasterii S. Crucis habitantes ab omni exactione, precaria vel angaria tam generali, qvam speciali.

Privilegium Alberti integrum subjicio. *Nos Albertus Dei gratia Thur. Lantgr. & Saxon. Comes Palat. omnibus hanc literam intuentibus cupimus esse notum, qvod simpliciter pro remedio anime nostre & in honorem sancte Crucis & gloriose virginis Marie omnes habitantes intra septa claustri Sanctimonialium sancte Crucis juxta muros Gotha cujuscunqve status vel conditionis existant, ab omni petitione, exactione, precaria vel angaria generali vel speciali nostrorum civium in Gotha eximimus & absolvimus jure perpetuo in his scriptis. Nolentes & sub intimatione gravis nostre offensionis districtius inhibentes, ne qvis nostrorum civium predictorum hanc nostre voluntatis gratiam violare presumens, ita videlicet ut exactiones qvocunqve nomine censeantur, deinceps expetat ab eisdem, aut denegatas qvoqvo modo audeat extorqvere. Ad hec addicimus de gratia speciali, qvod omnia septa ad dictum claustrum pertinentia, qve tanqvam pro communi licentia non de jure hactenus sunt deputata, appropriavimus, & presentibus appropriamus. In qvorum testimonium & certitudinem literam hanc nostro sigillo dedimus confirmatam. Datum anno Domini* M CCC III. *in octava S. Michaelis Archangeli.*

§. LXXXVIII. Ad hæc anno CIↃ CCC III. monasterium Reinhartsbornense monasterio S. Crucis vendit molendinum Ailhardinum.

Hermannus tum *Abbas*, Christianus *Prior*, Theodericus *Cellarius*, Hugo *Custos* erant Reinhartsbornæ. In Notitia con-

tractus

tractus mentio fit Hermanni dicti Aylhos, & Guntheri dicti Posſing: fitqve mihi veroſimile, ab illo Ailhardinum, ab hoc Pyſſingianum molendinum Gothæ nomen habere. Teſtes laudantur *Eckardus S. Marie, Chriſtianus S. Margaretæ Eccleſiarum Plebani in Gotha, Heidenricus de Sunneborn, clericus, procurator monaſterii Reinh. Eberhardus de Malsleibin, Fridericus de Hetſtete, milites, Hartungus de Tuthelſtete, Hartungus ante portam, oppidani in Gotha.* Molendinum autem illud, de qvo agimus, Reinhartsbornenſi monaſterio ab Alberto Lantgravio adſcriptum anno 1287. 7. Idus Martii.

§. LXXXIX. Anno CIϽ CCC IV. Hermannus Capuz de Mulburg, una cum liberis fratris ſui monaſterio vendidit manſum proprium in Remſtet pro XXIII. argenti marcis. 1304

Ex Notitia Hermanni potiora afferam. *Ego Hermannus dictus Capuz de Mulburg, Theodericus, Heinricus, Gothefridus, Rudolfus & Gerdrud filii fratris mei recognoſcimus - - qvod - - Abbatiſſe & Conventui monaſterii S. Crucis extra muros Gotha unum manſum proprietatis ſitum in campis Remſtete pro viginti tribus marcis examinati argenti nobis integraliter perſolutis vendidimus jure proprietatis perpetuo poſſidendum. - - Teſtes hujus ſunt Dominus Criſtanus plebanus S. Margarete in Gotha, Fridericus de Hetſtete miles, Heinricus de Indagine, Caſtellani ibidem, Criſtanus de Goltbach, Heinricus & Gerlacus fratres dicti Auce, Hartungus de Tutilſtete, & alii qvamplures fide digni. Nos Hermannus dictus Capuz Clericus procurator allodii Reverendi Domini Archiepiſcopi Maguntini, S. Marie Erford. Ihichiburgn. Eccleſiarum Canonicus predictorum nepotum meorum & conſanguineorum neceſſitatem & utilitatem in venditione hujus manſi conſiderantes & attendentes ratam & gratam habentes ſigillum noſtrum appoſuimus pagina preſenti in teſtimonium ſuper eo. Dantes Erfordie Anno Domini* MCCCIIII. *IIII. Kl. Auguſti.*

1305 §. XC. Anno CIƆ CCC V. Abbatiſſa totusqve Conventus monialium profitentur, ſe qvotannis Eckardi militis de Hochheim anniverſarium duabus vicibus celebraturas.

Pleraqve Notitiæ Monialium adſcribam. *Nos Abbatiſſa totusqve Conventus Sanctimonialium monaſterii S. Crucis extra muros Gotha univerſis Chriſti fidelibus - - volumus fieri manifeſtum, qvod Dominus Eckardus miles dictus de Hochheim bone memorie preter alia bona qve noſtrum cenobium de manu ſua recepit, in remedium anime ſue ſpecialiter unum manſum ſitum in villa Buffeleibin - - - noſtre Eccleſie donavit & tradidit, ut duobus temporibus anni ipſius anniverſarium ageremus. Cum ergo ſecundum legittimas ſanctiones nemo ſuis beneficiis decipi debeat, ſed juvari, nos memorati Domini Eckardi intentionem devotam qvam ad noſtram Eccleſiam habuit attendentes, ne ingrate de his & aliis beneficiis inveniamur, juxta ipſius donationis voluntatem ordinamus, ut in duobus temporibus anni videlicet V. Ydus Aprilis & VIII. Ydus Iulii vel diebus vicinoribus qvibus optime fieri potuerit, pro ſalute anime Domini Eckardi & conjugis ſue in choro noſtro in veſpere cum vigiliis & in mane cum miſſa animarum dies anniverſarius ſolempniter peragatur. In cujus rei fidem & memoriam ampliorem venerabilis Patris Magiſtri Eckardi Pariſienſis provincialis fratrum ordinis predicatorum per provinciam Saxonie & noſtri conventus ſigillorum appenſione hanc literam fecimus firmiter communiri. Datum anno Domini* M CCC V. *XIIII. Kl. Iunii.*

1307 §. XCI. Anno CIƆ CCC VII. Cunemundus - - - cum uxore ſua Mechtilda, & filiis, Ludovico, Heinrico & Cunemundo, monialibus S. Crucis jure proprietatis poſſidendum adſcribunt dimidium manſum in campis Warza.

§. XCII. Anno CIƆ CCC IX. Fridericus Landgravius
1309 Thuringiæ, Miſnenſis & Orientalis Marchio, Dominusqve terræ Pliſnenſis monialibus S. Crucis molendinum Ailhardi-

hardinum prope civitatem Gotham itemqve manſum ad cellarium Gothanum pertinentem præſens attribuit Gothæ pridie Kl. Martii.

Teſtes ſunt, *Waltherus, Friderici protonotarius, Heinricus de Arnſtete, Eberhardus de Malsleyben, Fridericus de Heſtete, Hermannus Goltacker, milites, Kunemundus de Malsleyben, Heinricus dictus Wendepfafe, Heinricus Vlleyben.*

§. XCIII. Anno CIↃ CCC X. Heinricus Wiſvverck 1310
opulentus civis Gothanus, ob receptam a monialibus filiam, in monaſterium valde eſt beneficus.

Digna eſt viri beneficentia, qvæ etiam poſt tot ſæcula deprædicetur, idqve per ipſam Agnetis Abbatiſſæ ceterarumqve monialium Notitiam, qvam integram repetemus. *In nomine Domini, Amen. Ne noticiam. rerum rite geſtarum. oblivionis cecitas qve mater eſt litis. valeat obfuſcare. conſueverunt providi. negocia ſollempnia litterarum. vel ydoneorum teſtimonio pro jugi memoria roborare. Qvapropter. Nos Agnes. Abbatiſſa, --- Prioriſſa totiusqve Conventus Sanctimonialium Eccleſie ſancte Crucis extra muros Gothacen. tenore pſentium dingnum duximus. publice proteſtari. qvod. cum. ad devotas petitiones honeſti viri. Heynrici dicti Wysvverk. ſui natam. pro noſtra conſorore. reciperemus. puriſſime propter Deum. idem, benivolentiam ſibi in ea parte exhibitam. benigniori mentis oculo fideliter intuens. noſtram eccleſiam edotavit nemine elemoſine, bonis infra ſcriptis, videlicet. dedit & legavit nobis, illas domos. qvas ut nunc Th. de Warza & Tycelo praxator cum aliis domibus curiis & ortis attinentibus poſſident. extra muros Gota ſitas. Item domos illas. qvas --- dictus Svevus --- dictus Scopinrok & Conradus Petri. intra civitatem in platea dicta Crithen. poſſident cum aliis domibus & curiis conpertinentibus, & cum pleno omnium predictarum domorum cenſu. temporibus perpetuis poſſidendas. Inſuper predictus Heynricus. ſue ſalutis non immemor ſuum teſtamentum diſpoſuit in hunc modum. ſcilicet, qvod decem ſolidos. de domibus ſitis in-*

tra civitatem predictis dando ad hoc specialiter deputavit. ut cum hiis denariis. nobis bona cerevisia. feria secunda. in vinum septimana pro consolatione debeat comparari ad tempora sue vite. Eciam obventiones. videlicet novem pulli qvi dantur curiis de eisdem; Item sedecim pulli & octo auce. dandi de aliis curiis extra civitatem sitis. dominabus in infirmaria decumbentibus. in eadem secunda feria partientur. predicto vero Heynrico defuncto totalis illa consolatio dabitur in suo anniversario. nobis specialiter ut est expressum. Vt igitur omnia predicta debito robore jugisqve temporibus perseverent. petivimus presentes litteras. sigillo civitatis. pro testimonio cum & nostro sigillo. fideliter communiri. Et Nos Hartungus de Tutilstete & Guntherus Wyllekum magistri Consulum. ceteriqve Consules in Gotha protestamur. qvod ad peticionem predicti conventus nostrum sigillum appendimus testimonio pro fideli. Datum Anno Domini. M. CCC. X. *feria qvinta in communi septimana.*

Paucæ illæ lacunæ, qvibus nomina debuissent inscribi, in ipso avtographo, qvod in curia Gothana asservatur, comparent.

1314 §. XCIV. Anno CIↃ CCC XIV. Fridericus Landgravius monasterio S. Crucis sylvam Tatenberg donavit.

Integram Notitiam donationis repeto. *In nomine Domini, Amen. Fridericus Dei gratia Thuringie Lantgravius, Missen. & Orient. Marchio, Dominusqve terre Plisnensis. Vniversis tam presentis qvam futuri evi Christi fidelibus, cupimus fore notum, qvod nos ob reverenciam & honorem sancte Crucis, pie devocionis intuitum, nec non in animarum nostrarum progenitorum & successorum nostrorum remedium salutare devotis Deo Domine Abbatisse & Conventui Ecclesie S. Crucis extra muros oppidi Gotha ordinis Cistercienis, silvam qve dicitur Tatenberg, qve ab aqva qve dicitur Loucha incipit, & extenditur usqve ad rivum, qvi appellatur Mulbach, & ab inde protenditur ad rivulum qvi dicitur Rothembach, deinde vero ad paludem parvam, nec non qvi ab inde ex alia parte iterum reflectitur, ad rivum Mulbach, juste accedente, de nostra*

libe-

liberalitate proprietatis titulo conferimus, appropriamus pariter & donamus, nullo nobis aut posteris nostris successorio nomine in dicta silva aut suis jam expressis terminis in antea jure penitus reservato. Renunciantes expresse omni juri, utilitati & fructui, qve nobis competebant jure Dominii hattenus in eadem. Et ne alicui, aut ipsis possit in posterum dubietatis vel impedimenti, quocunqve censeatur nomine scrupulus suboriri, in appropriationis nostre donatione prefatis Domine Abbatisse & Conventui in perpetuam hujus rei memoriam has nostras literas sigilli nostri appensione & munimine firmatas, & testimonio fidelium nostrorum Hartmudi de Bulvvitz, Ebirhardi de Malsleiben, Friderici dicti Gitz militum, magistri Waltheri Prothonotarii nostri, Hermanni dicti Gekfure, & filii sui tradidimus super eo. Datum & actum Gotha sub anno Incarnationis Domini millesimo, trecentesimo qvarto decimo, in die beati Georii Martiris.

§. XCV. Eodem anno cum Gotfridus de Heilingen, & uxor Conradi de Frimar monasterio donarent mansum unum cum dimidio, donationem confirmarunt Pincernæ de Dornburg.

Ex qvorum Notitia pleraqve cum benevolo lectore communicabo. *Nos Rudolfus, Heinricus & Heinricus fratres dicti Pincerne de Dornburg -- cupimus esse notum, Qvod Gotfridus de Heilingen & uxor Conradi de Vrimar cum omnibus heredibus suis unum mansum & dimidium situm in campis ville Vrimar, qvem a nobis jure feodali tenuerunt -- Ecclesie Sanctimonialium S. Crucis prope civitatem Gotha in elemosinam pro peccatis suis perpetuo contulerunt, & eidem donationi interfuerunt Hartungus de Cuceleibin, Hartmundus dictus Hottirmann, & Heinricus dictus Bidemburis, cives in Gotha, qvi nobis feodaliter sunt astricti. Preterea ut studiis bonorum operum Sanctimonialium sancte Crucis plenius participemur, & ex consilio & ex jussu dilecte matris nostre Katharine eisdem sanctimonialibus supradictum mansum & dimidium cum omni jure qvod in eo habuimus, damus, appropriamus & perpetuo possidendum conferimus in his scriptis. In cujus rei*

 certi-

certitudinem presentem literam dedimus sigillo nostro bene communitam in presentia testium subscriptorum: videlicet Iohannis de Rosenhayn, Petri dicti Vayl, & Hartungi de Cuceleibin, nec non aliorum fide dignorum. Datum anno Domini M CCC XIIII- *II. Kal. Iunii.*

§. XCVI. Ob hanc autem donationem Agnes Abbatiſſa & Conventus Gotfridum ejusque uxorem Hedvvigen in ſuam fraternitatem hoc ipſo anno -- XIV. receperunt.

1317 §. XCVII. Anno CIↃ CCC XVII. Fridericus Landgravius monialibus S. Crucis donat ſeptem manſos cum dimidio, & qvinqve domos in villa Tutleben, ſeqventi præcepto.

In nomine Domini, Amen. Fridericus Dei Gratia Thuringie Landgravius Misnen. & Orient. Marchio Dominusqve terre Plisnensis ad perpetuam rei memoriam. Ne ea qve pro Ecclesiarum utilitate & animarum salute rite a Principum pia procedunt donatione in oblivionem transeant, perhennari solent obseqvio literarum. Eapropter tam ad presentium qvam ad futurorum Christi fidelium notitiam volumus pervenire, qvod nos piis moti affectibus, qvos ad devotas in Christo Abbatissam & Conventum Sanctimonialium ordinis Cysterciensis monasterii sancte Crucis extra muros opidi Gotha gerimus, eisdem ob Dei reverentiam, in nostre simul ac nostrorum progenitorum animarum salutem & remedium septem mansos & dimidium proprietatis nostre sitos in in pago ville Tutteleyben cum qvinqve areis & aliis suis pertinentiis ac utilitatibus qve exinde proveniunt, vel provenire poterunt, nostra conthorali karissima Elizabeth & heredibus nostris, Friderico nostro filio, & Elizabet nostra filia consentientibus dedimus & tenore presentium damus, donamus & tradimus pleno jure proprietatis perpetuo possidendos. Vt autem hec nostra donatio robur perpetue firmitatis obtineat & vires plenissime nocionis, has literas ipsis dari jussimus nostri sigilli munimine roboratas. Testes hujus rei sunt Dominus Waltherus Prepositus Misnensis Ecclesie, noster Prothonotarius, Heinricus Came-

Camerarius de Vanre, Hartmudus de Bulvvitz, Eberhardus de de Malsleybin, Hermannus Goltacker, noster Marschalcus, milites, Kunemundus de Malsleyben, & Iuncmannus dictus Goltacker, ac alii qvamplures fide digni. Datum Gotha anno Domini millesimo trecentesimo septimo decimo, XIIII. Kalend. Octobris.

§. XCVIII. Anno CIↃ CCC XVIII. cum Nobiles Vterodii, castellani Wangenheimiani agros qvosdam monasterio S. Crucis donarent, trium Dynastarum Wangenheimiorum, utpote feudi Dominorum, seqvens accessit approbatio. 1318

Ne facta mortalium propter mutabilitatem temporum oblivionis jacturam sentiant, & a statu rectitudinis possint aliqvatenus declinare, dignum est, prout retinenda eorum memoria scripture testimonio confirmentur, postqve si necesse fuerit, ad memoriam reducantur. Hinc est qvod nos Albertus & Fridericus fratres, nec non Ludevvicus patruelis noster Domini in Wangenheim recognoscimus ac universis presens scriptum visuris seu audituris patere cupimus evidenter, Qvod strenuus miles Berthous de Vtenrode, Albertus & Reinhardus fratres de Vtenrode sui patrueles nostri castellani tria qvartalia unius mansi siti in campis ville Vurthe apud villam Phaliendorph sitam, qve a nobis jure feodali habuerunt, Sanctimonialibus sancte Crucis prope Gotha cum nostra permissione & consensu in remedium anime sue contulerunt perpetuo possidenda. Vt autem hujus sacre donationis coram Deo magis participes simus, predicti mansi partes eisdem Sanctimonialibus donavimus & appropriavimus libere & solute jure proprietatis possidendum. Ita si qvid utilitatis seu servicii nobis nostrisqve posteris de predicti mansi partibus in futurum provenire potuisset, abrenunciamus totaliter in his scriptis. Preterea ne sepefate Domine a qvieta possessione dictorum bonorum a nobis vel a nostris successoribus seu aliis hominibus qvomodocunqve perturbentur, presentes literas ipsis dedimus cum appensione nostrorum sigillorum communitas, & cum fideli testimonio personarum subscriptarum, videlicet Conradi Snozen,

Eckardi de Elinde, Strieri Advocati, Theoderici & Apeloni dicti Schaf castellanorum nostrorum, Conradi Kinteleibin, Hermanni de Mittelhusin, & Conradi filii ejusdem, civium in Gotha, & aliorum plurimorum fide dignorum. Datum anno Domini M CCC XVIII. *proxima Dominica ante Margarete virginis.*

1321 §. XCIX. Anno CIↃ CCC XXI. Agnes Abbatiſſa S. Crucis Walthero cuidam ejusque ſorori Hildegardæ pro qvinqve marcis vendit modium frumenti annuatim dandum; id qvod tamen ab illorum obitu deſierit.

Ex Notitia contractus ſeqventia adſcribemus. *Nos Agnes Abbatiſſa totusqve Conventus Sauctimonialium ſancte Crucis apud Gotha recognoſcimus publice proteſtan io, qvod noſtris familiaribus videlicet Walthero & Hildegardi ſorori ipſius unum maldrum Erfordenſis menſure vendidimus pro V. marcis cujus medietas erit triticum, & altera pars mixte annone, tali conditione, qvod uno eorum de medio ſublato predicte annone medietas nobis cedet, poſt mortem vero utriusqve de ſepedicta annona nemini qvidqvam tenemur, ſed ad noſtram Eccleſiam libertate priſtina devolvetur. --- Hujus rei teſtes ſunt Henricus Lancoph tunc temporis procurator, Frater Conradus Textor, Frater Conradus Wechmar. --- Datum anno Domini* M, CCC, XX. *primo, in die beati Gervaſii.*

§. C. Eodem anno cum Bertoldus in atrio, & Conradus Cæſar monaſterio S. Crucis manſum in Sonneborn donarent, Hermannus & Cunemundus Scherfii fratres id confirmabant.

Qvia ſtylus Notitiæ confirmationis ſingularis eſt, non pigrabor integram afferre. *In nomine Domini, Amen. Oportet ut actibus mortalium vive voces atqve ſcriptura robur adhibeant, ne id qvod a nobis in tempore geritur, ex proceſſu temporis vetuſtatis rubigo detereat & conſumat. Hinc eſt qvod nos Hermannus & Conemundus germani dicti Scherf in Drevordia recognoſcimus in hiis ſcriptis & ad noticiam univerſorum preſentia viſurorum volumus perve-*

pervenire, qvod Bertoldus in atrio & Cunradus dictus Cesar in Sunneborn justo donationis titulo interveniente donaverunt unum mansum situm in campis ville qve Sunneborn dicitur, qvod de nostra manu in feodo tenuerunt pure propter Deum claustro Ecclesie sancte Crucis extra muros Gothen. in usus perpetuos Sanctimonialium ordinis Cisterciensis, qve ibidem die noctuqve presupposito libere voluntatis arbitrio Domino in castitate, justitia & sanctitate pie deserviunt, de unanimi voluntate nostra & omnium ad qvos predicti mansi possessio pertingere poterat in futurum. Nos autem jam dictam donationem rationabilem approbantes de orationibus predictarum Sanctimonialium confisi, pro remedio animarum nostrarum & ob instantiam precum Ber. & C. predictorum hunc mansum eidem claustro appropriavimus & contulimus cum omni jure qvod habuimus in eodem. Vnde ut hec nostra appropriatio & eorundem donatio in perpetuum illesa & inconvulsa permaneat, nec a nostris successoribus revocetur, ad utilitatem Ecclesie supradicte hoc scriptum inde confectum nostris sigillis fecimus fideliter communiri. Testes insuper hujus rei sunt Domini Bertoldus Kuchen, Bertogus Revvin, fratres ordinis Teutonici, Iohannes Baldeberg, Her. Currifex, Cives Mulhus. Th. Hugonis, Bart. Marscalcus, Bart. dictus Hoichflug in Sunneborn, & qvamplures alii fide digni. Datum anno Domini M. CCC. XXI. *in die festo beati Iohannis ante latinam portam Evv. & Apostoli.*

Iidem porro fratres Scherfii anno 1323. 15. Kl. Augusti sexaginta agros lignorum cum fundo sitos circa Metebach, qvi vulgariter dicuntur Aspechen-holtz, qvos ab ipsis in feudum habebant Hermannus & Heydenricus fratres de Bischoverode, monasterio S. Crucis appropriarunt.

§. CI. Anno CIↃ CCC XXII. Gerhardus de Remstet 1322
vendit monasterio S. Crucis cuncta bona sua in Remstet pro XXXIV. marcis argenti, eidemqve monasterio jus patronatus Ecclesiæ ibidem adscribit.

Id qvod ipsius Gerhardi scriptio profitetur, cujus potiora afferam: *Ego Gerhardus de Remstete miles presentibus publice recognosco*

gnosco -- Qvod cum bono consensu Sophie uxoris mee Gerhardi filii mei & aliorum heredum meorum plane omnium, qvorum interest vel interesse poterit bona mea omnia in villa Remstete in campis attinentibus sita videlicet curias, mansos, censum annuum qvocunqve nomine censeantur, sive sint feodalia, hereditaria seu propria cum omnibus suis attinentiis, -- Sanctimonialibus & Conventui Dominarum Ecclesie S. Crucis site prope civitatem Gotha ordinis Cysterciensis vendidi pro triginta & qvatuor marcis puri argenti perpetuis temporibus libere possidenda. Insuper jus patronatus Ecclesie in dicta villa Remstet qvod ad me pertinuit dedi & do per presentes prelibatis Sanctimonialibus & Conventui Dominarum Ecclesie S. Crucis pro me & heredum meorum & omnium progenitorum meorum perhenni remedio animarum, nihil juris, & nulla penitus bona preter qvatuor agros precario mihi & meis heredibus reservans. --- Testes hujus rei sunt discreti & honesti viri Dominus Theodericus Plebanus Ecclesie S. Marie in Gotha, Dn. Nycolaus Vicarius Ecclesie S. Michael. in Erford, Albertus Clericus de Vtenrode, Henr. de Kirspeleybin, Henr. de Arnstete cives in Erford, Theodericus de Remstete, civis in Gotha, Theodericus de Schonovve residens in Remstet, Cristina soror mea, & qvam plures alii fide digni. Datum Erfordie Anno Domini M CCC XXII. *Nonas Ianuar.*

§. CII. Sed mox de jure patronatus Ecclesiæ Remstetensis lis mota est monasterio: qvam tamen pro eo definivit Officialis Præposituræ S. Severi Erfurti.

Suborta dudum coram nobis (verba sunt Officialis) *inter Nicolaum dictum Tram Clericum presentatum ad Ecclesiam in Remstete per religiosas in Christo Dominas Gerdrudim Abbatissam, totumqve Conventum Cenobii Sanctimonialium S. Crucis in Gotha ex una, nec non Heinricum de Tutheleyben presentatum ad eandem Ecclesiam per nobiles viros Dominos de Brandenberg, ac alios qvi sua crediderunt interesse, --- Nos habito super his diligenti tractatu & prudentum communicato consilio, qvia invenimus prefatum Nicolaum intentionem suam bene & legitime fundavisse, E contra vero*

vero prefatum Heinricum in probatione intentionis sue penitus defecisse, Nos Dei nomine invocato, dicto Nicolao presente & sententiam fideliter postulante, eodem vero Henrico absente, cujus absentia Dei presentia repleatur, in his scriptis finaliter & diffinitive pronunciamus, Abbatissam & Conventum Sanctimonialium cenobii in Gotha fuisse & esse in possessione vel qvasi juris patronatus dicte Ecclesie in Remstete, seu juris presentandi Rectorem ad eandem eo tempore, qvo dictum Nicolaum ad eandem Ecclesiam presentarunt: propter qvod ipsum Nicolaum presentatum nobis legitime ab eisdem ad Ecclesiam supra dictam per hanc diffinitivam sententiam investiendum fore decernimus ad Ecclesiam sepedictam, ipsumqve presentibus investimus. Lata est hec sententia Anno Domini M. CCC. XXIII. *Sabbato post conversionem S. Pauli circa horam vespertinam presentibus discretis viris, Magistro Henrico de Sybeleiben sancti Severi, Theod. Brunonis sancte Marie Canonicis, nec non Heinrico de Weberstete, Frederico de Vtestete & Gothebaldo Vicariis S. Severi.*

§. CIII. Eodem anno Güntherus & Fridericus fratres, Domini in Salza, monasterio proprium adscribunt dimidium mansum in Dachvvich.

Notitia Germanice concepta ita habet. Wie Herr Günther und Herr Friedrich Gebrüder Herrn zu Saltza bekennen uffeliche ‚‚ das Conrad von Tulleſtete unſe vorlente Mann recht und redeliche vorkouſt hat vorn Gerdrude von Wechmar / die czu Erforte geſeßzen iz / eyne halbe Hufe Landes / die czu Dachebeche in dem Veilde geleyn iz / di von uns czu Lene get / ſundern von bete des vorgenanten Conrads / uñ der Vrowin vorgn. Gerdruden / und czu vordinſt durch Got habe wi geeygent ‚‚ deme Gothus czu deme heiligen Crütze vor der Stad Gotha / uñ der heiligen Samenunge di darinne iz in ſoytene wiz / daz di vorgn. Vrowe uñ vor. Katherine ires Bruders Tochter / die in demeſelben Cloſter iſt / habe uñ neme ſollen den nutz des vorgen. gutes czu yrme libe / darnach ſal es ewikliche dine in daz Sichus desſelbin Clo-

sters den krancken Vrowin. Des sint Gezüge H. Gyseler Pferrer czu Sente Mathias Kirchen czu Erforte / uñ Her Conrad von Wechmar der Prester eyn Capelan der vorgen. Kirchen/ Her Bertold von Ylmene/ Johannes von Appolde Borger czu Erforte. .. Dit is geschen nach Gotes Geburte tusint Jar drihundirt Jar in deme dri und zwanczigsten Jare an deme nesten Tage nach Sente Mertins-Tage.

1326 §. CIV. Anno CIↃ CCC XXXVI. qvatuor virgines ex nobili gente Wangenheimia in monasterio Crucis egerunt.

Id enim colligo ex duabus Notitiis *Friderici militis,& Alberti, fratrum de Wangenheym*, in qva memorant, qvod *Abbatissa & Conventus Sanctimonialium qvatuor puellulas in consorores & consortium suum successive receperint, divinis laudibus pro sue possibilitatis obseqvio vacaturas:* pro qvo beneficio *mansum unum in campis ville Eberstete itemqve sex marcas in octo mansis ville Phalndorph annui census monasterio* adscribunt *XV. Kl. Nov.* Testes sunt *Berthous & Apelo milites dicti de Vienrode, patrueles, Henricus dictus Striger, officiatus* Wangenheimianus. Harum virginum una *Elisabetha* memoratur ad annum hujus sæculi LIV.

§. CV. Nec minus triga sororum nobilium Malsleibiarum, Konemundi filiæ, Eberhardi neptes, in eodem monasterio moniales erant.

Id qvod patet ex seqventi Eberhardi de Malsleiben scriptura, qva monasterio qvatuor metretas frumenti assignat. *Ego Eberhardus de Malsleybin miles -- recognosco -- qvod cum religiose sancteqve conversationis femine Domina Abbatisse, Priorissa totusqve conventus Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis prope Gotha devotis supplicationibus meis benigne susceptis, tres puellulas Konemundi filii mei dilecti filias propter Dominum sociantes in sorores suas receperint pro juste conversationis studio premium*

a gle-

a glorioso virginis filio cum gaudio recepturas, jure naturali quod inter omnia primatum obtinere dicitur exigente qvatuor maldra duo videlicet frumenti, & duo ordei Erfordensis mensure pensionis annue --- Ecclesie & conventui S. Crucis jam predictis de consensu Konemundi filii mei --- tradidi & donavi. --- Actum & datum anno Domini M CCC XXVI. *XIIII. Kl. Novembris. Testes hujus rei sunt Theodericus de Sebeleybin, miles, Heynemannus de Indagine, Henricus dictus Gans, Hermannus de Metelhusen, Henricus dictus Wizvverk, Layci.*

§. CVI. Eodem anno, VI. Nonas Octobris Fridericus Landgravius Gothæ agens, monasterio S. Crucis in proprium dicavit mansum, qvem Heinrici Wendepfaffen, pater & filius, castrenses in Gotha, resignaverant.

Ex Notitia Friderici aliqva adscribam. -- *Nos Fridericus Dei gratia Thuring. Lantgravius, Missenensis & Orientalis Marchio Dominusqve terre Plisnensis, universis -- volumus esse notum, qvod cum fideles nostri Heinricus dictus Wendephaffe & Heinricus filius ipsius castrenses in Gotha unum mansum in pago opidi nostri Gotha situm cum juribus & utilitatibus suis ad manus nostras libere resignaverint, nos divine remunerationis intuitu ac speciali ex affectu, qvo Ecclesiam & Conventum Sanctimonialium sancte Crucis extra muros dicti opidi nostri Gotha proseqvimur, prefatum mansum -- tenore presentium donamus & appropriamus proprietatis titulo perpetuo possidendum.*

§. CVII. Anno CIↃ CCC XXVIII. Heinricus & Guntherus fratres, Domini de Saltza, monasterio S. Crucis adscribunt qvatuor mansos in campis villæ Aspech, qvos antea Hainemannus Abbt ab ipsis emtos cum dicto monasterio permutaverat. 1328

Datum Gotha, *Sabbato proximo ante Galli.* Testes sunt *Strenuus Dominus Theodericus de Sybeleibn miles, castrensis in Gotha, Hermannus dictus Stange, Heinricus de Hovvtal dictus Munre, Dominorum de Salza fideles & familiares.*

§. CVIII. Hoc tempore monaſterii illius Abbatiſſa erat Gutela, Prioriſſa Iutta, qvæ Heinrico Werſing civi Gothano pro XXV. marcis argenti tradunt duos manſos ab Henrici & Eliſabethæ liberorum ejus obitu monaſterio reſtituendos.

Venit qvidem in manus meas hujus contractus Notitia: ſed qvia lacunæ qvædam in eo comparent, integrum ſenſum non licuit aſſeqvi. Præcipua tamen afferam. *Nos Soror Gutela, Abbatiſſa, Iutta Prioriſſa totaqve congregatio Sanctimonialium Eccleſie S. Crucis prope Gotha preſentibus recognoſcimus --- Qvod circumſpectus vir Henricus de Werſing oppidanus in Gotha- noſtris auditis neceſſitatibus & gravibus debitorum oneribus nos urgentibus --- duos manſos a nobis eidem exhibitos, ac pro ſue voluntatis beneplacito ---- ſtratos pueris ſuis Henrico videlicet & Elizabeth comparavit ----- pro viginti & qvinqve marcis puri argenti nobis jam plenarie perſolutis ---- libere poſſidendos. Ita tamen, qvod ſi alterum puerorum eorundem viam carnis ingredi contigerit univerſe, manſus unus, & poſt amborum deceſſum uterqve ad Eccleſiam noſtram predictam libertate priſtina revolvatur. --- Datum anno Domini* M. CCC. XXVIII. *Kal. Decembris.*

1329 §. CIX. Anno CIↃ CCC XXIX. Eliſabetha Thuringiæ Landgravia, Marckgravia Miſniæ & Oſterlandiæ, Domina terræ Pliſnenſis, a monialibus S. Crucis emit tres manſos ab obitu ſuo monaſterio reddendos, ut & demortui mariti animam Deo precibus ſuis commendarent, ac ſuum porro anniverſarium vigiliis ac miſſis rite celebrarent.

Pretium emtionis erant LXVI. marcæ examinati argenti, qvas monaſterio ſolvendos cenſuit ex cenſu dotalitii. (von den Leibgedings-Zinſen.) Teſtibus uſa eſt Eliſabetha ſeqventibus: *Nobili viro Henrico Advocato de Plauen, cognato ſuo* (ihren Ohm) Rütze *dicto, Domino Eberhardo de Malsleiben, Domino Dite-*

Diterico de Sibeleben, milite, & Hainemanno Abbt Sculteto suo in Gotha. Scriptum Gothæ die S. virginis Walpurgis. Confirmat hunc contractum filius ejus Fridericus, verbis inter alia usus seqventibus: Wenne unsir Mutr nicht lengr enwere/ daz dieselbin drie Hufen genzlichin nach irme Tode an das Cloistr widir gevallin sulln/ und daz wir sie der gewere keyn wiz hindern suln/ sundern sie suln an dasselbe Cloistir zu deme heylingen Cruze mit allin rechte und fromen widr gevallin. Testes laudat hunc in modum: Getzüge dirre Rede sin die edelen Herrn Greve Gunthir von Swartzburch/ Greve Günthr von Kevernberg/ Heinrich Jünger Voyt von Plawen/ Rüze genant/ unse Ohemen/ Her Werner ir Capelan/ Eberhard von Malslebin/ Thyterich von Sybeleibin irre Ryter. . . an dem Suntage zu Mytevastin.

§. CX. Anno CIↃ CCC XXXII. Qvatuor Comites Schvvartzburgici monasterio S. Crucis dicant mansum in Guntersleben. 1332

Hi Comites erant *Heinricus Senior de Svvartzborg, Guntherus Heinrici senioris germanus, & Guntherus Heinrici Domini in Svvarzborg frater:* Sic enim ipsi se distingvunt in Notitia hujus anni, die S. Iohannis ante portam Latinam scripta. Testes adhibuere *viros strenuos, Theodericum de Sibeleybin, milites, Hartmannum de Holbach.* Hoc tempore Abbatissa S. Crucis erat Jutta, quæ anno CIↃ CCC XLIII. adhuc floruit: nisi hanc fuisse dixeris Juttam illam, qvæ hoc ipso anno XXXII. Priorissa fuit. Nam duæ simul erant Iuttæ.

§. CXI. Anno CIↃ CCC XXXIII. monasterium accepit annum censum de manso in campis villæ Grabsleben, cujus tamen pars cessit duabus monialibus, qvoad vixere. 1333

Id qvod patet ex seqventi Iuttæ Abbatissæ Notitia. *Nos soror Iutta Abbatissa Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis prope Gotha publice recognoscimus qvod cum qvidam speciales Ecclesie nostre fau-*

fautores annuum censum -- in uno manso sito in campis ville Grabesleybin -- nobis & Ecclesie nostre predicte de pecunia bone memorie qvondam Irmentrud de Escheleybin comparaverint perpetuo possidendum & in festo B. Michaelis annis singulis persolvendum. Ita qvod Adelheyd de Escheleybin & Adeheyd de Arnstete Cameraria nostre consorores vel earum altera qve supervixerit, possideat unam libram ante dicti census. -- Actum & datum anno Domini M CCC XXXIII. *Nonas Ianuar.*

§. CXII. Eodem anno Ditericus de Sibeleben castrensis Gothanus monasterio adscribit mansum in campis villæ Tutleben certa cum conditione.

De qva loqvitur seqvens Notitia. *Ego Theodoricus de Sebeleybin miles castrensis in Gotha presentium literarum tenore recognosco, Qvod cum Albertus dictus Lantmann pie devocionis motus affectu mansum situm in campis ville Tuteleybin duos solidos annuatim solventem, qvi apud Henricum de Mollesdorph dictum Tuteleib sua pecunia legitime comparavit & a me sic ille prius hereditatis titulo tenuit & possedit, Ecclesie & Conventui Sanctimonialium S. Crucis prope dictum oppidum Gotha justa ac libera donatione donavit in anime sue salutem & remedium perpetuis temporibus libere possidendum, supplicationibus Conventus & Alberti predictorum favorabiliter inclinatus mansum ipsum ab eodem Alberto etiam manualiter resignatum eidem Ecclesie & Conventui rite ac rationabiliter contuli perpetuis temporibus, ut premittitur libere possidendum, duobus tamen solidis annui census predictis tribus solidis de curie Tele de Sunneborn Bekine residentis in monte singulis annis pro censu etiam solvendis ab Ecclesia & conventu sepedictis voluntarie permutatis. In cujus facti evidencium & certitudinem ampliorem Sigillum proprium duxi presentibus appendendum. Actum & datum anno Domini* M. CCC. XXXIII. *VI. Kl. Julii. Testes hujus rei sunt strenuus miles Ebirhardus de Malsleybin, Apetz dictus Vinne, Guntherus dictus Svvabehusen, & Heinricus Aurifaber, opidani supradicti opidi Gotha, & alii quam plures fide digni.*

§. CXIII.

§. CXIII. Eodem anno monaſterium a banno Eccleſiaſtico, qvo aliqvamdiu conſtrictum, iterum fuit ſolutum.

Nam Archiepiſcopus Moguntinus, itemqve Hermannus, & Heinricus, ad S. Mariam & S. Severum Decani, ut & Sifridus de Hallis, Canonicus S. Severi Erfurti teſtantur, qvod omnem excommunicationem ſuſtulerint. Ac remiſſa ſunt cœnobio, qvæ Archiepiſcopo debebantur. Forte igitur ob id fuere punitæ moniales, qvod certum cenſum Archiepiſcopo negaverint.

§. CXIV. Anno CIↃ CCC XXXIV. Iohannes XXI. Papa monaſterio S. Crucis ablata reſtitui, refragantes puniri jubet. 1334

Bullam Papalem ſubjicio: *Iohannes Epiſcopus ſervus ſervus ſervorum Dei dilecto filio & Decano Eccleſie in Heilgenſtad Maguntin. dioceſ. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſe & Conventus monaſterii S. Marie extra muros opidi Gotha ordinis Ciſtercienſis Maguntin. dioc. precibus inclinati preſentium tibi autoritate mandamus, qvatinus ea qve de bonis ipſius monaſterii alienata inveneris illicite vel diſtracta ad jus & proprietatem ejusdem monaſterii legitime revocari procures, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Teſtes autem qvi fuerint nominati ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili appellatione ceſſante compellas veritati teſtimonium perhibere. Dat. Avenione II. Non. Aprilis, Pontificatus noſtri anno decimo octavo.*

§. CXV. Eodem anno Guntherus & Conradus de Kintleben, Catharinæ de Sebergen moniali certum cenſum de duobus quartalibus unius manſi aſſignarunt.

Id qvod ex Iuttæ Abbatiſſæ Notitia patet, cujus excerpta ſeqvuntur. *Nos Soror Iutta Abbatiſſa, totusqve Conventus Sanctimonialium S. Crucis -- proteſtamur in hiis ſcriptis qvod probi viri*

Guntherus ac Cunradus de Kintheleiben duo qvartalia unius mansi apud Gerdrudim dictam de Seberge pro XIII. marcis absqve uno fertone emerunt -- tali conditione, qvod Katerine sorori ipsius Gerdrudis & nostre consorori X. sol. annuatim -- ad tempora vite sue dent sine dilatione & finaliter persolvant. -- Cum autem predicta Katerina obierit, predicta pensio scilicet X. sol. ad predictos viros integraliter devolvetur. -- Testes hujus sunt H. de Tulleslete, T. de Seberge sacerdotes, Ekardus Scerre, Heinricus Treyger. -- decimo Kalend. Decembris.

1335 §. CXVI. Anno CIↃ CCC XXXV. Hildegardis Begina de Remstet a monasterio emit metretam tritici ab ipsius obitu monasterio legatam.

Qvo de iterum loqvitur seqvens Abbatissæ Notitia. *Nos soror Iutta Abbatissa totumqve collegium S. Crucis prope Gotha protestamur ---- Qvod Hildegardis familiaris nostra begin dicta de Remstete justo emtionis titulo comparavit sibi apud nos unum maldrum tritici -- de qvodam manso sito in Vrimar pro qvatuor marcis puri argenti nobis & nostre Ecclesie utiliter persolutis: qvam annonam Henricus dictus Lantgreve eidem Hildegardi annis singulis solvere tenebitur temporibus vite sue. Post mortem vero ipsius jam dictum maldrum ad nostram Ecclesiam denuo revertetur nomine testamenti, ut ex eo conventui in refectorio solatia procurentur. --- Testes hujus rei sunt Dominus Ortolfus & Dn. Henricus de Tullestete sacerdotes nec non frater Bertoldus de Rotensb. procurator, & frater Henricus dictus Lancopf, & plures alii fide digni. --- Datum anno Domini* M CCC XXXV. *in die beati Martini Episcopi.*

1337 §. CXVII. Anno CIↃ CCC XXXVII. Heinricus & Otto eqvites, Domini in Vanre monasterio S. Crucis conferunt duos mansos cum qvartali in campis villæ Gamstet.

De eo plura cognoscet lector ex ipsius Notitiæ Excerptis. *Nos Heinricus & Otto milites Domini in Vanre tenore presencium recognoscimus --- qvod cum nos religiosas in Christo devotas Iuttam Abbatissam & totum Conventum Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis*

extra muros opidi Gotha pio proseqvamur ex affectu, ipsis duos mansos cum uno qvartali terre arabilis sitos in territorio seu in campis ville Gammestete, qvos honestus vir Albertus dictus vonme Sande opidanus Erford. a nobis huc usqve tenuit jure feodi ex legitima resignatione eorundem nobis per predictum Albertum liberaliter facta & a nobis recepta adhibitis ad hec solempnitatibus debitis & consvetis Abbatisse & Conventui & monasterio S. Crucis ---- contulimus per presentes. --- Testes hujus sunt honorabiles & discreti viri Dominus Henricus de Sybeleybin Scolasticus Ecclesie S. Marie Erfordensis, Nycolaus dictus Trum plebanus in Remstete, Iacobus de Senis & Ludevvicus dictus Keyser, opidani Erfurdenses, ac alii plures fide digni. Datum anno Domini M CCC XXXXII. *in die S. Trinitatis.*

§. CXVIII. Anno CIƆ CCC XLI. Didericus Gutensheuser, ejusqve fratres, Heinrico Abbati Fuldensi resignant tres mansos villæ Guntherslebe ab Hermanno Gyr emtos, monasterio S. Crucis dicandos. 1341

Ego Theodericus dictus Guthenshuser, olim Advocatus in Mulburg, nec non Theodericus, Heinricus ac Heinricus fratres ejusdem Theod. manifeste recognoscimus literas per presentes, -- Qvod bona deliberatione prehabita & de consensu unanimi --- tres mansos sitos in campis ville Gundersleyben cum una libra denariorum annue pensionis juste & rationabiliter apud Hermannum dictum Gyr emptos, qvos ab Ecclesia Fuldensi in feodum tenuimus, precipue propter Deum & in remedium animarum nostrarum ad instantiam Religiosarum Dominarum Abbatisse & Conventus monasterii Sanctimonialium S. Crucis prope muros opidi Gotha venerabili in Christo Patri ac Domino Domino Heinrico Abbati Fuldensi Ecclesie jam dicte sub tali conditione resignavimus, & per presentes literas resignamus, si iidem mansi, qvos cum juribus & pertinentiis suis instantissime appropriari petimus, cum predicta libra denariorum fuerint legitime appropriati monasterio Sanctimonialium Gotha supradicto. In cujus rei testimmonium has literas sigillo meo scilicet Theoderici olim Advocati predicti, in quo nos fratres sui predicti

cum propriis careamus sigillis contentamur in hac parte dedimus sigillatas. Anno Domini millesimo trecentesimo qvadragesimo primo. Idus Aprilis.

Consensus Heinrici Abbatis, Gotfridi Decani, totiusqve Conventus Ecclesie Fuldensis seqvebatur anno 1342. *in crastino decollationis S. Ioh. Bapt.* qvo tamen cautum, ut monasterium tres libras ceræ custodi Ecclesie Fuldensis ad lunaria qvotannis in festo B. Bonifacii, patroni sui persolvant.

1343 §. CXIX. Ejusdem Diterici aliud scriptum gemini argumenti anno CIϽ CCC XLIII. perscriptum superat, ex qvo præcipua afferam.

Ego Theodericus dictus Guthenshuser olim Advocatus in Mulberg manifeste recognosco - - - qvod bona deliberatione prehabita de consensu expresso dilectorum Domini Henrici plebani in Mulburg sacerdotis ac Heinrici & Theoderici fratrum meorum bona olim mea infra scripta, videlicet tres mansos terre arabilis in campis ville Gundersleybin sitos cum tribus curiis attinentibus - - in villa ibidem sitis - - - per me apud Hermannum dictum Gyr juste & rationabiliter empta nec non per pervenerabilem in Christo patrem Dn. Heinricum Fuld. Eccl. Abbatem, a qvo eadem bona tenui in feodum ex resignatione mea libera & ad petitionem meam de consensu sui conventus Religiosis Dominabus Domine Iuthe Abbatisse Conventui monasterii Sanctimonialium sancte Crucis prope muros opidi Gotha Cyst. ordinis appropriata & in proprium donata eisdem Abbatisse & Conventui præcipue propter Deum & in remedium animarum meæ ac fratrum meorum predictorum libere donavi & tradidi justo proprietatis titulo cum juribus & pertinentiis suis perpetuo pacifice possidenda. In qvorum præmissorum evidens testimonium ac firmitatem perpetuam has literas dedi sigillis mei & Dn. Heinrici plebani ac Heinrici fratrum meorum supra dictorum sigillatas. Et nos Heinr. plebanus ac Heinr. & Theodericus Iunior fratres sui sepedicti recognoscimus premissa esse vera & in ratihabitionem eorum perpetuam ac in signum nostri consensus sigilla nostra vide-

videlicet plebani ac Heinrici jam dictorum in qvibus ego Theodericus jam dictus cum proprio caream sigillo contentor in hac parte presentibus sunt appensa. Testes sunt strenui viri Albertus Advocatus senior miles, Vlricus de Kobenstete, Rudegerus de Noteleybin castrensis in Mulburg & plures alii fide digni. Datum anno Domini M CCC XLIII. *in crastino Epiphanie Domini.*

§. CXX. Huc etiam spectat seqvens scriptum Iuttæ Abbatissæ, totiusqve Conventus monasterii.

Nos Soror Iutta, Mechtildis Priorissa ac totus Conventus monasterii Sanctimonialium S. Crucis prope muros opidi Gotha Cyst. ordinis publice recognoscimus literas per presentes qvod de bonis infra scriptis videlicet tribus mansis terre arabilis sitis in campis ville Gundersleybin & tribus curiis attinentibus ibidem in villa sitis - - - nobis & nostro monasterio per strenuum virum Theod. dictum Guthenshuser olim Advocatum in Mulburg de consensu expresso fratrum suorum pure propter Deum, & in remedium animarum eorum justo proprietatis titulo donatis & traditis singulis annis festo beati Mich. tam maldrum frumenti & tam maldrum ordei Erfurd. mensure nec non unum talentum denar. Goth. ac tres aucas & sex pullos eidem Theod. ad tempora vite sue dare & solvere tenemur expedite. Post ejus vero obitum duo maldra frumenti & duo maldra ordei de eadem pensione Erford. mensure debent per magistrum Curie Cellarie in monasterio nostro pro emendis ovis, nobis scilicet & Conventui predicto perpetuo dari & expedite ministrari. Residua vero pensio, scilicet unum maldrum frumenti & unum maldrum ordei, nec non unum talentum denar. Goth. tres aucas & VI. pulli per Abbatissam tunc existentem duabus filiabus strenui viri Sybotonis dicti Knut, Castrensis in Mulburg, consororii ejusdem Theoderici consororibus nostris in nostro monasterio ad tempora vite earum ambarum pro necessitatibus suis eo melius habendis singulis annis festo Michaelis debent dari & expedite ministrari. Qvibus duabus ambabus premortuis eadem pensio ad predicta qvatuor maldra Cellarie nostre pro ovis Conventui dandis vacabit libere & integre. - - - Preterea volumus & debemus post obitum sepedicti

Theoderici anniversarium suum perpetuo cum divino officio peragere singulis annis sicut corpus suum in monasterio presens esset. In cujus rei testimonium sigilla nostra, videlicet Abbatisse & Conventus predictarum presentibus literis sunt appensa. Datum anno Domini M CCC XLIII. *in crastino Epiphanie Domini. Et ego Theodericus dictus Guthenshuser prefatus recognosco premissa esse vera, & in testimonium eorum sigillum meum huic Copie duxi appendendum. Datum anno & die ut supra.*

1344 §. CXXI. Anno CIƆ CCC XLIV. Gertrudis Abbatissa, Mechtildis Priorissa & Conventus monialium S. Crucis vendiderunt Ottoni Abbati ac monasterio Georgenthalico dimidium mansum in Stuternheim.

Factum id VII. Idus Ianuarii.

1346 §. CXXII. Anno CIƆ CCC XLVI. Hermannus de Beringen, Dominus in Baldestet monasterio S. Crucis domum in villa Remstet appropriat.

Ex ejus Notitia pauca adscribo. *Ego Hermannus de Beringen Dominus in Baldestete recognosco --- Qvod bona prehabita deliberatione ac unanimi consensu omnium heredum nostrorum nec non filiorum patrui mei Heinr. de Baldestet defuncti pie memorie unam curiam sitam in Remstete dictam Capuzhof, -- monasterio S. Crucis apud Gotha appropriavimus. -- Anno* M CCC XLVI. *sequenti die post diem B. Bonifacii.*

1349 §. CXXIII. Anno CIƆ CCC XLIX. Fridericus de Hetstet in monasterium S. Crucis perqvam est beneficus.

Id qvod seqventia ipsius Friderici verba docent. *Ego Fridericus dictus de Hetstete residens in Gotha -- recognosco -- Qvod ex illa confidentia qvam ad congregationem Sanctimonialium Ecclesie S. Crucis extra muros oppidi jam predicti semper habui pre ceteris pieqve devotionis motus affectu dimidium mansum situm in territorio vel in campis ville Sebelcyben --- qvem Reynhardus dictus Cardenal dudum in possessione sua tenuit, & curiam qvandam sive*

curtim in prefato opido Gotha situatam - - qvam Guntherus dictus Guldene opidanus ibidem jam inhabitare dinoscitur, nec non curiam nostram pretacte jam curie contiguam - - qvam Heinricus dictus de Arnstete tenet & possidet particulam qvoqve curie in eodem opido situate in qva Conradus dictus de Kintleybin qvoddam cenaculum noscitur construxisse - - Qve qvidem bona ego Fredericus antedictus proprietatis titulo - - jure hereditatis dinoscimur possedisse religiosis & sancte conversationis Dominabus, Domine Iutte Abbatisse, congregationi & Ecclesie supradictis justa donatione corpore & animo sanus tradidi ac donavi in mee & bone memorie Frederici patris mei ac omnium progenitorum meorum animarum remedium & salutem, eodem jure qvo ipsa bona possedi perpetuis temporibus libere possidenda, nec eadem bona prorsus unqvam alicui vendere præsumant aliqvaliter vel attemptent: alioqvin eorundem bonorum possessione ipso facto penitus sint private. - - - - Actum & datum anno Domini M CCC *qvadragesimo nono XV. Kl. Iulii.*

§. CXXIV. Eodem anno Konemundus de Malsleiben eqves, monasterium, & Kutzeleibios Nobiles diu disceptantes reconciliat.

Hoc ipsum Kutzelebii seqventi testantur scripto: Wir Appele und Heinrich Gebrüdere genant von Kutzeleybin/ und Margarete Tochter Herrn Hermanns Gyres mit allen unsern MiteErbin Knechten und Töchtern/ Hartunge/ Henriche/ Ditteriche/ und Appeln/ bekennen/ - - daz wir hätten eyne Ansprache und eyne Vorderunge wedr die geistl Closter Vrowen/ und weder die Samenung czu deme heilige Crutze czu Gotha umme dri Hufe Artackers/ gelegin in deme Veilde zu Gundersleibin. - - - Diser Ansprache und Vorderunge giengen wir - - und die egenanten Closter-Frowen - - uffe den erbrn Ritter Herrn Konemunde von Malsleybin die Sache gentzlich zu entscheiden - - und hat uns derselbe Ritter fründlichn und gütlichen gescheiden/ also daz her his die vorgenantin Closter Vrowen in fruntschaft

uns gebe funftzig Marg lotiges Silbers ... und eyne halbe Marg Silbers czu Tranckgeilde. ... Getzüge diser vorgeschrieben Rede seint H. Nycolaus Tram Pferrer zu unsir Vrowin czu Gotha / H. Henrich Kleinekouf / Pferrer czu Remstete / Johannes Egerer / und andere gloubhafter Lüte vil.

1350 §. CXXV. Anno CIↃCCCL. Gerhardus de Natza monasterio vendidit casam in cœmeterio ville Goldbacensis.

Qvod venditor profitetur his verbis: Ich Gerhart von Natza bekenne .. daz ich vorkouft habe recht und redelichen myn Vrowen der Eptißchen und deme Closter czu deme heiligen Crutze czu Gothe eyne Hütten czu Goltbach uf deme Kirchhofe ume dri Marg lötiges Silbers: ... und habe yn davor czu were gesetzet di erbrn Lüte Hern Heinrichen Goldechin den Ritter und Kristan Scharfinsteyn. ..... Diser Rede sint ouch Getzuge Her Heinrich Lange und Bruder Langkoph der Hofemeister / der den Kouf getan het von des vorgen. Closters wegen an deme Durnstage in der Pfingstwochen.

1354 §. CXXVI. Anno CIↃCCCLIV. Ditericus & Eberhardus fratres de Malsleben, Elisabethæ Wangenhemiæ moniali S. Crucis, & huic monasterio vendunt certos census.

Wir Ditherich von Malsleybin Ritter / und Ebirhard sin Bruder bekennen ... daz wir haben verkouft ... Jungfrowen Elzebethen von Wangenheym in demeselbin Gotishuse ewiklichen vire Schillinge Erffortißcher Pfennige ... ume eyne Marg lötiges Silbers. ... Des sin ouch Getzüge die bischeiden Lüte Hartung Leichperg / Burger czu Gotha / Johans obir den Anger / und Katrfeild von Malsleybin / und Bruder Günther Hofemeister des vorbischriben Gotshus. ... an deme Suntage Cantate.

§. CXXVII.

§. CXXVIJ. Anno CIↃ CCC LV. Hartungus ſenior, eqves, & Dominus in Erſa monaſterio S. Crucis certos largitur reditus, ut in memoriam ſui totiusqve familiæ miſſas celebrent. 1355

Integram Hartungi ſcripturam, utpote ſplendoris familiæ Erfſianæ præclarum teſtimonium, ſubjicio: Wanne alle Lůte tőtlich ſind/ uñ nymand hie eyn um̃er Lebin hat/ davone ſo ſolde wir alle gerne wole habe getan wanne wir von diſer Werlde ſulle ſcheide/ hierum̃e ich Hartung der Eldere/ Ritter und Here czu Erfa bekenne uffeliche und tue kunt alle den die diſen Brif ſen oder hőren leſen / daz ich habe gegebin und gebe kegenwertiklichen an diſem Briſe in grozer innekeit mit guten Willen Herrn Hartunges von Erfa mines Bruder/ ſinr Kinder / und alle min Erbin den geiſtlichen Cloſtir-Frowen / der Eptißchen und der Samenunge des Cloſters czu deme heiligen Crutze vor der Stat czu Gotha czu eyme ewigen Selgerete ſechs Maldir Korngulde Gothan. Mazes an eyn Hufe czu Wartza der ſint czwey Maldr Weyzes/ czwey Malder Rocken/ und czwey Malder Gerſten/ die da itzunt geben Herman Birouge/ Heyne Gyſelers/ und Kerſtan Schůtze/ und zwelf Schillingen Pfennige an eyme Hofe czu Goltbach ierliches Czinſes und ewiger Gůlde die da itzunt gebet Conrad Stubich durch mine Sele willen und czu Troſte und Helfe der Sele / die hernoch beſchrebin ſten vorn. Margaretin von Saltza / etiſwen̄e min liben Wertinne / mines Vater / miner Muter / mines Vettrn / Hern Hartunges mines Bruders vorn. Gyſeln ſiner Wertinne/ und alle minr Erbin alle minr Geſchwiſterde/ minr Altfordern/ und aller miner Nochkommelinge/ alle der der ich oder mine Erbin ie genozzen habin czu rechte/ oder czu unrechte ouch alle der die von minr wegin geſtorbin oder vorſcheiden ſint/ alle der/ die mie icheyn gut haben getan/ alle der die von minr wegin y icheynen Schaden habin genomen / alle der den ich truwe pflichtik bin / und allen geloubin Selen czu

Troste und czu Selikeit / mit diesem nachbeschribin Underscheide daz die vorgenante Samenonge minr keyn Gote getruwelichen gedenke sal/ und alle der vorbischrebin Sele/ umme die egenantin Almuzen jargezit bigen sal an den Dinstage frů mit der Selemezse / nach Qvaſimodogeniti des Abindes mit der Vigilie/ und desselbin Tages sal die egenante Samenunge eyn Dinſt und eyne conſolacien von der egenante gůlde habe gemeynecliche also vere alz die sich bitzigen mac/ ouch sol die egenante Eptische und die Samenunge mir vorgen. Hartunge von Erfa und minen Erbin von der vorgn. Gulde gebe/ alle Jar sechs Pfennige Geildes czu Sente Michels Tage czu rechten Erbeczinse. Daz dise Rede vorbischrebin stete und stet gancz werde gehalden / daz habe ich gebetin minen Bruder den vorgenanten Hartungen / daz her sin Insegil mit mime an disen Brif hat gehangen / Und ich Hartung von Erfa der junge vorgen. bekenne daz ich durch bete willen Hern Hartunges mines Brudern vorgen. min Insegil an disen Brief gehangen hebe czu Geczugenizse diser vorbischrebin Rede / Gegebin nach Gotis Geborte dritzenhundirt Jar/ darnoch in deme fůnf uñ funftzigisten Jare an Sente Valentins Tage des heiligen Mertirers.

1357 §. CXXVIII. Anno CIↃ CCC LVII. Heinricus Goldichen de Goltbach eqves, Margaretæ Abbatiſſæ, & monaſterio S. Crucis vendidit marcam argenti cenſus annui pro decem marcis, conſentiente Alberto de Brandenberg.

Seqvuntur Excerpta Notitiæ Heinrici. Wir Heinrich genant Goldichen von Goltbach Ritter und Bertoch sin Son bekennen uffelich ... daz wir haben verkouft ... den geistlichen Clostir Frowen/ Frowen Margareten Eptischen/ und der Samenunge gemeynlichen des Closters zu deme heiligen Crutze vor der Stad tzu Gotha von einer Hufe Landes geleyn in dem Veilde des Dorfes czu Goltbach/ di wir czu Lene haben von deme Erbrn Manne Hern Albrechten von Brandeberg / mit sine wissene und guten willen eyne

Marg

Marg lötiges Silbers ierliches und ewiges Czinses ‥ unme tzen Marg lötiges Silbers ‥‥ und des czu orkunde haben wir gebetin den vorgenanten Hern Albrechten / Lenherren der vorbeschriben Huse / daz her sin Insegil mit unsem Insegil ‥ hat gehangen an disen Brif. ‥‥ Des sint ouch Getzüge die erbarn Manne / Her Henrich genant Kleinekouf / Vormunde der egenanten Clostir Frowen / und Friderich von Saltza / ir Bichtiger / Albrecht Schaf / Reinbate Schaf Tumherre czu Trire / und Kristan Scherfinsteyn von Goltbach. ‥‥ an dem nestin Suntage nach Sente Michaelis Tage.

§. CXXIX. Anno CIↃ CCC LXI. Burchardus de Bruchterde, Præpositus major Numburgensis, & Paulus Canonicus, conciliarunt Abbatissam & monasterium S. Crucis cum Heinrico Marschalco de Sonneborn, ejusqve fratre Hartungo, ob prædium qvoddam Bertoldi Welderichs p. m. litigantes. 1361

Monasterium Marschalcis solvit 7. marcas argenti examinati: contra Marschalci consensum pollicentur sui cognati in Prussia agentis, anno 1361. die Lunæ post diem Valentini.

§. CXXX. Anno CIↃ CCC LXIII. Guntherus Willekom, Hartvvici filius, & Bertrada Gerbotonis, Conradi Willekoms filia, ab Hermanno Willekom, parocho Notlebiensi edocti, Abbatissæ & monasterio S. Crucis relinqvunt agrum in Knteleben. 1363

Vel hæc familia Willekomiana meretur, ut ex ipsa Notitia aliqva adscribamus. Wir Günther Willekom / Hertwiges Son / ettiswanne deme Got anedig sie / und Bertrad Gerboten ettiswanne Conrads Tochter Willekommes / deme ouch Got Gnade / bekennen an disme uffen Brife / daz wir von deme erbrn Pristter / Hern Hermanne Willekom Pferrir czu Nottilepben unserm Vettr underwiset und un-

dirrichtet sin umme daz Vierteil Landes czu Kinteleybin/ da sich unse Wase/ die Eptischen czu dene heiligen Crütze vor der Stad czu Gotha geheildet/ daz da sunderlichen vorsteynt und getzeichent ist/ daz daz von unsen Eldern also an sie und an die Samenunge desselbin Closters komen ist/ daz iz derselbin unsir Wasen dienen sal die wile sie lebet/ und nach irme Tode sal iz blibe bi dem egenanten Gotshuse ewiklichen. " " Und wir Paulus Techant zu unsir Frowen czu Gotha bekennen/ daz wir durch bete der egenantin Günther und Bertrade unse Insegil gehangen haben an disen Brif. Des sin ouch Getzüge Her Petir Schriber der Stadt czu Gotha/ Kristan Scharfinsteyn. " " an dem Dinstage nach Invocavit.

1364 §. CXXXI. Anno CIↃ CCC LXIV. Albertus de Beichlingen, Episcopus Ippusensis, Gerlaci Archiepiscopi Vicarius in monasterio consecravit imaginem S. Crucis, propositis porro indulgentiis, qvi ad hanc imaginem fuerint precati.

Ecce bullam indulgentiarum, superstitionis horum temporum indicem! *Frater Albertus de Bycheling Dei gratia Ippusensis Ecclesie Episcopus Vicarius in Pontificalibus Reverendi Domini Domini Gerlaci Archiep. Maguntin. Vniversis ad qvos presentes litere pervenerint salutem in Domino sempiternam. Qvoslibet Christi fideles ad pietatis opera modis convenientibus & Deo placitis cupientes salubriter invitare, omnibus vere penitentibus & confessis, qvi ad monasterium S. Crucis extra muros Gothen. & singula ejusdem - - - - nec non Sanctimonialibus in eodem inclusis ordinis Cystercienfis manus suas porrexerint adjutrices, Item qvi ad ymaginem sancte Crucis, in eodem monasterio positam per nos anno & die subscriptis benedictam accesserint cum devotione ter Pater noster & totidem ave Maria flexis genibus ante eandem ymaginem orando, totiens qvociens fecerint de omnipotentis Dei misericordia beatorumqve Petri & Pauli Apostolorum, nec non sancti Martini meritis & gratia confisi, autoritate qva fungimur, qvadraginta dies indulgentiarum cum una karena in Domino misericorditer*

diter relaxamus. Datum & actum anno Domini millesimo, trecentesimo sexagesimo qvarto, sexta feria post Dominicam Invocavit.

§. CXXXII. Anno CIↃ CCC LXV. Ecclesia parochialis in Remstet, consentiente Gerlaco Moguntino Archiepiscopo, cœnobio S. Crucis fuit unita, ac Hermannus de Gotha ex parocho factus Remstetensis Vicarius. 1365

De eo plura nos docebit seqvens Præceptum: *Nos Herbordus Dei gratia Prepositus Ecclesie S. Severi Erfordensis Maguntin. diocesi. recognoscimus & presentibus publice profitemur, qvod cum Ecclesia parochialis in Remstete infra terminos nostre Prepositure situata per venerabilem in Christo Patrem & Dominum Gerlacum Archiepiscopum Maguntinum Cenobio & Sanctimonialibus S. Crucis extra muros oppidi Gotha dicte dioc. ex certis rationabilibus causis dudum annexa sit & unita secundum formam & tenorem literarum dicto monasterio desuper traditarum, hujusmodi unionis intuitu, discretus Dominus Hermannus de Gotha verus Rector dicte parochialis Ecclesie ob favorem religionis & salutem anime sue jus qvod dicta Ecclesia sua tanqvam verus Rector habuit, & hactenus tenuit & possedit, libera & ex certa scientia in manibus nostris renunciavit, expresse volens, ut predictum cenobium & sanctimoniales dicte Ecclesie unionis & annexionis possessionem realem de integro acqvirerent & tenerent, eandem autem Ecclesiam dictus Dominus Hermannus ut Vicariam perpetuam seu unicam & annexam coram nobis licite acceptando sibi de cura ipsius Vicarie perpetue per nos provideri supplicavit, Nos justis & piis desideriis dictarum Sanctimonialium ac ipsius Domini Hermanni precibus favorabiliter annuentes, qvod a predicto Domino Gerlaco Archiepiscopo circa premissam Ecclesiam factum esse dinoscitur, ratum & gratum habentes, curam & regnum dicte Vicarie perpetue Ecclesie in Remstete eidem Domino Hermanno commisimus & conjunximus, sub nostro sigillo presentibus appenso in testimonium super eo, jure tamen nostro & successorum nostrorum, qvod ad dictam Ecclesiam, semper salvo. Datum & actum Erfordie Anno Domini millesimo, trecentesimo sexagesimo qvinto, XII. Kl. Ianuarii.*

§. CXXXIII. Eodem anno Guntherus Abbas Georgenthalicus Margaretam Abbatiſſam S. Crucis jubet manſum in campis villæ Kobenſtet Diterico de Malsleben venditum repetere.

Ipſum Abbatis præceptum ſubjicio: *Frater Guntherus Abbas monaſterii Vallis ſancti Georgii Cyſt. ordinis religioſis & dilectis ſibi in Chriſto filiabus Domine Margarete Abbatiſſe & Conventui mon. S. Crucis extra muros Gotha ſalutem & ſinceram in Domino karitatem. Qvia qvoddam ſtatutum Papale ordini noſtro inſtitutum diſtricte prohibet, alienationem rei immobilis, vel jurium, cenſuum vel penſionum alicujus mon. ordinis noſtri, certis appoſitis penis, & vos noviter contra tenorem ejusdem ſtatuti, ſtrenuo militi Theod. de Masleibin (* forte, *Malsleibin) qvendam manſum ſitum in campis ville Kobbenſtete contra juſtitiam de facto alienaſtis, vobis in virtute ſancte obedientie diſtricte precipiendo mandamus, qvatenus eandem alienationem irritam ipſo jure revocetis, & per converſum magiſtrum curie veſtre infra decem dies computandos a data preſentium literarum publice revocari procuretis. Alioqvin per cenſuram eccleſiaſticam & per penas in eodem ſtatuto contentas elapſo illo termino contra nos procedere nos oporteret. Datum Anno Domini* M CCC LXV. *III. Kl. Marcii.*

1368 §. CXXXIV. Anno CIↃ CCC LXVIII. matrona qvædam, die Zehnerin dicta, monaſterio S. Crucis omnia ſua bona tam mobilia qvam immobilia donavit.

Et vero de hac donatione inſtrumentum qvoddam confecit *Iohannes de Aſpech*, Notarius, præſentibus teſtibus, *Paulo* Decano, & *Petro* fratre ejus, Canonico Eccleſiæ S. Mariæ in Gotha, *Nicolao Bothener* Clerico, & *Heinrico Brandeys* de Lyna.

1371 §. CXXXV. Anno CIↃ CCC LXXI. controverſia, qvæ monaſterio S. Crucis interceſſit cum Iohanne de Loucha, fuit compoſita.

Ex

Ex formula compositionis aliqva afferam. Wir Cristine Eptißchen / Kathrine Priorissen / und alle der Convent des Closters czu den heiligen Crutze bekennen ... daz wir mit den gestrengen Mann Johansen von Loycha / der da iz geheizen Johannes der Groze und mit sin Erben sin entscheiden gutlichen allir sache / di her czu uns hatte von sins Vettern weyn H. Hartunges von Loycha des Tumherren zu Ordorf dem Got gnade. Darumme durch Got und durch Frundschaft so habe wir desselbin Johannis eyme sine elichen Kynde gegebin eyne Pfrunde mit uns / wanne daz sin will si in czu tune / also daz her sulle uf di czit tzen Marg lotiges Silbers dem Closter gebe czu eyn almusen / und damite si ledig allir gewellich Dinge / die man mit eyme Kinde phlit czu tune also vere her selbr wil. ... Datum in die S. Martini episcopi.

Johannis illius de *Loucha*, sed cum Longi cognomine (der da ist genant der Lange) meminit *Bruno de Teutleben*, (von Tethelepbin.) anno CIↃ CCC LIX.

§. CXXXVI. Anno CIↃ CCC LXXXVI. Gertrudis Abbatissa, & Euphemia Sacrista erant monasterii, qvæ una cum Vitricis Ecclesiæ parochialis S. Margaretæ, Heinrico Rucheri & Gerhardo Sculteti, ad vicariam altaris in monasterio S. Crucis Officiali Erfurtensi commendabant Hermannum de Wolfhayn. 1387

Literæ vel ob repetitam Vitricorum memoriam, de qvibus Cl. Schurtzfleischius elegantem scripsit dissertationem, integræ merentur adscribi: *Honorabili viro Domino --- Officiali Prepositure Ecclesie S. Severi Erford. Nos Eufemia Sacrista monast. S. Crucis ordinis Cistercienf. extra muros Gotha nec non Dn. Heinr. Rucheri pbr. & Gerhardus Sculteti opidanus opidi Gothens.* Vitrici *Ecclesie parochialis S. Margarete ibidem, reveren. & honoris incrementum. Ad altare seu Vicariam Sti Bernhardi situm in monasterio predicto vacantem ex libera resignatione*

ne Domini Hartungi de Frytzlaria pbri, cujus jus presentandi ad nos dinoscitur pertinere, discretum virum Dominum Hermannum de Wolfhayn presbyterum Maguntin. dioc. vestre reveren. duximus presentandum, petentes ipsum ad eandem investiri, adhibitis circa hec solempnitatibus debitis & consvetis. In cujus rei evidens testimonium sigillum Abbatisse monasterii supradicti cum propriis sigillis caremus, petimus presentibus appendi. Et nos Gerdrudis Abbatissa monast. S. Crucis suprascripti recognoscimus publice in hiis scriptis, qvod ob petitionem predictorum Vitricorum *ac Sacriste nostri monasterii sigillum nostre Abbatisse fecimus appensione communiri. Datum anno Domini* M CCC LXXXVIII. *XVI. Kl. Maji.*

1395 §. CXXXVII. Anno cIↃ ccc xcv. Hermannus --- Episcopus, Conradi Archiepiscopi Moguntini Vicarius in monasterio S. Crucis novum altare consecravit, eoqve nomine bullam indulgentias pollicentem edidit.

Hujus bullæ aliqva subjungo. *Nos Frater Hermannus Dei & Apostolice sedis gratia Episcopus Scopien. Vicarius in Pontificalibus Reverendissimi in Christo Patris ac Domini, Domini Conradi Archiep. Moguntini recognoscimus publice per presentes qvod altare in choro Ecclesie S. Crucis a sinistris situm extra muros Gota benediximus & consecravimus in honorem sancte & gloriosissime Virginis Marie, S. Iohannis Baptiste, S. Katherine virginis & martiris, S. Elizabeth Landgravie, Sanctorum decem millium martirum, Sancti Erasmi martiris atqve Sanctarum undecim millium virginum, cupientes omnibus vere penitentibus, confessis & contritis qvi ad prefatum altare manus suas ad fabricam, luminaria, ornamenta, -- prorexerint adjutrices, vel qvi ad prefatam Ecclesiam --- causa devotionis simul & orationis accesserint, orando pro omnibus fidelibus defunctis, qviqve --- in honorem Sanctorum, qvorum reliqvie ibidem existunt, qviqve Pater noster & Ave Maria flexis genibus devote oraverint, & specialiter ante ymaginem beate ac gloriosissime Marie virginis & ad Crucem in Ecclesia ibidem existentem divine propitiationis gratiam petituri, qvi-*

qvicunqve & qvotiescunqve aliqvid premissorum devote fecerint, de qvalibet particula reliqviarum & de aliis qvibuscunqve prenotatis. Nos de omnipotentis Dei misericordia, beatorum Petri & Pauli Apostolorum gratia confisi, auctoritate qva fungimur, de injunctis eis pœnitentiis qvadraginta dies indulgentiarum in Domino misericorditer relaxamus. Datum - - - in octava Penthecostes nostro sub sigillo.

§. CXXXVIII. Anno CIↃ CCC XCVII. Gertrudis Leitenbergia (*Leythpergen*) Abbatissa, & Catharina Gressia, Priorissa monasterii S. Crucis, Telæ Corneriæ, Conradi viduæ vendunt sex metretas (Malter) census frumentarii (Korngeldes) pro centum pondo bonorum nummorum provincialium. (um 100. Pfund guter Landpfennige.) 1397

Testes sunt viri sapientes ac prudentes *Guntherus Protzel*, *Seifartus Gotheling*, Capellanus monialium, Apollonius Archfeld (Juncker Apel Archfeld) Frater Heinricus Korner, Oeconomus. Die Lunæ post annum novum.

§. CXXXIX. Anno CIↃ CCCC XIV. triga fratrum Pincernarum de Dornburg monasterio S. Crucis adscribunt mansum cum dimidio in campis Frimariensibus, qvem antea Gotfridus de Heilingen, & uxor Conradi de Frimar feudali nexu habuerant. 1414

Nos Rudolfus, Heinricus & Heinricus fratres dicti Pincerne de Dornburg, omnibus presens scriptum visuris seu audituris cupimus esse notum, quod Gotfridus de Heilingen, & uxor Conradi de Vrimar cum omnibus heredibus suis unum mansum & dimidium situm in campis ville Vrimar, qvem a nobis jure feodali tenuerunt usqve modo, nostra voluntate & assensu accedente & permittente cum omni jure & utilitate, qvam in dicto manso & dimidio habere poterant, Ecclesie Sanctimonialium sancte Crucis prope civitatem Gotha in elemosinam pro peccatis suis perpetuo contulerunt. Et eidem donationi interfuerunt Hartungus de Cuceleibin, Hartmudus

dictus Hoterman, & Heinricus dictus Bidemburn cives in Gotha, qvi nobis feodaliter sunt astricti. Preterea ut studiis bonorum operum Sanctimonialium sancte Crucis plenius participemur, ex consilio & jussu dilecte matris nostre Katherine, eisdem Sanctimonialibus superdictum mansum & dimidium cum omni jure, qvod in eo habuimus, damus, appropriamus, & perpetuo possidendum conferimus in his scriptis. In cujus rei certitudinem presentem literam dedimus sigillo nostro bene communitam in presentia testium subscriptorum, videlicet Iohannis de Rosenhayn, Petri dicti Fayl, & Hartungi de Cucileibin nec non aliorum fide dignorum. Datum anno Domini M CCCC *qvarto decimo, pridie Kal. Iunii.*

1427 §. CLX. Anno CIↃ CCCC XXVII. Fridericus Iunior Landgravius, diuturnam inter monasterium S. Crucis, & Fridericum Gitzen, de lignis ex sylva Tatenbergica petendis agitatam controversiam composuit.

Fridericus ille Frutsteti habitans putabat sibi licere ex dicta sylva tantum lignorum petere, qvantum prædio suo sufficeret, id negante Abbatissa, ac rem ad Landgravium deferente. Sic igitur Landgravius perfecit, ut Gitzius cum hæredibus suo, qvod habere credebat, juri renunciaret, contra tamen ab Abbatissa feudali nexu acciperet qvindecim jugera ligneti ad Nothinradam & fontem S. Elisabethæ. Germanica sic habent: 15. Acker Holtz an dem Nothinrade/ und an S. Elisabeths Brunn anzuheben/ gleichrund/ oder viereckt. Compositio facta Waltershusæ, die Iovis post Dominicam Cantate, præsentibus *Nobilibus & Strenuis Comite Heinrico de Schvvarzburg*, affine Landgravii, *Friderico de Hopfgarten*, eqvite, *Heinrico de Witzleben in Wassenburg, Iohanne & Friderico de Wangenheim, Georgio de Heidingesburg, Ludovico* (Lutzen) *de Hetstet, Iohanne de Stuternheim, Heinrico de Webirstet, Diterico Langen,* Decano Gothano, *Nicolao Dornheim* magistro Consulum, *Heinrico Kulstet, Conrado majori* (Grossen Conradus) *Friderico ab Hayn*, civibus ibidem.

§. CXLI.

§. CXLI. Anno CIↃ CCCC XXXVII. monaſterium S. 1437
Crucis ab ordine fratrum Eremitarum S. Auguſtini in fraternitatem recipitur.

Bulla in hanc rem perſcripta ita habet. *Frater Iohannes Meyer de Augea ſacre Theologie Lector, Prior provincialis provincie Thuringie & Saxonie ordinis fratrum Heremitarum ſancti Auguſtini immeritus venerabilibus & religioſis Dominabus, Domine Elyzabeth Bervvelden Abbatiſſe ceteriſqve Sanctimonialibus tam preſentibus qvam futuris monaſterii ſancte Crucis ordinis ſancti Bernhardi ſalutem in Domino & vite Jeſu Chriſti gratia feliciter conſummande. Humane conditionis natura preceps in vitium labitur, & a ſuo debito ac ſalutari plerumqve rethardatur effectu, niſi ſancte matris Ecclesie & Chriſti devotorum piis adjuvetur ſupplicationibus. Vobis igitur pro noſtre religionis orationibus & ſuffragiis humiliter ſupplicantibus ſatisfacere cupiens, confidendo de merito ſangvinis Ieſu Chriſti, auctoritate reverendiſſimi Patris noſtri generalis michi in hac parte ſpecialiter commiſſa recipio vos in totius noſtri ordinis plenam confraternitatem, reddendo vos participes omnium miſſarum, orationum, caſtigationum, predicationum, vigiliarum, jejuniorum, abſtinentiarum, obedientie, meritorum, ceterorumqve bonorum operum, qve per fratres totius noſtri ordinis operari dignabitur clementia Salvatoris, Adjiciens vobis omnibus & ſingulis de gratia ſpeciali, ut cum obitus veſter noſtro generali ſeu provinciali capitulo fuerit intimatus, id pro vobis devote fiet ſuffragium, qvod pro noſtris defunctis fratribus ac ſororibus fieri precipit noſtri ordinis conſtitutio generalis. Inſuper animas omnium progenitorum ac parentum veſtrorum recipio ad ſingula ſuffragia defunctorum. Datum in conventu noſtro Gothenſi anno Domini milleſimo CCCC. XXXVII. in octava beati Patris noſtri Auguſtini provincialatus officii ſub ſigillo.*

§. CXLII. Anno CIↃ CCCC LXXXVI. ex decreto Friderici Sapientis, Electoris, ac Iohannis fratrum, Ducum Saxoniæ, abrogata eſt conſvetudo, qva monaſterium S. Crucis 1486

ea omnia jubebatur parare, qvæ ad maleficorum ſupplicia reqviruntur: ſed id relinqveretur Præfecturæ Gothanæ, aut qvi nomine Principum judiciis præeſſent capitalibus.

Ita enim pridem (neſcio an ex ſuperſtitione, an aliis de cauſis) inoleverat, ut, ſi qvando capitali ſupplicio aliqvis afficiendus eſſet Gothæ, moniales S. Crucis non modo de hoſpitio ac convictu carnificis, ſed & de ſcalis, funibus, rotis, & ſi qvæ alia reqvirerentur ad ſupplicium, neceſſum haberent proſpicere. Id qvod per hoc decrerum die Dominico S. Severi perſcriptum penitus fuit abrogatum.

1502 §. CXLIII. Anno CIↃ IↃ II. Senatus Gothanus cum monaſterio diſceptavit de hujus ambitu & libertatibus.

Hoc enim colligo ex Friderici Electoris & Iohannis Saxoniæ Ducum præcepto Senatui reddito, ut die Iovis poſt feſtum Briccii Vinariæ hujus cauſæ ergo comparerent.

1523 §. CXLIV. Anno CIↃ IↃ XXIII. Margareta Abbatiſſarum ultima, unanimi totius Collegii conſenſu, parochiam S. Margaretæ Friderico Electori, ac Iohanni, fratribus, Saxoniæ Ducibus, reſignavit, ac porro cum Senatu Gothano de variis capitibus convenit.

1529 §. CXLV. Anno CIↃ IↃ XXIX. ſeptem moniales, pleræqve jam decrepitæ, in domo Præpoſituræ vixere ſuperſtites, qvibus certi reditus ad vitam deputati ſunt.

CA-

CAPVT VI.

DE MONASTERIO AVGVSTINIANO, EIVSQVE MONACHIS, ET MEMORABILIBVS.

§. I.

Anno CIↃ CC LVIII. monachi ordinis Eremitarum S. Augustini Gotham cœperunt incolere, accepto a monialibus S. Crucis & Gothano Senatu spatio, ubi monasterium exstruerent. 1258

De eo superat seqvens Notitia: *In nomine sancte & individue Trinitatis, Amen. Soror I. miseratione divina dicta Abbatissa totusqve conventus Sanctimonialium Cisterciensis ordinis prope Gotham, nec non Prefectus cum Consulibus & Scabinis ac Vniversitas civitatis memorate universis Christi fidelibus, ad qvos presens scriptum pervenerit, salutem & orationes in virginis filio. Qvam freqventius beatorum Patrum auctoritatibus & exemplis monemur opera pietatis in pauperes exercere, maxime tamen in eos, qvi voluntaria paupertate degentes divina refectione satiati die noctuqve crebris vigiliis insistentes pro fide katholica roboranda Domino Jhesu Christo suarum orationum plenitudines effundunt. Igitur evidens opus pietatis facere cupientes universitati sancte Ecclesie significamus, nos ex bona deliberatione dilectis Christo fratribus ordinis S. Augustini contulisse ecclesiam & aream cum omnibus edificiis, qve olim possederamus in civitate supradicta libere in perpetuum, excepta area, in qva sita est domus cum horreo. Item volumus, si contingat fratres ipsum locum qvacunqve necessitate deserere, locus integraliter cum edificiis omnibus occasione priuposita ita redeat remaneat Dominarum. Et ut hoc factum inconvulsum maneat atqve ratum, presentem paginam sigillo nostro & civita-*

vitatis predicte fecimus roborari. Acta sunt hec anno Domini M CC LVIII. *tertio decimo Kalend. Decembris.*

In Chronico antiqvo Thuringico MS. hæc legas: Anno CIↃ CC XLVIII. do zcogin dy Barfußin von Gotha do hattin se erin Convent/ unde qvamen zcu Arnstete/ uñ buwe-ten do/ uñ dy Augustiner qvamen an ere Stad. Hæc si ita se haberent, Augustiniani Franciscanis Arnstadium secedentibus successissent: de qvo tamen nondum certiora sum edoctus. Dresserus & Ritterus ædem illam Augustinianorum jam anno CIↃ CC XVI. conditam esse affirmant.

§. II. Institutum monasterium Innocentius V. Pon-
1276 tifex anno CIↃ CC LXXVI. seqventi bulla confirmavit.

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis sibi filiis Priori & fratribus domus Heremitarum de Gotha ordinis S. Augustini Maguntinensis diœcesis salutem & Aplicam benedictionem. Cum a nobis petitur qvod justum est, honestum tam vigore æqvitatis, qvam ordo exigit rationis, ut id pro sollicitudine officii nostri ad debitum producatur effectum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat qvod dilectæ in Christo filiæ Abbatissa & Conventus monasterii S. Crucis prope Gotham Cistercienfis ordinis Maguntin. diœcesis cupientes in Ecclesia loci ejusdem de Gotha tunc ad eas pleno jure spectante cultum divini nominis adaugeri, dictam Ecclesiam cum officinis suis de consensu venerabilis fratris nostri Archiepiscopi & Capituli Maguntini vobis pia & provida deliberatione donarunt, & etiam concesserunt, ut vos in ecclesia ipsa morantes perpetuo inibi divinis laudibus insudetis, prout in literis inde confectis Archiepiscopi, Capituli, Abbatissæ ac Conventus prædictorum sigillis munitis plenius dicitur contineri. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati qvod super hoc ab eisdem Abbatissa & Conventu pie ac provide factum est & in alterius præjudicium non redundat, ratum & firmum habentes ideo auctoritate Apostolica confirmamus ac presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis infringere, vel

vel ei ausu temerario contravenire. Si qvis autem hoc attemptare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Laterani VIII. Kl. Aprilis Pontificatus nostri anno primo. Nonnemo adscripsit, *& ultimo.*

§. III. Numerus monachorum variabat: inter qvos præcipui erant, *Prior*, ac *Lector:* sic tamen vt hæ, præsertim prima dignitatum, essent ambulatoriæ. *Priores* enim nonnullos reperi, qvi mox posteriori loco haberentur.

§. IV. Nos Priorum, Lectorum, ceterorumqve monachorum memoriam, qvam passim in Notitiis reperimus, ac deniqve memorabilia qvædam ex gestis hujus monasterii subjungemus.

Gumpertus *Prior*, Gerhardus de Kunigese, *Cellerarius*, & *frater* Bertoldus Vitrarius. 1273.

Lutherus *Prior.* 1290.

Conradus de Wizenfels, Ditmarus de Vshusen, *Fratres hujus domus & ordinis.* 1290.

Heinricus de Frimaria, *Lector.* 1323. *S. Theol. Prof.* 1336.

Vir fuit pius, probus, doctus, variisqve scriptis nobilis. Vitam ejus scripsit *Cornelius Dielmannus*, ejusdem ordinis Iubilarius, Gandensis. Sed plura singulari opusculo brevi nobis dabit *Wilhelmus Ernestus Tentzelius*, Vir Cl. & historiam Ecclesiasticam summe doctus.

Conradus *Prior.* 1332.

Albertus de Frinstet *Prior*, Bertholdus de Frimaria, *Lector*, Iohannes de Franckenhusen, *Subprior*, Bruno de Phertingsleben, Iohannes de Arnstet, Heinricus During *Provisor*, Theodericus Vanebach *Custos*, Hartungus, Hermanni sub Arbore, civis Gothani, filius, *Frater.* 1354.

Ditericus Wynne. 1376.

Heinricus Francko *Prior*, Iohannes de Dachbeche, *Lector*, (Lesemeister 1402.) Giselerus Brandis *Subprior*, Iacobus Clopstein, *Provisor*. 1398.

Hermannus Schmidt, *Prior*. 1402. *Custos*. 1419.

Heinricus Beuter. *Lector*. 1402. 1411.

Heinricus Cruder, *Prior*, (idem an. 1420. *Lector* & *Prior* audit.) Guntherus de Arnstet, *Subprior*, Iohannes Sigilbach, *Provisor*. (Schaffner. 1411.) 1419.

Heinricus Scherfbrod, *Provisor*. 1421.

Ditericus Karnpferd, *Prior*. 1429.

Iohannes Meyer de - - - S. Theologiæ *Lector*, *Prior Provincialis provinciæ Thuringiæ & Saxoniæ*, ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini, ex conventu Gotensi ad Burchardum de Kreutzburg Abbatem Reinhartsb. scribebat anno 1438.

Heinricus Engel. Fratrem habuit Christianum. 1441.

Ditericus Arnoldi, *Lector* & *Prior*. 1450.

Bertholdus Stotze, *Prior*, Bertholdus Sture, *Subprior*, Christianus Winterstein *Provisor*. 1453.

Conradus Kune *Prior*. 1456.

Iacobus Seberus *Prior*. 1473.

Et hic forsam idem est, qvi anno 1478. *Iacobus Rochlicius* vocatur.

Theodericus de Hirckingen, *Prior*, Iohannes Hofmeister, Georgius Hetzel *Lector*, Nicolaus Snytzer, Hermannus Francke, Iohannes Beringer, (hic *Provisor* fuit 1495.) Iohannes Gleser, Simon Wernheri, Conradus Sigler, Georgius Stotzing, Hermannus Geysa. 1482.

Nicolaus Stenderus. 1492.

Iohan-

Iohannes Brüheim Gothanus, *S. Theol. Prof.* 1494.

Laurentius Czennerus, *Prior*, (*Provisor* 1498.) Iohannes Hereden, *Subprior*, (item 1498.) Heinricus Reusch, *Custos* (an. 1498. audit *Sacrista.*) 1495.

Albertus Bidermann, procurator monasterii. (Vorsteher) 1496.

Iohannes Fischer, *Prior*, Caspar Lucæ, *Quæstor*. (Semmer/ Rentmeister) 1498.

Vltimi monachorum fuere; Iohannes Missener, *Prior*, Laurentius Czenner, *Subprior*, Hermannus Geysse, *Senior*, Iohannes Korner *Provisor* (Scheffener) Iacobus Smachtenburg, Iohannes Kalhart, Fridericus Schne, Heinricus Thilo, Fridericus Öhem. 1525.

§. V. Anno CIↃ CC LXV. Wernerus Archiepiscopus Moguntinus in gratiam Augustinianorum bullam indulgentiariam emisit: ac iterum id fecit anno CIↃ CC LXXVI. 1265 1276

Prior V. Idus Iulii Moguntiæ data loqvitur de qvadraginta diebus in illorum emolumentum, qvi ad ædificium templi manus afferrent adjutrices: posterior Aschaffenburgi scripta V. Kal. Iulii, anno Episcopatus XVII.

§. VI. Anno CIↃ CC LXXXVII. Frater Heinricus, Archiepiscopus Moguntinus omnes bullas indulgentiarum monasterio a suis antecessoribus, aliisqve Episcopis redditas, confirmat Erfurti. 1287

§. VII. Anno CIↃ CC XC. Bertrada, Heinrici Senioris de Wandisleben vidua, novo altari S. Michaelis dicavit prædium suum in Kinteleben, ut pro anima defuncti mariti missæ in eo celebrarentur. 1290

Pluribus id docet seqvens Notitia Friderici de Hetstet. *Omnibus*

bus presens scriptum visuris tam posteris qvam presentibus Fridericus Nobilis de Hetstede geste rei noticiam & bone voluntatis officium. Ne propter lapsum temporis gestarum rerum noticia simul cum tempore ab hominum memoria elabatur, oportet ut scriptis authenticis & proborum virorum testimonio roboretur. Hinc est qvod ad universorum noticiam cupimus devenire, Qvod proba femina & honesta Bertradis Relicta Henrici senioris dicti de Wandesleben Curiam sitam in Kinteleybin, qve tunc a Heinrico Luthevvini & uxore sua Conegundi inhabitatur, contulit in nostra presentia libere & absolute fratribus ordinis sancti Augustini in Gotha ad altare sancti Michaelis, apud predictos fratres erigendum seu erectum, ita sane qvod predictorum Henr. & Bertradis memoria perpetuis ibidem temporibus vigiliis, missis aliisqve orationibus peragatur. Census autem hujus curie sunt IIII. solidi monete usualis, una auca & IIII. pulli e qvibus II. solidi & II. pulli in festo Walburgis cetera vero in festo Michaelis predictis fratribus persolventur. In cujus rei testimonium presentibus sigillum nostrum duximus apponendum. Testes sunt Dominus Conradus Capellanus & plebanus in Kinteleyben, Heinricus Iunior de Wandeslebn, Heinricus de Vfhusen, Conradus Hartvvichi cives Goth. & alii qvam plures fide digni. Acta sunt hec coram fratre Luthero tunc Priore in Gotha, Fratre Conrado de Wizenvels, Fratre Ditmaro de Vfhusen, aliisqve fratribus memorate domus & ordinis Anno Domini M. CC. LXXXX. *Dominica precedente festum Sancti Michaelis Archangeli.*

1311 §. VIII. Anno CIↃ CCC XI. die S. Georgii Heinricus Comes Bichlinganus monachis Augustinianis adscripsit pascuum, qvod antea Heinricus de Loucha ab ipso in feudum habuit.

Notitia Comitis ita habet: *Nos Heinricus Dei gratia Comes de Bychelingen recognoscimus, & tenore presentium publice protestamur, qvod Heinricus dictus de Loycha monachis, sed & religiosis viris fratribus ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini conventus in Gotha ex gratia qvam ad Dominum & dictos fratres habuit*

habuit, unum pratum ſitum circa civitatem Gotha in campo dicto Mittelhuſinvelt, qvod a nobis titulo poſſiderat feodali, qvod inqvam pratum ob remedium anime noſtre intuitu Dei damus predicti conventus fratribus nomine proprietatis jugiter poſſidendum, ut pro nobis Dominum devocius ſuis orationibus interpellent. In cujus rei rectitudinem & jugem memoriam hanc literam noſtro ſigillo fecimus communiri. Datum in Gotha, Anno Domini M CCC XI *in feſto ſancti Georii Martiris.*

§. IX. Anno CIↃ CCC XII. Gebhardus miles de Malsleben ejusqve filius Cunemundus Auguſtinianis vendunt aliqvot reditus. 1312

Qvo de exſtat ſeqvens venditorum Notitia. *Ne acta hominum qve fiunt in tempore ex decurſu temporis a memoria cum tempore evaneſcant, mos ſapientum eſt, ut ea ſub nomine teſtium literis recommendent. Hinc eſt qvod nos Gebhardus miles dictus de Malsleybyn nec non Cunemundus ejus filius tenore preſentium omnibus publice profitemur, qvod Conventui Fratrum Heremitarum ordinis ſancti Auguſtini in Gotha vendidimus reditus pro XIIII. marcis puri argenti & duo maldra frumenti Erfordenſis menſure cum V. fertonibus uſualibus in molendino ſito juxta piſcinam Mittelhuſin cum omni jure qvo nos & predeceſſores noſtri ſeu parentes noſtri poſſidebant, & largivimus ſub titulo proprietatis in perpetuum poſſidendos. Qvare in preſentibus abrenuntiamus omni juri qvod in predicto molendino & in omnibus ad id pertinentibus hucusqve habuimus & qvod noſtri heredes & ſucceſſores eſſent in poſterum habituri. Et qvia predicta bona vendita ſub titulo proprietatis, prout eſt decretum ab Illuſtri Domino de Orlamunde Heynrico jure poſſedimus feodali, promittimus in hiis ſcriptis, qvod una nobiſcum Th. miles de Sybeleybin & Heinricus dictus Wizvverch ſenior qvod infra feſtum beate Walpurgis procurabimus, ut bona prememorata prefatus Dominus abrenuntiato jure feodi pro ſe & ſuis annuat apertis literis --- vel vendi perpetue titulo proprietatis. In cujus rei ratitudinem ſigillum Ioh. militis de Sybeleibin & noſtra preſentibus ſunt appenſa. Acta*

autem sunt hec anno Domini M CCC XII. *Kalas Marcii, presente sepedicto milite Th. de Sybeleibin. Gunth. Monetario. H. Beneveniatis. & H. - - - Wizvverch. H. de Sunthusin. Con. de Ysenache & qvampluribus presentibus fide dignys.*

1316 §. X. Cum anno CIↃ CCC XVI. Ludovicus Monetarius & nonnulli alii bona qvædam in villa Kintleben monasterio resignarent, Fridericus de Hetstet id testimonio suo comprobavit.

Nos Fridricus miles de Hetstete Illustris Principis Dni Friderici Marchionis Misenensis ac terre Thuringie Lantgravii Castellanus in Grymmenstein recognoscimus tenore presentium publice protestando qvod Ludevvicus dictus Monetarii una cum Domina Cunegundi relicta qvondam Theoderici fratris germani predicti Ludevvici ejusdem consobrini, Guntherus & Th. germani fratres dicti cognomine Guntheri Gosalci residentes in Isenaco religiosis viris Priori & conventui fratrum ordinis sancti Augustini Domus in Gotha sex maldra Erfurdensis mensure eisdem singulis annis perpetuo persolvenda videlicet duo maldra tritici, duo siliginis, & duo ordei cum suis Oblegis, s. qvinqve aucis & decem pullis qvos supradicti in duobus mansis & dimidio sitis in campis ville qve dicitur Kinteleben titulo proprietatis ipsi ac sui heredes ac progenitores plusqvam per qvadraginta octo annos qviete & libere possidebant, coram nobis tanqvam Domino & judice legitimo ville prenotate per formam juris resignaverunt. De qvibus bonis memoratis duobus mansis cum dimidio in presenti Ekehardus de Malesleiben tenet & colitur unus mansus, de qvo solvet annuatim decem maldra cum dimidio Gothensis mensure cum duabus aucis & qvatuor pullis. Alterum mansum tenent & colunt Heynricus & Conradus dicti Runcheren, de qvo dabunt singulis annis novem maldra. - - - - dimidium vero mansum tenet Conradus dictus Comes de Kintheleben. - - - Abvenuntiaverunt autem predicti coram nobis pro se & pro omnibus suis heredibus omni exceptioni impetitionis & juri, qvod in predictis reditibus nunc habent, vel qvod sibi possent sui successores inposterum sub qvocunqve titulo vendicare. In cujus resignationis testimonium & perpetuam firmitatem sigillum nostrum

ad

ad instantiam partium predictarum presentibus duximus apponendum. Actum & datum in civitate Gothensi Anno Domini M. CCC. XVI.

§. XI. Anno CIↃ CCC XVII. Heinricus Comes Orlamundanus monasterio molendinum Mittelhusanum attribuit, qvod antea Eberhardus de Molsleben jure feudali habuerat: pro qvo eum Augustiniani omnium suorum operum bonorum fecere compotem. 1317

Factum id Gothæ die SS. Cosmæ & Damiani.

§. XII. Anno CIↃ CCC XVIII. Petrus Moguntinus Archiepiscopus monachis indulget licentiam passim per diœcesin suam sacra obeundi. 1318

Qvia ipsa bulla Archiepiscopalis in manus meas venit, eandem adscribere non pigrabor, relictis tamen aliqvot lacunis, eo qvod scripturam non semper asseqvi potuerim.

Petrus Dei gratia S. Maguntine sedis Archiepiscopus sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius universis parochiarum rectoribus & earum vicariis per diocesin Maguntinam constitutis salutem in Domino. Cum viros religiosos fratres ordinis S. Augustini de conventu Gothensi nobis per suum Superiorem presentatos actibus predicationis & confessionis, qvi eis ex virtute privilegiorum sedis Apostolice libere indulgentur, in nostra dyocesi - - - - duximus admittendos, Vobis omnibus & singulis eosdem fratres affectuose recommendamus, sub virtute sancte obedientie districtius inhibentes, ne aliqvi vestrum fratres predictos, qvi semper nobis ac clero devotos & subjectos exhibuisse nostr. - - - - - aliqvaliter impedire presumant, qvo minus possint in vestris ecclesiis verbum Dei proponere, confessiones fidelium audire, ac ipsis confitentibus injungere pœnitentias salutares, in missis etiam suis legendis in vestris parochiis - - - - in fidelium - - - - - - - juxta professionis sue statum. Rogamus & omnino volumus vos eisdem fratribus gratiosos & benivolos exhibere, sicuti qvod si a qvoqvam vestrum in predictis actibus salubribus dicti fratres fuerint molestati, ex commissione nobis facta per sedem Apostolicam ipsis tenemur & volumus

 de

de optimo remedio providere. Datum Maguntie anno Domini M CCC XVIII. *XI. Kl. Aug.*

§. XIII. Eodem anno CIↃ CCC XVIII. Guntherus ſenior de Salza Gotfridi de Heilingen donationem monaſterio factam ſeqventi præcepto confirmat.

Nos Guntherus ſenior de Salza - - recognoſcimus - - qvod donationem & elemoſinam juſte & pie factam per Gotfridum dictum de Heylingen adhuc vivum & ſanum mente & corpore exiſtentem de expreſſa voluntate Hedevvigis ſue uxoris legitime religioſis viris Priori & fratribus domus in Gotha ord. S. Auguſtini de XXIII. agris ſitis in territorio ville Truchtelborn - - ratam & gratam habemus, ac in remedium anime noſtre & omnium predeceſſorum eosdem agros pleno jure proprietatis - - damus & offerimus - - Datum anno Domini M CCC XVIII. *in die ſancti Galli Abbatis.*

1319 §. XIV. Anno CIↃ CCC XIX. Witego Epiſcopus Miſnenſis XL. dierum indulgentias illis elargitur, qvi in feſto dedicationis ædis Auguſtinianæ, aliisqve feriatis diebus comparuerint, monaſterio benefecerint, pro defunctorum animabus, vel deniqve coram imagine S. Mariæ in choro poſita oraverint.

Bulla Epiſcopalis data eſt Gothæ, Dominica poſt diem S. Jacobi.

1323 §. XV. Anno CIↃ CCC XXIII. virgines de Retbach domum ſuam Auguſtiniano monaſterio vicinam eidem donant: eamqve ab omni tributo liberam pronunciat Senatus Gothanus.

Privilegium Senatus adſcribam integrum. *Nos Nicolaus Cleinekouph, Heinrich Thyme Magiſtri Conſulum, Hartung Hotterman, Heinrich Wizvverc, Witterus, Conum* (forte *Cuno*) *Runecher, Wechle Vmne, Heinrich Erhe, Gunzelinus Willebot, Bertoldus Leythnberg, Erhardus de Wygeleuben, & Conradus de Aſchere, Conſu-*

Consules Universitatis civium Gotensium universis presentia visuris & audituris recognoscimus lucide protestando, qvod domum & curiam sitas retro claustrum fratrum nostrorum dilectorum ordinis S. Augustini, qvam puelle de Retebech nunc inhabitant, qvamqve de voluntate Iohannis sui proximi heredis & ceterorum qvorum intererat, pro remedio animarum suarum Dominis fratribus liberaliter contulerunt, & coram magistris nostrorum Consulum ac aliis fide dignis judicialiter supportaverunt, juxta apparationes (forsan *appropriationes) & exemptiones, qvam inclita Domina nostra Elizabeth Marchionissa Missenensis & Thuringie Lantgravia, & Domicellus frater Hermannus Dominus dictarum terrarum fecerunt eisdem fratribus suis patentibus literis de domo & curia memoratis, ad reqvisitionem inclite Domine nostre predicte ac devotas instantias Reverendi Magistri de Frimaria prefatis fratribus liberam concedimus ab omnibus exactionibus & vigiliis. Ita qvod dictas puellas nunc inhabitantes, & qvos post obitum earum inhabitare contigerit, liberos pronunciamus ab omni exactione precariarum in vigiliis & qvibuscunqve aliis serviciis civitatis, ut de medio manso, qvem hereditarie possident aliq. -- focari --- aut contributionem ad tempora vite sue faciant civitati. Qvando post obitum earum aliqvi cives ----- ut omissam domum inhabitare contigerit, nec licet de substantia mobili sint immunes ab oneribus civitatis. De hereditate tamen sua, qvam habuerunt intra oppidum nostrum, vel extra muros in campis hujus oppidi exactionem persolvant dicte hereditati correspondentem. Si autem fratres personam aliqvam, civem nostrum, ut omissum pro suis servitiis aliunde in dictam domum assumserint taliter, ut videlicet dictam domum inhabitantes tam de mobili sua bona, qvam de hereditate, si alibi ipsam habuerint, exempti erunt simpliciter & in toto, a qvibus ut predictum est, ab oneribus civitatis. Si autem persone qvecunqve post obitum predictarum puellarum prefatam domum inhabitantes hereditatem aliqvam in nostra civitate habuerint, tales nostris civibus in exactionibus respondebunt juxta portionem sue hereditati congruentem. In qvorum omnium testimonium sigillum nostre civitatis presentibus est appensum. Acta sunt hec anno*

no Domini M. CCC. XXIII. *infra octavam Nativitatis Virginis gloriose.*

In hoc ipſo privilegio mentio fit trium Illuſtrium perſonarum, ELISABETHÆ Marchioniſſæ, HERMANNI Domicelli, & MAGISTRI DE FRYMARIA. Jam qvod ad ELISABETHAM attinet, vidua eſt Friderici Thuringiæ Landgravii. & Miſniæ Marchionis, qvæ Gothæ ſuum habuit dotalitium, Sed qvis ille ſit HERMANNVS, nondum mihi conſtare fateor. Vox *Domicelli* deſignat fuiſſe juvenem ſumme nobilem, ac familia illuſtri ſatum: at *Fratris* deſignare videtur religioſo ordini mancipatum. Sed, qvod additur, *Dominus dictarum terrarum*, Miſniæ ſcilicet, ac Thuringiæ, locum facit conjecturæ, ac ſi Hermannus ipſo Friderico & Eliſabetha fuerit genitus, at ſacris pro genio ſæculi addictus: qvo de ſi qvi alii harum rerum gnari certiora habent, ut me, ſive publice, ſive privatim edoceant, perhumaniter rogo. Deniqve *Reverendus Magiſter de Frymaria* eſt HENRICVS ille, ord. Eremitarum S. Auguſtini ſodalis, & anno CIↃ CCC XLII. in Gothano cœnobio lector, Vir aliqvot ſcriptis celebris, ac jam ſupra memoratus.

In manus qvoqve meas venit ipſius Eliſabethæ Landgraviæ, & filii ejus Friderici privilegium de eadem domo perſcriptum: qvod itidem integrum ut adſcribam, dignum eſſe cenſeo.

Nos Elizabeth Dei gratia Thuringie Lantgravia Myſnenſis & Orientalis Marchioniſſa Dominaqve terre Plyſnenſis. Et nos Fridericus filius ejus eadem gratia heres & Dominus terrarum predictarum Vniverſis Chriſti fidelibus notum facimus & preſentibus proteſtamur, qvod ob reverentiam divini nominis curiam ſitam retro clauſtrum fratrum ordinis ſancti Auguſtini in Gotha, qvam puelle dicte de Rethebeche ipſis fratribus in puram elemoſinam contulerunt pro ſalute animarum noſtrarum, progenitorum noſtrorum predictis fratribus appropriavimus & preſentibus appropriamus, volentes de cetero dictam curiam & qvos in antea pro fratrum ſervitio inhabitare contingerit, in eadem a nobis & ſucceſſoribus noſtris civibusqve

qve predicti nostri opidi ab omni exactione, precaria, vigiliis & qvibuslibet aliiis servitiis immunes fore penitus & exemptos. Inhibentes nichilominus dictis civibus ne de dicta domo & personis inhabitantibus ut premittitur in eadem hujusmodi onera presumant in posterum qvomodolibet extorqvere. In cujus appropriationis & dicte libertatis testimonium presentes literas predictis fratribus dedimus nostris sigillis firmiter communitas. Actum & datum Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo tertio, pridie Kalendas Septembris in castro nostro Wartperg.

§. XVI. Anno CIↃ CCC LIV. Guntherus Willekom civis Gothanus Augustinianis bona qvædam legavit. 1354

§. XVII. Anno CIↃ CCC LXVIII. Capitulum Provinciale fuit habitum in monasterio. 1368

Tum Magister ---- *Klencour*, electus in Provincialem, & Frater *Heinricus de Augea* Senior, in Priorem Königsbergensem.

§. XVIII. Anno CIↃ CCC LXXIX. Hartungus Willeber & Hartungus Leithenberg procuratores monasterii Augustiniani fuerunt. 1379

In Germanica qvadam Notitia vocantur: Bürger zu Gotha/ und getreue Procuratores des Closters/ der Brüder S. Augustini.

§. XIX. Anno CIↃ CCC LXXX. Ludovicus Archiepiscopus Mog. bullam indulgentiariam emittit, in illorum gratiam, qvi coram imagine S. Mariæ in cœmeterio Augustiniano supplices oraverint, aut alias huic cœnobio benefecerint. 1380

Pleraqve bullæ repeto: *Ludevvicus Dei & Apostolice sedis gratia S. Mogunt. sedis Archiepiscop. sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius ---- cupiens ut Ecclesia fratrum heremitarum B. August. in Gotha debitis honoribus freqventetur, vere pœnitentibus, confessis & contritis, qvi devote venerantur Ecclesiam memo-*

ratam, orationis causa accesserint, & ante imaginem beate virginis Marie extra Ecclesiam in muro ejusdem Ecclesie locatam septem Pater noster & totidem Ave Maria flexis genubus devote dixerint, qviqve de bonis a Deo sibi collatis Ecclesie memorate manum porrexerint adjutricem, eleemosynam seu oblationem fecerint, totiens qvoties hoc fecerint, singulis eorum XL. dies indulgentiarum relaxandas de cunctis eis pœnitentiis pollicemur. Datum Saltza V. Octobris anno CIↃ CCC LXXX.

1387 §. XX. Anno CIↃ CCC LXXXVII. Capitulum iterum fuit habitum in Gotha.

1394 §. XXI. Anno CIↃ CCC XCIV. Balthasar Landgravius in æde Augustiniana novum altare erexit, in honorem Christi, matris ejus Mariæ viginis, nec non corporis & sanguinis Dominici.

1427 §. XXII. Anno CIↃ CCCC XXVII. Heinricus Adrimutanus Episcopus, Conradi Moguntini Vicarius, sacrarium in monasterio Augustiniano novum dedicavit, eidemqve multas indulgentias adscripsit.

1443 §. XXIII. Anno CIↃ CCCC XLIII. Augustiniani monachi spondent Senatui Gothano, se nonnisi certa bona a tributis aliisqve oneribus vacantia habituros, &, si qvæ nova ipsis legarentur, civibus vendituros.

Longum esset enarrare singula compositionis capita: qvorum tamen hæc, qvæ dixi, fuere præcipua, satis superqve indicantia, qvantopere tum creverint Clericorum opes.

1458 §. XXIV. Anno CIↃ CCCC LVIII. Wilhelmus Landgravius reformationem hujus monasterii sollicite urget, ac impetrat.

1463 §. XXV. Anno CIↃ CCCC LXIII. Heinricus Martersteck, magister cudendæ monetæ præfectus Vinariæ, idemqve Senator

nator Gothanus, ejusqve uxor Catharina monachis Augustinianis nonnullos censūs hæreditarios dicarunt.

Id factum die Veneris post Dominicam Oculi.

§. XXVI. Anno CIↃ CCCC LXX. Wilhelmus Landgravius monasterio Augustiniano pristinorum censuum jura confirmans, ab iisdem exegit missas pro defunctis majoribus, Anna uxore prima, se ipso, ac conjuge præsenti Catharina. 1470

Scilicet, ut hanc liberalem confirmationem summum robur habituram compensarent, Prior, Conventus & posteri in eo omnes, perpetuo ac indesinenter memoriam celebrarent suorum parentum ac majorum, Celsissimæ Principis, Dominæ Annæ, prioris conjugis beatæ, deinceps sui, ut & Celsissimæ Principis Dominæ Catharinæ, jam dulcissimæ uxoris (und die Hochgeborne Fürstin / Frau Katharinen / itzo seine liebe Gemahlin) quamprimum uterqve vita excesserint, nec minus utriusqve generis parentum, heredum & posterorum: idqve singulis qvatuor temporibus, die Iovis per vigilias, & proximo die Veneris per missam pro defunctis: ac inter solennia missæ orationem ad populum habendam, ut pro mortuis deprecentur: præterea statis illis diebus a finita missa Responsorium, *Christi virgo dilectissima*, decantandum; deinde versiculum, *Ora pro nobis sanctissima Genetrix*, & Collectam, *Concede nos famulos tuos*, prælegenda. Qvod si vero Prior & Conventus pessime viverent, a regulis ordinis secederent, (die Haltung der heiligen Observantien abegehen) nec huic testamento strictim inhærerent, tunc se, vel hæredes, ac posteros suos confirmationem illam censuum revocaturos. Hoc scriptum Wilhelmi Landgravii majori sigillo confirmatum Vinariæ, die Dominica Agnetis. Et vero Prior & Conventus se hæc omnia & singula accurate servaturos,

 singu-

ſingularibus literis, qvas *Reverſales* vocamus, ſancte ſunt polliciti.

1419 §. XXVII. Anno cIↃ cccc xcII. Prior Auguſtinianus (*Nicolaum Stenderum* fuiſſe puto) a Canonico qvodam trucidatus eſt.

1495 §. XXVIII. Anno cIↃ cccc xcv. Fraternitas S. Sebaſtiani in hoc monaſterio a civibus qvibusdam Gothanis inſtituta eſt.

Ipſas religioſi, ſeu ſuperſtitioſi potius, inſtituti tabulas afferro.

Wir hernach geſchriben mit Namen Hans Tzan Goltſmyt und Hans Seber Bürger zcu Gota / alſo oberſte gekorne Vormunden und Vorſteher der erlichen Bruderſchafft Sancti Sebaſtiani bekennen uffintlich mit dieſem Brive allermenniglich / das wir nach Gotlicher Ingebunge innelich gerurt mit andern unſern Geſelleſchafften derſelbin andacht und willens hoch betracht / tyff beſonnen / und zcu Hertzen genomen haben den ſtand und weſen diſer betrübten Werlde / nemlich daß das Lebin nnd alle Ding vergenglich ſint / nicht gewiſers wann der Tot / und nicht ungewißers iſt wann die tzyt des Todis / das ouch der Menſche nichts uß diſer Werlde mit ſich getzihn mag der Selen tzu troſte dann gute criſtliche Werke / Stifftunge erlicher Bruderſchefte der Heiligen und ander geiſtliche Ubunge / dorzcu wir uns aber unſer Sünd und Miſſetat halbin an ſunderliche Hülffe / Wirkunge der toginden / Bieſtant der Gnade Gotes und der lieben Heiligen in den Dingk etwas für tzu nemmen oder zcu verſuchen unwirdig und machtloß erkennen / Idoch indenckende Vermanunge der heiligen Schrifft / ſprechende / Ruff an / ob ymant ſey / und zcu ettlichen der Heiligen dich kere / Got dem almechtigen und ſeinr alwege gebenedigten Mutter Marien zcu Lobe / und zcu ern unſern Eldern und Vorfarn ſeligen unnſern und unſern Nachkommenden in der Bruderſchafft Selen zcu Troſte und zcu Hülffe meringe Gotesdienſtes / und Beſſerunge fromer Criſten Men-

ſchen

schen eyne ewige gelesin Messe in der Ere Sancti Sebastiani
des heiligen Merterers in der Kirchen und Closter der geist-
lichen Veter und Brůder Ordens der Eynsidler Sancti Au-
gustini uff des heiligen Crutzes Altar alle Mitwoche nach
der prime die sancti Sebastiani Bruderschafft furdmer und
uff alle c:yt und ewickeit genant und geheissen werden sal/
die auch gereit lobelich angefangen/ ettliche tzal Jare wiewol
unbestetigt gehalden und begangen ist/ mit Gotes des Al-
mechtigen auch fromer geistlicher Person Hůlffe Stůre und
milde Handreychunge bearbeitet/ gestifftet und uffbracht
habin/ In Hoffnunge die von Tage zcu Tage mit eyner
erlichen Tafeln/ Lůchtern/ Lichten/ und andern geistlichen
Ornaten und Tzirheiten unnsers Vermogen tzu tziren und zcu
bessern/ Und habin darauf von dem wirdigen und andech-
tigen Brudern Laurentio Tzenner Priori und gantzen
Sampnunge desselbin Ordens und Closters zcu Gota und
yren Nachkomen zcugesagt/ erlangt ůber die Mitwochens
gelesen Messe/ auch dieselbe Sant Bastians Messe in dem
Monden eyns zcu singen/ und uff dem cleynen Werke ob
man eynen Orgeler gehabin kan/ zcu spylen/ auch insun-
derheit erworben in eyner iglichen Wichfasten uff den Din-
stag des Abends mit der Vigilien/ und uff Mitwochin dar-
nach mit eyner gesungen Selemessen/ auch Verkundigung
der Namen der Bruderschafft Sancti Sebastiani am Lebin
und verstorben ein Begengniß nach vastlicher Gewonheit
zcu halden und zcu hegen. Da entgegen wir yn mit Gunst
und Verwilligunge unser Brůder aller zcu Erstattunge
yrer Arbeyt zcu Haldunge yn sollicher Begengnisse Beste-
tigunge alle Jare dry rinische Gůlden uff Sante Seba-
stianstag oder dabie in yre Kuchen und Enthaldunge als
einen ierlichen Tzinß unverhalden reichin und gebin sullen
nnd wullen. Wir haben auch die obgenanten Prioren
und Sampnunge darumb ersucht/ und mit Flisse gebeten
solche Messen Bruderschafft und Begengniß bie yn in orem
Closter uffzcunemen die obgeschribener maße zcu halden/

zcu hegen und ußzcurichten noch unser Andacht und Stifftunge. Die auch mit Brifen / Sigillen für uns und unser Nachkomen Sant Bastians Brudern zcu bestetigen und zeu bekreftigen / die dann sollich unser bethe / die sie redlich und erlich erkant / angesehin / sollich unser Brůderschafft in yrer Kirchen uff des heiligen Crutzes Altar alle Mittwoch ein gelesen Messe / in eym ieglichen Monden dieselbe Sant Bastians Messe zcu singen mit der cleynen Orgeln zcu spilen und uff eine iegliche Mittwoche in der Wichfasten wie obingeschrieben ein Begengnißn mit eyner gesungen Selmessen zcu helden williclichen uffgenommen zcugesagt / becrefftigt habin / nach laut yres versigilten Brives uns dorůber gegebin / Und uff das alle obgeschriben Artikel / Stůke und Puncte unsers teyls sullen stete und feste gehalten werden / haben wir den erbern Rath zcu Gotha fleißlich gebeten / der Stat Insigil der Bruderschafft zcu Eren an disen unsern Reversbriff zcu hengen / und wir Gothart Ihan / Hans Hofeman / und ander des Rats / die das belangt / bekennen / daß wir umb der obgnanten Vormunden und Mitbrudern der Bruderschafft ubigen Bete willen solches gethan / der Stat Insigel an diesen Brieff gehangen habin. Doch der Stat an yren Statrechten und Gewonheiten unschedelich. Gegeben uff Donrstag nach Gothardi des heiligen Bischofs unde Hauptherren Tag / nach Christi unsers Herren Geburt vierzenhundert und darnach im fůnf und nůntzigsten Jaren der mynner tzale / Monden des Meyen.

1523 §. XXIX. Anno CIↃ IↃ XXIII. ultimi monachi de variis capitibus olim controversis cum Senatu compositionem inierunt: ac porro biennio post ipsum monasterium cum omnibus bonis immobilibus, itemqve ædis sacræ ornamentis ac clinodiis sponte reliqverunt.

§. XXX. Exinde bona hujus monasterii ad constituenda & augenda Ecclesiæ ac Scholæ ministrorum salaria a Io-

a Iohanne, ac porro Iohanne Friderico, Electoribus destinata; ædificia autem monastica (excepta æde sacra, qvæ parochialis facta, cumqve præcipitem ruinam minaretur, auctoritate ac munificentia Ernesti Pii, & Filii ejus laudatissimi, nec non curis amplissimi Senatus, accedente multorum privatorum liberalitate, noviter exstructa est) partim in Ecclesiastarum ac Præceptorum Scholæ habitacula cesserunt: sic qvidem, ut Senatui bonorum administrandorum cura, Præfectis Ducalibus, nomine Serenissimorum Dominorum, eorundem inspectio demandaretur.

CAPVT VII.

DE SVPERINTENDENTIBVS ET DIACONIS GOTHANIS.

§. I.

LIcet monasterio Augustiniano statim subjungere possem reliqvarum ædium sacrarum notitam; qvia tamen in Lineamentis Historiæ Gothanæ primo Superintendentum & Diaconorum, deinde Rectorum, classis selectæ Collaboratorum, Conrectorum item, ac Cantorum Scholæ Gymnasiiqve nomina, qvotqvot vel studio proprio congesseram, vel amicorum opera fuerant collecta, recensui, ac porro observationibus nonnullis distinxi; eidem nunc insistam methodo, ac primum Superintendentum nomenclaturam, ac interdum eorundem vitam breviter contractam cum lectore benevolo communicabo.

I. FRI-

I. FRIDERICVS MYCONIVS (MECVM) D.

Lichtenfelſæ ad Mœnum in Franconia anno 1491. die S. Stephani (26. Decembris) parentibus piis & honeſtis, natus, anno ætatis tertiodecimo in Scholam Annæbergicam miſſus eſt. In hac cum ultra ſexennium vixiſſet, anno 1510. die 14. Iulii monaſterium ordinis Franciſcani novum Annæbergæ ingreditur, ſanctum in eo, ut putabat, vitam ſtrenue acturus. Prima nocte, qva inconſultis parentibus vitæ ſe dederat monaſticæ, memorabile vidit ſomnium, qvod ipſe prolixe deſcripſit in epiſtola ad Paulum Eberum. Summa huc redit: Myconium in vaſta eremo oberrantem aggreditur S. Paulus, certe homo tali facie ac veſtitu, atqve hic Apoſtolus pingi ſolet: qvi juvenem monachum his verbis alloqvitur, *Surge, & me ſeqvere, res tuæ meliori erunt loco.* Sic ad fontem pellucidum ac copioſum perveniens, dum ex imaginis Chriſti in cruce pendentis vulneribus aqvam omnem ſcaturire deprehendit, ac capite pectus contingit, potu ſuaviſſimo reficitur. Poſt illa cum duce progreſſo campus ſe aperit latiſſimus maturis frugibus undiqve plenus, qvas Myconius jubetur demetere. Hic ſe excuſare, ac tantum onus detrectare, præſertim qvod nunqvam didicerit meſſoriam: ſed accipit reſponſum: fore, ut, qvod neſciat, edoceatur. Propius accedens videt unicum meſſorem tanto conatu laborem proſeqventem, ac ſi ſolus totum agrum demetere vellet. Huic pro novo præcepto ſe jungit ſocium, ac una cum ariſtis integros ad unum omnes culmos præſecat, ſed a duce monetur: Domino ſuo non opus eſſe ſtramine, modo ariſtæ in horrea colligantur. Inde ad colliculum qvando deventum, Noſter amplitudinem fertilis campi miratus, ſollicite qværit qvantum temporis in tanta operariorum raritate reqviratur. Cui ductor: *Ante brumam extrema manus imponenda eſt: Tu, qvod cœpiſti, age: Dominus meſſis plures mittet operas.* Id qvod factum eſt ocyus. Porro Myconius labore feſſus in cubi-

culum defertur, in qvo priſtinum ducem aliosqve Apoſtolos deprehendit, qvi placide cum ipſo colloqvuntur. Deniqve imaginem Chriſti dum denuo ibidem, ſed macilentam valde conſpicatur, non nemo pectus Myconii tangens, ait: *Huic oportet te conformem fieri.* Qvo ex tactu evigilans, qvid ſomnium hoc portendat, multum eſt ſollicitus, ſed fratricellis tamen indicare non audet. Poſtea vero ſatis ſuperqve fuit edoctus, qvid hoc ſanctum ſibi voluerit ſomnium. Interea non deſiit Myconius tractare monaſtica: patronos ſibi ſtatuere Apoſtolos, Martyres, Confeſſores: ex Patribus, Auguſtinum, ex Scholaſticis Lombardum, Bielium, Aleſium, diligenter pervolutare. Biblia autem Latina cum gloſſis Lyræ in cœnaculo monaſtico toto fere ſeptennio prælegens, toties evolvit, ut pene memoriter teneret, absqve ullo tamen Theologico judicio, hiſtoriis ſacris contentus. Tandem ſtudiorum ſive pertæſus, ſive de illis deſperans, ad artes mechanicas animum adjecit, nunc in compingendis libris, jam in tornando, lignisqve dolabra lævigandis occupatus. Hoc tempore Annæbergæ morabatur Iohannes Tecelius, famoſus ille indulgentiarum præco & nundinator, cujus præferocem loqventiam, & inſulſos clamores per biennium fere audivit Myconius, ac inter alia has excepit voces: *Si Annæbergenſes largiter erogaverint nummos, metallifodinæ oppidanæ puro puto argento abundabunt.* Et ſane perfecit his clamoribus, ut indulgentiæ in ſummo haberentur pretio: bulla Papalis holoſerico vel alio pretioſo involucro tecta cum incredibili pompa circumferretur. Ceterum qvando bulla Pontificia, *Pauperibus gratis propter Deum dandas* ſtatueret indulgentias, gravis inter Myconium & Tecelium oritur diſceptatio: iſto bullam gratis exigente, idqve confidentius, hoc eam negante præfractius. Longum eſſet rem omnem enarrare: ſuffecerit monuiſſe, nec Myconium, nec fautores ejus a petendo, nec Tecelium a pernegando deſtitiſſe, donec Myconius re infecta diſcederet, antea ſe

purgans tamen, qvod nullius alterius hominis inſtinctu bullam gratis efflagitaverit. Etiam ſe gaviſum ſcribit, qvod adhuc Deus eſſet in cœlo, qvi peccata remitteret pœnitentibus, absqve pecunia & pretio, propter ſolius Filii ſui meritum. Cum Annæbergæ diu, pauliſper & Lipſiæ converſatus, anno 1516. Vinariæ ſacris fuit initiatus, inqve feſto Pentecoſtes primam miſſam decantavit. His ſolennibus interfuere Iohannes Pater, & Iohannes Fridericus filius, Saxoniæ Duces, qvi & impenſas ſuffecerunt. Poſtqvam autem anno proximo Martinus Lutherus Wittebergæ Tecelium cœpit oppugnare, totum ſe ſtatim doctrinæ Evangelicæ dedidit Myconius: multa ob id & gravia paſſus. Nam qvinqvies ipſum proſcripſere monachi, ac per ſesqviannum adeo obſervarunt, ut cum nemine loqvi, ad neminem ſcribere, vel ab aliis recipere liceret literas: ac parum abfuit, qvin perpetuo manciparetur carceri. Anno 1518. a Vinarienſibus ad miniſterium ſacrum vocatur: & qvamvis ejus ſermones primo Papiſmum redolerent; magis tamen magisqve a Spiritu S. accedentibus Lutheri ſcriptis, confirmatus, primus in Thuringicis Eccleſiis Papatui contradixit. Eodem anno Lutherus Auguſtam profecturus, pedes venit Vinariam, inqve monaſterio Franciſcano pernoctans, mane miſſam cecinit. Ibi Myconius primum vidit Lutherum, ſed ab acceſſu & colloqvio eſt prohibitus. In novella etiam Eccleſia Cygnea vox Myconii ſonuit: atqve ex hac urbe ad Annæmontanos ſcripſit epiſtolam zelo magno ac ardenti ſpiritu plenam. Anno 1524. circa feſtum Aſſumtionis Mariæ, Senatu populoqve, qvin & Decano ac Canonicis petentibus, a Iohanne Saxoniæ Duce Gotham fuit miſſus, inqve reſtituendo Evangelio, repurgandisqve ceremoniis maſcule elaboravit. Anno proxime ſeqventi in ſedando tumultu ruſticano multum poſuit operæ, ac ut Gotha ab hac labe maneret intacta, cum Senatu oppidano ſollicite providit: cumqve agmen agreſtium Ichtershuſii conflueret ad demolienda caſtra, Gli-

chenſe

chenſe, Mulbergenſe & Wachſenburgenſe, ut & exſtirpandas familias nobiles, unica oratione ſic compeſcuit, ut ab his cœptis deſiſterent. Eodem anno uxorem duxit Margaretam Bartholomæi Iackenii viduam: ex qva novem ſuſcepit liberos, qvorum nonniſi qvatuor ſuperſtites fuere anno 1542. Fridericus filius in Lipſienſi, Wittebergenſi, ac Ienenſi Academiis cum laude jam verſatus, immatura morte defungitur. Barbaram filiam a Patris obitu duxit M. Cyriacus Lindemannus, ſcholæ Gothanæ Rector. Cum Iohanne Friderico Saxone aliqvoties in Belgium profectus, Coloniam Agrippinenſem, Ducatus Iuliacenſem & Clivenſem perluſtravit. Duſſeldorpii Chriſtum publicis ſermonibus profeſſus eſt, non ſine vita diſcrimine, annoqve 1527. cum monachis Colonienſibus non dubitavit congredi diſputatione publica: qvæ paulo poſt prelo ſubjecta prodiit, fruſtra oppugnata a Iohanne Corbachio ſodali Franciſcano. Gemina fide & conſtantia Brunſvvigæ, Cellis Luneburgicis, Suſati, & alibi in Weſtphalia, dum, comes eſt Iohanni Friderico, Evangelicam doctrinam publice propoſuit. Comitiis Proteſtantium Smalcaldicis qvater adfuit; nec minus in Comitiis Imperii Francofurti & Norimbergæ Evangelium promovit. Ea qvoqve fini in Angliam cum Franciſco Burchardo, qvi a conſiliis erat Electori, in Angliam ad Regem Henricum VIII. miſſus eſt, ubi cum triga Epiſcoporum, ac qvadriga Theologiæ Doctorum, de ſingulis doctrinæ Chriſtianæ capitibus in Confeſſione Auguſtana ejusqve Apologia comprehenſis contulit. Anno 1539. a morte Georgii Saxonis, ab Henrico fratre ſucceſſore ad inviſendas reformandasqve Eccleſias Miſnicas adhibitus, Luthero, Iuſto Ionæ, Caſpari Crucigero, Iohanni Pfeffingero, Iuſto Menio aliisqve jungitur. Finita viſitatione plerasqve Eccleſias obiit Thuringicas, ſcholasqve conſtituit, adjutus a Melanchtone, Iuſto Menio, Plaunicio & Wangenhemio Nobilibus, ut & Iohanne Cotta. Anno 1540. Melanchthonem graviter

ægrotantem ac mœrentem invisit Vinariæ. Sic enim ipse Philippus ad Myconium epistola XXXI. *Tu qvidem, qvantum te amem, facile perspexisti, cum videres in tanto meo mœrore me tamen recreari tua consvetudine.* Et ad Camerarium: *Fuerunt mecum Myconius, qvi postea epistolam ad me scripsit, qvam mitto.* Biennio ante beatum excessum scriptum edidit, de beneolente ac pretioso ungvento, qvo Maria Dominum Bethaniæ inunxit, Iuda proditore id ægerrime ferente. Taxavit autem eo ipso invidorum qvorundam & malevolorum avaritiam. Cum enim Elector in animum induxisset, Ecclesiæ Scholæqve ministrorum salaria augere; qvidam purpuratorum eo vehementer sunt offensi, longoqve tempore plumbeas iras gesserunt. Qvamobrem necessum habuit Myconius, Iudam avarum increpare; Electorem vero ut domus Bethanicæ custodem & curatorem, hortari, qvo trecentos illos denarios Deo semel dicatos accurate servaret, nec ad alios usus transferri pateretur. Hac gravi & seria adhortatione qvid profecerit apud optimum Principem, ex eo patet, qvod ipse alicubi scribat, ex illa hora matrem Domini in cruce pendentis a discipulo susceptam. Cum Senatu Gothano, Consule inprimis Osvvaldo, non admodum bene semper convenit Myconio. Qvod tangere videtur Philippus ad Myconium scribens epist. LII. *Eam rem*, inqvit, *agi vellem, ne Osvvaldus offenderetur. Est enim habenda ei gratia pro opera hactenus navata.* Summe eum æstimarunt Lutherus & Melanchthon. Et ille qvidem ipsum qvandoqve vocavit *Evangelistam in urbe Gothana.* Vide Tomum II. Epistolarum Lutheri Latinarum pag. 288. b. ex qva epistola inter alia apparet, tum nondum a facie invicem fuisse notos. Nam scribit Lutherus anno 1525. feria 4. post Misericordias Domini: *Hæc ad te ignotus ignotum scribo, mi Friderice.* Philippus ipsum passim appellat *Virum Clarissimum: egregia eruditione & pietate præditum: Virum optimum: amicum summum, carissimum, præcipuum, sincerum καὶ γνήσιον: fratrem carissimum.* Epist. 38. inter

ter alia hæc reperias: *Ego te, ex qvo de fama novi, ſemper amavi, qvia non ſolum pure docere, ſed etiam ſingulari modeſtia uti dicebaris: qvæ, meo judicio, ſi qvid modo judicare poſſum, digniſſima eſt Doctore Chriſtianæ religionis.* Eidem Melanchthon anno 1530. inſcripſit *Veterum ſententias de præſentia corporis & ſangvinis Domini in S. Cœna.* Qvid? qvod Iohannes, & Iohannes Fridericus Electores aliiqve Principes magni eum fecerint? De Wurtembergenſi Duce ſic ad illum Philippus Epiſt. XXIX. *Dux Wurtembergenſis nominatim te ſalutari ſuis verbis juſſit, & honorificam tui mentionem fecit multis verbis.* Et Epiſt. XLIII. inqvit: *Princeps in menſa de te & Iuſto* (Iona) *amantiſſime loqvitur.* Anno 1541. graviter decumbere, & tabe paulatim abſumi cœpit. Qvo de cum ad Lutherum ſcriberet: *decumbere ſe qvidem, non autem lethaliter, ſed vitaliter ægrotare:* adeo placuit Luthero hæc recta & ſancta interpretatio; ut reſponderet, *ipſum jam non moriturum, ſed diutius in hac vita fore ſuperſtitem.* Imo & hæc addidit verba vere heroica: *Ego oro & peto Dominum Ieſum, vitam noſtram, ſalutem & ſanitatem noſtram, ne hoc mihi addi ſinat malum, ut me ſuperſtite videam te aut aliqvot noſtrum perrumpere & irrumpere per velum ad qvietem, & me ſinatis foris relictum inter dæmones, & vos præcedere. Peto, ut loco tuo me faciat Dominus ægrotum, & jubeat deponere tabernaculum meum hoc inutile, emeritum & exhauſtum.* Et in calce literarum: *Vale, mi Friderice, & Dominus non ſinat me audire tuum tranſitum, me vivo: ſed te ſuperſtitem faciat mihi: hoc peto, & volo, & fiat mea voluntas. Amen. Qvia hæc voluntas gloriam nominis Dei, certe non meam voluptatem, nec copiam qværit. Iterum vale.* Ab hiſce precibus paulo poſt convaluit Myconius, & ab ipſa qvaſi morte revocatus eſt. Et vero paulo ante beatam ſuam ἀνάλυσιν hanc hiſtoriam prolixe & copioſe deſcripſit duabus epiſtolis ad M. Georgium Rorarium, tum temporis Eccleſiaſten Wittenbergicum. Qvod igitur Lutherus optavit, ac voluit, eventu fuit comprobatum. Nam ſexennio poſt, cum ipſe Lutherus diem obiiſſet, Myconius

eodem anno 1546. die ſeptimo Aprilis, cum in priſtinum morbum incidiſſet, rebus humanis, ac Gothæ ſuæ, ſed & epiſtola graphice ſcripta, Iohanni Friderico Electori valedixit, cum vixiſſet annos LV. menſes tres, dies ſeptem. Elatus eſt funere freqventi: ante cujus deductionem Pancratius Suſſenbachius Rector oratiunculam in ſchola Gothana habuit: qvæ exſtat in calce *Epiſtolarum Philippi Melanchthonis ad Myconium ſcriptarum,* & a Cyriaco Snegaſſio editarum. Idem Snegaſſius vulagavit 16. *ſelectiores Epiſtolas vereqve Theologicas a diverſis Auctoribus ad Myconium ſcriptas:* qvæ nondum ad conſpectum meum venere. Neqve dubium eſt, qvin plura ejusmodi cimelia apud hæredes Myconianos hæſerint, partim nunc deperdita, partim forte cum blattis ac tineis luctantia. Antonius Probus D. Superintendens Vinarienſis orationem *de vita & obitu Myconii* habuit, ediditqve, cui pleraqve ſua debet Melchior Adami in *Vitis Germanorum Theologorum.* Ipſe qvoqve Myconius paulo ante beatum ex hac vita exceſſum non pauca vitæ ſuæ memorabilia ad Paulum Eberum ſcripſit, qvam epiſtolam *Annalibus Annæbergicis* inſeruit Paulus Ieniſius. Nos aliqva ex hac repetemus: *Mi Paule Ebere, qvoties qvoties Lutherus in ſuis commentariis pingit & ob oculos ponit, qvalis ſua & aliorum conſcientia fuerit ſub Papatu, & in mediis illis tenebris ignorantiæ Chriſti, toties me tibi totum depingit: imo miſerior eram, qvam qvisqve me pingere poſſit. - - - - Deus me liberavit & liberabit, & ſervabit in curſu miniſterii ſui, qvem jam conſummavi: nihil magis dolens, qvam qvod non inſtantius laboraverim.* Epitaphium Myconianum lapidi inſcriptum, qvod in cœmeterio Gothano ſuperat, ſollicite deſcripſit Cl. Tentzelius, qvod cum benevolo lectore iterum communicare non pigrabor.

EN-

ΕΝΘΑΔΕΦΡΙΔΡΙΧΟΝΚΑΤΕ
ΚΡΥΨΕΜΥΚΩΝΙΟΝΑΔΡΩΝ
ΓΑΙΗΘΥΡΙΓΕΤΩΝΦΡΑΓΚΟΝ
ΕΟΝΤΑΓΕΝΟΣ
ΦΩΣΕΥΑΓΓΕΛΙΟΥΓΟΤΘΑΙ
ΟΙΣΩΣΠΕΡΑΝΗΠΤΕΝ
ΕΥΣΕΒΕΟΣΤ'ΕΖΗΕΝ
ΔΕΚ'ΟΛΥΜΠΙΑΔΑΣ:Κ.Λ.
QVODVCEGOTHATIBIMONST
RATAESTGRATIACHRISTI
HICPIAMYCONIICON
TEGITOSSALAPIS.
DOCTRINAETVITÆTIBI
MORIBVSILLERELIQVT
EXEMPLVMHOCINGENS
GOTHATVEREDECVS.

II. IVSTVS MENIVS. D.

Patria Fuldensis, natus est an. 1494. sive,ut Eberi *Calendarium* habet, qvadriennio post (1498) die XIII. Decembris. Wittebergæ primum literis Philosophicis & Theologicis excultus, post a Melanchthone Senatui Gothano commendatus, Myconio ægrotanti fuit adjunctus: unde *Vice-Pastor* audit Süssenbachio in *Oratione funebri Myconii.* Demum *post qvasdam coram Principibus disputationes* (verba sunt Ioachimi Camerarii *in vita Philippi:*) *cessit malevolentiæ & odio Flacianæ factionis, & Lipsiam se contulit, ubi humaniter & benigne acceptus, diutius anno integro uno, Ecclesiasticas conciones habuit cum audientium fructu & admiratione, mortuus placide III. Id. Sextil. Anno Christi M. D. LVIII. - - - Multis annis fidelem & utilem operam dedit in regionibus Duringicis, & tandem ingravescente ætate insolentiæ & clamoribus acerbitatis turbulentæ exagitatus, qvietiorem sedem qvæsivit, & invenit reliqvæ suæ ætati non longæ, ut diximus.*

III. SIMON MVSÆVS. D.

Vetschæ, pago non procul oppido Cotvvitz in Marchiæ confinio anno 1521. natus, Francofurti ad Viadrum & Wittebergæ studiis operam dedit: atqve hic an. 1554. 8. Maji SS. Theologiæ Doctor renunciatus est. Pastorem primum egit Fürstenvvaldiæ & Crossenæ in marchia, post Vratislaviæ in Silesia: hinc Menio discedenti successor datus, postea ad Pastoratum Eisfeldensem in Franconia vocatus, abiit anno 1558. Videatur M. Adrianus Beierus in *Nomenclatore Professorum Theologorum Ienensium pag. 457.*

IV. M. IOHANNES CVNO.

Diaconus Freibergensis ab anno 1546. usqve ad 1558. A Ducibus dimissus Ienam venit anno 1561. Acta de dimissione hujus Superintendentis etiamnum superant Gothæ.

V. PETRVS EGGEBERTVS. (EGGERDES.)

Ex Palatinatu vocatus, ac Iohanni Friderico II. singulariter probatus, mox ob motas de spontanea excommunicatio-

catione controversias, aliasqve graves causas, anno 1562. dimissus, Magdeburgum se convertit. Cum autem Magdeburgenses a Senatu Gothano expeterent causas dimissionis, ut brevis rerum gestarum series ad eos mitteretur, laudatus Dux decrevit. Manuscripta qvædam ejus Gothæ superant, qvorum unum seqventem præfert titulum: Aller untrewen Prædicanten Kolfeuer / darinn Ursachen gefunden werden / so da anzeigen / warum Prediger schuldig sind öffentlich bekante und überzeugte Sünder / in specie oder bey Namen öffentlich zu straffen / und ihre Ubertretung der Kirchen anzuzeigen. Interea Ecclesiæ ac diœceseos Gothanæ inspectio Heinrico Thiloni seniori Diacono demandata est.

VI. M. Melchior Weidemann.

Vocatus anno 1562. postea controversiis Theologicis involutus, anno 1573. 8. Augusti dimissus est.

VII. M. Iohannes Fret.

Anno 1582. Heldburgum discessit.

VIII. M. Iohannes Messerschmidt.

(Machæropæus.)

Anno 1588. Gothæ obiit, postqvam vixisset annos 65. menses 6. inqve ministerio docuisset annos 34. Snegassius in præfatione Epistolarum Melanchthonis ad Myconium, vocat *fidum Ecclesiæ Gothanæ ministrum ac Superintendentem*, *virum bonum & candidum* aitqve eundem esse, qvi Epistola, *ad docendam juventutem idoneus* judicetur: & Epist. L. *valetudinis causa Gotham redire*, scribatur.

IX. Iohannes Wolffram, D.

Vir impense doctus, & in Patrum, aliorumqve veterum scriptorum lectione magno cum studio versatus: id qvod testantur ejus *Centuriæ V. testimoniorum de Sola fide*. Præfuit huic muneri usqve ad annum 1548.

X. M. Michael Iulius. (Jülich.)

Familia Iulia nomen debet Cunoni, qvi, qvod ex Iuliacensi

 Ducatu

Ducatu ortus, Küne Jülich solitus est vocari. Habitavit is primum in Novæ Marchiæ pago Zylen, haut procul Soldino, eodemqve ab Hussitis vastato oppidulo, Rosenthalii: qvæ villa qvatuor milliaribus Cüstrino dissita. Is Iohannem; hic Laurentium genuit, Regiomonte in Marchia mortuum an. 1560. Laurentio natus est Matthæus, qvi tonsoriam & chirurgicen exercuit Gothæ ab anno 1557. & ex Maria, Iohannis Gothardi Archidiaconi Gothani filia octo liberorum pater factus: ex qvibus superstites mansere *Michael* noster; *Iohannes*, Scholæ Molslebianæ Præceptor, & *Caspar*, Ecclesiæ Wiglebianæ Pastor. Michael ex Academia Ienensi redux, Præceptorem classis qvartæ, post ad D. Margaretæ Diaconum egit. Vxorem duxit Reginam, Isaaci Hochii Diaconi Gothani filiam. Ex ea genitus Matthæus pusio cultello scriptorio pupillarum alteram tam graviter percussit, ut oculum cum acutissimis amitteret cruciatibus. Priore conjuge exstincta, sibi junxit Catharinam Kunemundiam, pauperibus qvidem, sed honestis parentibus natam Saltzæ, ex qva Timotheus bonæ indolis puer patri superstes fuit. Pater hydropico morbo confectus obiit anno 1605. postqvam matrem septuagenariam, annorumqve XXIX. viduam mense Ianuario sepeliisset. Varios scripsit sermones sacros, plerosqve Ienæ editos. Parentavit ei M. Andreas Wilkius: cujus oratio habetur in *Svada Gothana*.

XI. M. IOHANNES HELDERVS.

Erfurtensis: Parentibus tenuis fortunæ anno 1551. circa vigilias S. Michaelis Archangeli in lucem editus. Pater Henricus ruricolæ Wanderslebiani filius, lapicida, anno 1546. ob belli metum se Erfurtum contulit, acceptoqve jure civitatis, architecturæ magisterium per qvatuordecim, & qvod excurrit, annos obiit, ac Philippum Hassiæ Landgravium in muniendo Marburgo juvit. Mater Anna fuit filia Iohannis Wermanni, qvi Schvveina vico ad radices Sylvæ

Sema-

Semanæ ſub arce Altenſteinio oriundus, itidem Erfurtum conceſſit, ac primum in Bruleto molendinum emit, poſt eo divendito, in ipſam urbem migravit, ac ædes nigræ aqvilæ inſignia habentes prope cœnobium Auguſtini præſenti ære mercatus, inhabitavit: ſed brevi poſt de vita deceſſit. Pueritiam Helderi M. Andreas Cronerus, ludi Iohannei moderator, adoleſcentiam M. Paulus Dumrichius, M. Ludovicus Helmboldus, M. Matthæus Dreſſerus rexerunt; & hæc qvidem clarorum virorum triga in Auguſtiniano Gymnaſio non ita pridem erecto. Anno ætatis nonodecimo illuſtrem Hildeſienſem ſcholam freqventare cœpit: unde, ut & liberali hoſpitio per dira peſtis ejectus, per Haſſiam Alſatiam, Palatinatum, Bavariam, Sveviam divagatus, viſis urbibus, Caſſellis, Francofurto, Moguntia, Wormatia, Spira, Heidelberga, Wimpina, Nordlinga, Auguſta, Monachio, Oeniponte, Ratisbona, Norimberga, Bamberga, Coburgo, via regia in patriam revertitur. Hic cum hybernaſſet, repetit Saxoniam, utpote Luneburgum, Hamburgum, Lubecam iturus: ſed, neſcio qvo infortunio, medio itinere interceptus, Goslariam flectit iter, ibiqve ſedem Muſarum ita figit, ut qvadriennio amplius ibidem ſummo cum ſtudiorum ſuorum bono hoſpitaretur. Domum ex Saxonia reverſus, qvamqvam animus in varias curas, ob grave onus paupertatis, diſtraheretur, atqve parum abeſſet, qvin ad opificium appelleret animum; factum tamen ſingulari Dei providentia eſt, ut M. Gotfridum Bergmannum, & M. Andream Funccium patronos nactus, ſtudiorum telam pertexeret, atqve ſub illo Decano, ſub hoc Promotore primam Philoſophiæ lauream, ſummum autem ejus gradum anno ætatis 24. conſeqveretur. Erat is annus 1577. qvo & uxorem duxit Annam, Iohannis Romani, Pharmacopolæ Arnſtadienſis filiam. Ex filiis qvinqve, tres; ex tribus filiabus duas amiſit. Ceterum patriæ ſcholæ Iohannitanæ a ſuperioribus præfectus ſexennio amplius, poſt Salzenſi Electorali per ſesqvien-

 nium

nium præfuit. Tum M. Iohanni Dinckelio ad presbyterium inferioris templi vocato ſuccedens, anno 1592. Waltershuſanæ Eccleſiæ Paſtor & Gothanæ diœceſios Adjunctus factus, per tredecim annos verbo exemploqve auditores fideliſſime docuit. Ibidem poſtqvam ſuaviſſimam conjugem, cum qva xxv. amplius annis concorditer vixerat, pie demortuam luxiſſet, alteram duxit, Margaretam, Iohannis Fuldneri, Eccleſiaſtæ Budſtadienſis, beatæ memoriæ, filiam, pauperculam qvidem, ſed ſobolis, ac tandem ſenectutis atqve afflictæ valetudinis auxiliatricem. An. 1606. ad Eccleſiæ Gothanæ gubernacula evectus, conceptam de ſe expectationem ſummopere implevit: donec anno 1621. ipſis Calendis Aprilis placide obdormiſceret: cum pridem valetudini incommodæ, oculis inprimis lippientibus, affectibus item apoplecticis & epilepticis fuiſſet obnoxius. Anno 1625. Wilkius in publico examinis conſeſſu copioſam, multisqve digreſſionibus diſtinctam Orationem de Heldero habuit: ex qva potiora vitæ contraximus. Id ſingulare eſt, qvod hic memorat: ipſi ob diſcipuli cujusdam ruditatem paulo vehementius incaleſcenti, dimiſſo cœtu, dixiſſe poſtea Superintendentem: *Mi Rector, noli tantopere concuti, & moveri in re non tanta. Gravius vitam affligis, qvam ſi gladio cædas. Nulla res tanti his proximis annis fuit, qvæ vel aliqvam bilem in nares mihi conciere potuiſſet:* es hett mich nichts in zwantzig Jahren erzörnen können. Et poſt excurſum aliqvem ſubjicit Wilckius: *Benivolentiæ & humanitati adeo ſemper deditus Noſter fuit, ut agere nihil, nihil loqvi potuerit, qvam humaniſſime. Collegarum Eccleſiæ frater, Gymnaſii amicus, ſuperiori benivolus, infimis facilis, omnibus fautor.* Idem de eodem: *Præſul noſter non plane qvidem ab omni vini uſu abſtinuit, qvod Dei donum, ad infirmitatis robur, ac ſuſtentationem ſapientibus conceſſum: ſed moderate adhibuit adeo, ut a nemine qvoqvam fuerit unqvam deprehenſus ebrius. Ab hoc unico ſobrietatis fonte totius vitæ ejus actus defluxit integerrimus.* Ac iterum: *Conſiſtorio ſolennia & juſta*

ſolvit

solvit, domi suæ pastores & alios ea admisit, audivitqve æqvanimitate, ut a se nullum unqvam tristem, ne dum ope, aut consilio desertum, etiam in desperatis causis dimiserit. Scholæ collegas, qva in re opus esset, humanissime sui semper admonuit officii, non ignorans, qva humanitate & ipse fuisset scholæ collega in majoribus & præpositis suis exceptus. Deniqve orationem hoc claudit epiphonemate: *Fuit Helderus noster in juventute pauper, sed non desertus: in virili ætate pressus; sed non oppressus: in senectute gloria evectus; sed animo non elatus: in extremo vitæ actu cum variis morborum monstris conflictatus, sed per fidem in Christum Iesum ad beatissimum placidissimumqve ex hoc mundo portum benignissime conservatus, illic jam nunc anima & spiritu, hic nomine & fama immortalis.*

XII. M. BALTHASAR GVALTHERVS.

Allendorffio-Thuringus, anno 1560. mense Majo natus, Ienæ summos in Philosophia honores indeptus anno 1606. 5. Augusti, anno 1611. primum Græcæ, post etiam Hebrææ lingvarum Professor renunciatus est. Gotham abiit Kl. Augusti anno 1621. ubi anno 1626. Iohannem Christophorum filium eodem anno natum, anno autem 1627. Iohannem & Otiliam recens editos gemellos, anno deniqve 1629. ipsam conjugem Barbaram, Hoffmanno patre, Trubenbachia matre natam amisit. Anno 1633. cum Suecis adjutoribus, Saxoniæ Ducibus multa ad nutum fluerent, Würtzburgi Superintendens factus est: at anno 1636. Brunsvvicum ad Coadjutoris (sic vocabant olim proximum a Superintendente Ecclesiasten) sacrum munus capessendum discessit.

XIII. SALOMON GLASSIVS, D.

Anno 1593. Sondershusæ non ignobili Thuringiæ oppido, ac pridem Comitum Schvvartzburgicorum sede, patre Balthasare, avis Georgio & Barbara Hoffmannia genitus. Et pater qvidem, cum nasceretur filiolus, in Grammato-

phylacio Sonderhuſano Regiſtratoris, at ab anno 1600. Qvæſtoris Gerenenſis munere fungebatur usqve ad an. 1634. qvo jam per qvadriennium viduus, poſt crebras ſollicitationes rude perqvam honorifice donatus, Arnſtadii in propriis ædibus reliqvum vitæ exegit, annoqve ſeqventi 35. 3. Februarii placide vita defunctus eſt. Mater Noſtro erat Anna Maria, Henrici Mülleri Budingo-Wetteravici, I. V. Licentiati, & Annæ ex patricia Milvviziorum familia oriundæ, nata. Ad lavacrum baptiſmi ſponſorem habuit Salomonem Platnerum, Cancellarium Schvvartzburgenſem. Prima pueritia Georgio Langio formanda fuit credita, poſt (anno 1608.) ad ſcholam Arnſtadienſem cujus tum Rector erat Martinus Cocus, anno autem 1610. ad Gymnaſium Gothanum a Parente miſſus, Andreæ Wilckii curæ potiſſimum fuit creditus. Anno 1612. exeunte Aprili in Salanam noſtram ſe contulit M. Wolffgango Heidero, Philologo & Philoſopho magni nominis, cum qvo etiam aliqva neceſſitudo ei interceſſerat, de meliori nota commendatus. Præter laudatum Heiderum, audivit tum potiſſimum M. Thomam Sagittarium, M. Michaelem Wolffium, M. Danielem Stahlium, & D. Iohannem Gryphiandrum. Et hic qvidem tam in politicis, qvam in jure, ad qvod tum ferebatur Glaſſius, eidem præluxit. Laudato Stahlio præſide *de potentiis animæ ex Scoti mente*; poſt & ſub Wolffio Profeſſore *Theſes* ex Philoſophicis ſcientiis hinc inde excerptas publice propoſuit. Anno 1615. cum miſſo juris ſtudio jam Theologicum fuiſſet amplexus, Wittebergam ſe contulit, Hutterum, Balduinum, Frantzium, Meiſnerum Theologos Doctores auditurus. Primum ad populum ſermonem ſacrum habuit in pago non multum Witteberga diſtante Dominica V. Trinitatis, voce licet per naturam exili, & inſigni cum timiditate. Qvæ etiam apud ipſum multarum animi perturbationum cauſa exſtitit, effecitqve, ut de hoc maxime eſſet ſollicitus, num Eccleſiæ ſuo qvalicunqve ſacræ γνώσεως talentulo aliqvando prodeſſe

ſe poſſit. Hinc qvoties poſtea cum Ienæ iterum viveret, concionabatur, (videbat enim ſibi freqventiori opus eſſe exercitamento) toties cum lacrumis & ſuſpiriis domum revertebatur, divinæ interim ſapientiæ ſtudiorum ſucceſſus commendans. Qvod febris qvartana per ſemeſtre ipſum cruciarat Wittebergæ, anno exacto Ienam repetit, ac non modo poſt ſolennem δοκιμασίαν ſtipendio augetur Schvvartzburgico, parario præcipue uſus Iohanne Georgio a Salfeld Conſiliario, ſed & ab Antonio Henrico Comite commendatitias ad D. Iohannem Gerhardum, qvi nuper Coburgo in Ienenſem Academiam fuerat evocatus, impetrat. Et hic Theologus vere Illuſtris una cum Friderico & Wilhelmo Lyſeris, poſt Theologiæ Doctoribus tertium convictorem aſſumpſit Glaſſium ac per integrum qvinqvennium retinuit. Qvod qvidem qvantum ad ſolidam Glaſſii doctrinam augendam perficiendamqve fecerit, præſertim qvando publicis privatisqve lectionibus ac diſputationibus intereſſet crebro, facile licet animadvertere. Ad hæc novum acceſſit beneficium, cum anno 1619. 16. Auguſti ab optimo hoc Doctore in muſeum reciperetur, ac præter familiarem converſationem, lectiſſimæ Bibliothecæ & MSS. reconditorum uſus ei pateret. Anno 1617. qvi Eccleſiis Lutheranis Iubilæus erat, dum omnium Facultatum promotiones inſtituebantur, a Cl. Heidero, Magiſterii elogio primus inter triginta Candidatos fuit ornatus. Ex qvo autem anno 1619. menſe Majo inter Adjunctos Philoſoph. Facultatis receptus eſt, crebra exercitia tum ad Philoſophiam tum ad Philologiam Hebræam (qvam lingvam ſemper exactius coluit & ſollicitius) pertinentia inſtituit. Vnde factum tandem, ut Theologica Facultas oppido dignum judicaret, cui ad ſupremos in Theologia honores aditum patefaceret. In qvo tamen diutius Præceptorum bene ipſi volentium reluctatus fuiſſet voluntati, niſi Comitum Schvvartzburgicorum gratioſum acceſſiſſet mandatum: qvi & ſumtus ad id neceſſarios

ſarios ex ærario ſuffecerunt. Qvamobrem exeunte anno 1620. & ineunte 1621. præſtanda præſtitit, ac inter alia præſide D. Ioh. Majore Superintendente diſputationem inauguralem habuit, integri capitis XVII. Iohannis Evangeliſtæ ἀνάλυσιν complexam. Laudato anno 1621. M. Balthaſare Walthero ad ephoriam ſacram Gothanam evocato, per indulgentiam Saxoniæ Ducum, accedente Comitum Schvvartzburgicorum conſenſu, Hebrææ Græcæqve lingvarum Profeſſor renunciatur: qvam Spartam per qvadriennium egregie ornavit, interea temporis bis Decanatu Philoſophico, ſemel Rectoratu Academico, & hoc qvidem anno 1625. a 10. die Februarii ad 11. Auguſti defunctus. Ceterum ad M. Bartholomæi Bermelii Superintendentis Sonderhuſani ſucceſſionem vocatus, id tam munificis Mæcenatibus ſuis, laudatiſſimis Comitibus Schvvartzburgicis negare non potuit, adeoq; ab Sereniſſimis Saxoniæ Ducibus clementer, & Senatu Academico peramanter dimiſſus, diſputatione & oratione valedictoria, ſed & convivio lo habitis, ac a M. Iohanne Schuccelio Superintendente Arnſtadienſi ritu ſolenni ordinatus, Sondershuſam venit 1625. 17. Novembris, ſacratum hoc munus cum cura ſingulari obiturus. Sub primordia ejus, nempe 26. Ianuarii anno 1626. Doctoris diu promeritum gradum Theologica Facultas ipſi contulit, Promotore Majore, Decano Gerhardo, Rectore Himmelio, celeberrima illa Theologorum Iohannis prænomine effulgentium triga. Ex his cum Gerhardus longe longiori ævo digniſſimus cœleſtem animam cœlo reddidiſſet, magis dignus Glaſſio repertus non fuit ſucceſſor, cumqve a Comitibus veniam impetraſſet, anno 1638. 2. Martii Ienam rediit, triduo poſt in Collegium Profeſſorium denuo, & nono dicti menſis in Theologicum receptus. Qvam provinciam paulo ultra biennium ſuſtinuit, Decanatu Facultatis ſuæ ſemel, Rectoratu vice ſecunda, ab 8. die Auguſti 1639. ad 13. Februarii ſeqventis anni perfunctus. Per hos duos annos, præter lectiones publi-

cas,

cas, Diſputationes unam & octoginta de omnibus fidei articulis, uti & bene multis S. Scripturæ oraculis, (quæ inter tota epiſtola ad Romanos, ac utraque ad Corinthios) tam publicas typis exſcriptas, quam privatas, in Academico tamen ut plurimum Collegio, cum præſtantiſſimis SS. Teeol. Studioſis, quibusdam etiam Candidatis, præſidendo habuit, iisque Auditorum commoda & profectus mirifice promovens, exemplum ſucceſſoribus reliquit incomparabile. Tandem poſtquam Sereniſſimo Saxoniæ Duci ERNESTO PIO ex fraternis pactis Ducatus Gothani ceſſit regimen, de redintegrando Superintendentis munere, & conſtituenda diœceſios, ac reliquarum in Ducatu Eccleſiarum ἐπισκοπῆ ſanctiora conſilia agitans, per Fridericum Hortlederum Conſiliarium, ejusque generum Zachariam Pruſchenckium Juris Profeſſorem, quid Glaſſio, ſi Gotham vocaretur, foret animi, explorat. Hic in timore Domini rationes in utramque partem perpendens probe, divinam hanc vocationem ſequendam ſtatuit, ac pientiſſimo Principi operam ſuam addixit humillime. Factum inde, ut 8. Auguſti anno 1640. cum laudatiſſimo Principe Tennebergam, atq; inde Iſenacum ad Sereniſſimum Albertum fratrem proficiſceretur, & graviſſimis conſiliis conſiſtorialibus, præcipue ad proxime futuram Viſitationem generalem ſpectantibus admoveretur. Poſt ſermonem δοκιμαστικὸν Domnica XI. Trinitatis Gothæ habitum, acceptaque vocatione, Jenam exacto menſe reverſus, rebusque ſuis rite diſpoſitis, vice altera Profeſſoriam provinciam ibidem reſignans, poſt inſtitutam diſputationem, atque orationem valedictoriam, XII. Octobris Academiam relinquit, ac mox novum graviſſimumque munus capeſſit. Et in eo quidem ſæpiſſime ſibi gratulatus eſt ex animo, ac tam divinam providentiam, quam felicitatem ſuam inde derivatam deprædicavit, quod difficilliſſimam quantumvis ſtationem ſibi commendaverit, ſub ejusmodi Principe, qui non ſolum ipſe Pietati ſummopere ac ſerio, & ſine ullo ὑποκρίσεως fuco deditus; ſed &, ut alter Joſias &

Josaphatus, ad plantandum sincerum Dei cultum, & propagandam cognitionem veritatis secundum pietatem, adeoque subditorum omnium salutem procurandam, summe esset intentus. Quanti contra tam religiosus Princeps pium hunc & doctum Præsulem fecerit, plurima loqvuntur testimonia, ac alibi, σὺν Θεῷ, disertius id ostendam. Matrimonium Glassius iniit anno 1621. 19. Novembris cum Elisabetha, Tobiæ Steinmanni, typographi Jenensis celebratissimi filia, ex qua tres filios, *Johannem Salomonem*, *Johannem Tobiam*, & *Antonium Henricum*, ac totidem filias, *Barbaram*, *Claram Elisabetham*, & *Annam Mariam* suscepit. Filiorum primus Sondershusæ, alter Jenæ, uterque anno ætatis duodecimo, & hic quidem Patre absente, & Gothæ in oratione δοκιμαστικῇ occupato, tertius trimulus, paulo ante matris obitum, decesserunr. Hæc autem postquam ann. 1638. 22. Septembris placide demortua, anno 1640. 16. Novembris, præsentibus utriusque sexus Magnatibus, nuptias celebravit cum Catharina Maria, D. Georgii Mylii, Consiliarii Anhaltini ac Schenckio-Tautenburgici, nec non Curiæ Provincialis Saxonicæ Advocati, qui magni illius Theologi Georgii Mylii filius fuerat, vidua, D. Johannis Denhardi, JC. Syndici Magdeburgici, ac demum Cancellarii Saxo-Isenacensis filia: ex qua anno 1641. nata est *Elisabetha Sophia*. Verum cum & hæc uxor anno 1643. 10. Julii præmatura morte marito eriperetur, re familiari ita exigente, anno 1647. 16. Augusti ad tertia vota animum applicuit, fidem dans *Mariæ*, Georgii Cottæ, Senatoris & mercatoris Isenacensis filiæ, quæ post priorem conjugem, Christophorum Vlricum Lagum, J. V. Licentiatum, ex Consiliario Burggravio-Kirchbergico Præfectum Gothanum, alterum quoque amiserat Fridericum Mattenbergium, mercatorem Gothanum. Filiarum prima, *Barbara*, primum nupsit Johanni Mattenbergio, primario civi Gothano, cui tres filias peperit: quarum duæ juniores in matrimoniũ collocatæ sunt: altera quidem, *Maria Magdalena*, Johanni Christophoro Nehringio,

Docto-

Doctorando, & Advocato Gothano aulico, quem ſeptem pignoribus beavit: altera *Anna Catharina*, Henrico Buſſio, Freiſaſſio in ſuperiori Spira: cujus tres liberi immaturo fato functi. Deinde uxor facta eſt Conradi Keſsleri, Advocati Aulici Gothani ordinarii, cujus filiolum unum vidit avus Glaſſius, reliqui duo filii, totidemque filiæ ab ejus exceſſu nati ſunt. Secundam filiarum, *Claram Eliſabetham* duxit M. Johannes Hattenbachius, tunc temporis Paſtor Eccleſiæ in inferiori Nebra, poſt Goldbaci, ac denique Superintendens Waltershuſanus, pater *Johannis Salomonis*, Medicinæ Doctoris, & Practici Lubecenſis, qui jam cognominem ſibi habet filiolum; *Andreæ Euſebii*, Conſiliarii Palatino-Sultzbacenſis: *M. Johannis Georgii*, qui in hac, Lipſienſi & Gieſſenſi Academiis cum laude vixit: *Chriſtinæ Mariæ*, Viro Clar. Joh. Henrico Rumpelio, Collegæ Gymnaſii poſt Rectorem primo juncta: cujus filiæ duæ, *Clara Sibylla*, & *Johanna Maria*, virtutibus ſexus ſui in ſolatium Parentum ac Avi efflorefcunt: poſtquam *Johannes Fridericus* filius ante diem obiit. Tertia Glaſſii filia, *Anna Maria*, conjux eſt Michaelis Brandenburgii, olim Paſtoris & Adjuncti Fridrichsrodani, jam Præpoſiti Eccleſiæ Boitzenburgicæ in Ducatu Saxo-Lauenburgico aliquot liberorum mater. At vero *Eliſabetha Sophia*, ex altero matrimonio ſuſcepta, primum Johanni Wilhelmo Marterſtecken, poſt Johanni Gunthero Kirchbergero, Secretario Gothano Conſiſtoriali nupſit, ac illi duas filias, huic filium ac filiam ex ſe natos obtulit. Ipſe Glaſſius poſt varios graviſſimosque morbos, vivendi finem fecit an. 1656. 27. Iulii, biduo poſt in æde Auguſtiniana ſepultus, ubi & ejus imago eſt ſpectabilis. Sacrum ſermonem funebrem habuit Chriſtophorus Brunchorſtius. Eidem in Schola Cellenſi parentavit Michael Waltherus D. Superintendens in Ducatu Luneburgenſi ſupremus, cum quo fida Glaſſio interceſſit amicitia, & ad quem anno 1642. hiſtoriolam vitæ hactenus ductæ transmiſit. Orationem illam *Memoriæ* ſuæ *Theologorum noſtri ſeculi* inſeruit Vir Cl. Henninges Wittius, amicus

 meus

meus singularis, eademque in concinnanda hac vitæ Glassianæ summa, non parum me adjutum, libens meritoque fateor. Quod magnus ille Frantzkius tanto Viro scripsit epicedium, dignissimum etiam est, quod & hic legatur.

Glassius occubuit magnum hinc Ecelesia vulnus
Accepit, verbis quod vix effabile multis.
Nemo etenim mage promptus erat sermone diserto
Tradere divini dextre mysteria verbi.
Nemo magis doctus verum de fontibus ipsis
Sensum ac eruere, ac nisu defendere acuto.
Nemo magis ardens veræ pietatis amator,
Qua sine nec res priva viget, nec publica floret,
Quicquid & exquisita hominum vigilantia tentet!
Ipsa igitur casum hunc Ecclesia luget acerbe,
Nec non publica res, & qui moderatur eandem,
Luget, sollicitus de successore fideli.
Hunc largire, Deus, qui justis dotibus auctus
Ingenii, sacri flatus ductamine prastet
Aut paria, aut multum non inferiora priori.

Elogium elegans B. Glassii composuit θεοφιλέστατος Theophilus Spizelius, in *Templo Honoris reserato*: in quo & index scriptorum Glassianorum comparet. Idem quoque fit in laudata *Theologorum Memoria* Wittii, & in ejusdem *Diario Biographico*. Quod si vero divina benignitas vitam & valetudinem mihi surrogaverit, plura de vita & scriptis Glassii in *Historia Ienensi Academica, & Bibliotheca Professoria* dabimus.

XIV. IOHANNES CHRISTIANVS GOTTER.

Muhlbergæ in Thuringia ad radices castri cognominis, patre Anhardo (an Anarco?) Notario publico Cæsareo, & Iuris Practico, matre Salome Emerentia, ex nobili Zedwitziorum stirpe oriunda, anno 1607. 11. Aprilis natus est. Anno ætatis tertio decimo Ordrufium, tum Glichensium, nunc Hohenloicorum Comitum pervetustum oppidum, missus quin-

quinquennio ibidem exacto, Academiam Ienensem adiit, svasuque Parentis literas juridicas cœpit excolere. Sed sacrosanctæ Theologiæ svavitas, ac Christianæ pietatis rarior à S. Spiritu procul dubio excitatus ardor post biennium a forensibus ipsum retraxit studiis: in quibus Triumviros antea laudatos, Majorem, Himmelium, & Gerhardum, sed & ipsum Glassium, duces habuit: perinde ac in Philosophicis Danielem Stahlium, & Hieronymum Prætorium. Pastor Muhlbergæ anno 1633. annoque 1641. Ecclesiarum Scholarumque in Præfecturis Wachsenburgensi, Ichtershusana, Mühlbergensi, & Tondorfensi, Adjunctus, & Inspector renuntiatus est. Ad altiora emergere cœpit anno 1653 per vocationem ad munus Superintendentis Eisfeldensis in Franconia. Tandem annus 1659. summum honoris fastigium, sed & laboris ac curarum affatim ei attulit in successione Glassiana: in qua tamen se virum præstitit, ac votum Frantzkianum implevit, sed & ob summam animi moderationem, & raram in conversatione publica privataque svavitatem, incredibilem amorem meruit. Primas nuptias anno 1633. celebravit cum M. Matthiæ Prætorii Superintendentis Melrichstadientis majore natu filia, quæ filiorum triga, filiarum biga ipsum beavit: secundas autem an. 1649. cum Elisabetha Zangia, Consulis Ordrufiensis filia, quæ duodecim enixa est liberos, paternis maternisque vestigiis præclare insistentes, & partim honorifica Sparta, partim exoptato conjugio florentes. Affectu hypochondriaco sæpius, sed & nephritico aliisque paroxysmis laboravit: quæ omnia cum senectute ipsa mortem ei maturarunt. Hæc eidem obtigit anno 1677. die 4. Novembris. Sepultus est in æde sacra cœnobio Augustiniano contigua, in qua & picta ejus imago asservatur.

XV. Adamus Tribbechovius D.

Patriam habuit Lubecam, Imperialem illam urbem, summe inclytam, ac Hansicarum metropolin: patrem Iustum, Colle-

gam Gymnasii Lubecensis pium, doctumque, ac Poetam nobilem: matrem vero Annam, M. Adami Helmsii, Pastoris ad ædem S. Petri, ac demum Senioris Ministerii filiam. Natalis annus 1641. dies XI. Augusti fuere. Tam præclarum jam puero erat ingenium, ut prima pietatis ac literarum fundamenta quasi per ludum instillaret Pater. Atque idem porro agnoverunt Præceptores reliqui, Iacobus Kockertus, vel ob curas in Terentium celebratus; M.Henricus Bangertus, Slavicorum Helmoldi ac Arnoldi præclarus editor, & de meis studiis optime meritus: Iohannes Poltzius, & M. Sebastianus Meierus, viri Græcas literas impense docti: quorum ductu in Latina, lingvisque sanctis, sed & in omni Philologia in tantum profecit, ut, qui anno ætatis octavodecimo Academicis studiis destinaretur, meruerit. Sic igitur anno 1659. Rostochium petiit, in Philosophicis Matthia, in Theologicis, Augusto Varenio, Henrico Mullero, Michaele Cobabo, ac inprimis Hermanno Schuckmanno, Doctoribus usus. Inde Magdeburgo ex cineribus gloriosius exsurgente, Witteberga atque Lipsia visis, in Academiam Juliam se recepit: ubi in Oratoriis Christophorum Schraderum, in Politicis Hermannum Conringium, in Logicis Andream Frolingium, in Antiquitatibus Ecclesiasticis Ioachimum Hildebrandum, in Theologicis Fridericum Vlricum Calixtum, maximeque Balthasarem Cellarium, præceptores invenit. Ceterum egregii ejus profectus permoverunt illustrem Reip. Lubecensis tum temporis Syndicum, demum Consulem, Davidem Gloxinium, ut unici filii Antonii Henrici studia ac mores curæ ejus commendaret: in quo quid per divinam gratiam præstiterit, rarior illius eruditio (nam non modo Doctoris Iuris elogium impetravit, sed & optimo jure meruit:) ut ceteras dotes taceam, satis superque commonstravit: ut eo magis tanti Viri præmaturum obitum deplorare necessum sit. Cum hoc ipso autem juniori Gloxinio Rostochium repetiit, nec multo post Scabbeliano illo stipendio, cujus incre-

credibiles fructus pridem sensit Orthodoxa nostra religio, auctus, titulum & jura Magisterii Philosophici reportavit anno 1662. die 21. Aprilis. Proximo mense Giessam profectus, ab ore Theologorum, Petri Haberkornii, Nicolai Misleri, Michaelis Siricii pependit: sed & ut suam in Philosophia æque ac Philologia peritiam comprobaret Academiæ, *Theses Philosophicas varias*, Schediasma *de Bombyce*, & nonnulla alia, Præses defendit. At cedro dignissimus est liber, quo corruptam per Scholasticos rerum divinarum humanarumque scientiam liquido ostendit. Quod scriptum utinam sollicite legerent, qui nimium æstimant tricas illas Scholasticas, sæpe inextricabiles, & tantum non plerumque exitiabiles. Et facile credo hunc librum Iohanni Adolpho Kielmanno salivam movisse, ut Tribbechovium Serenissimo Holsatiæ Duci Christiano Alberto, Kiloniensis Academiæ glorioso conditori commendans, id perfecerit, quo iste inter Philosophiæ Professores cooptatus, Moralia extra ordinem doceret. Id quod non modo voce & scriptis, sed & vitæ exemplo fecit peregregie. At enim cum brevi post Michael Watsonius de vita decederet, Historiæ tam civilis, quam sacræ, ut & ecclesiasticæ Professor ab Academia designatus, a laudato Duce confirmatus est. Quam Spartam docendo & scribendo mirifice exornavit, ac inter alia Casaubonianas in Baronium Exercitationes continuavit. Anno 1672. mense Majo Ernestus Pius Saxoniæ Dux, ut sibi a consiliis esset Ecclesiasticis, Kilonio Gotham evocavit. Quo tempore cum forte per Erfurtum iter facerem, primum a facie mihi innotescere cœpit Tribbechovius, cujus scripta jam pridem æstimaveram, magnoque cum fructu legeram. Et, ut verum fatear, ex eo tempore non vulgariter me cœpit amare, hujusque amoris sui insigne specimen exhibuit, cum vacante per celebertimi Bosii obitum professione historica, una cum aliis Mæcenatibus & Patronis ad hanc provinciam Domino suo enixe me commendaret, ac vanos quosdam rumusculos refelleret. Sed ut ad institutum regrediar, laudato

dato anno 1672. die 5. Octobris pro summis in Theologia honoribus, præside Christiano Kortholtio, Facultatis Theologicæ tum temporis Decano disputavit, ac brevi post titulo ac juribus Doctoris auctus est. Postquam igitur terræ patriæ, quæque altera fere fuerat patria, Holsaticæ valedixisset, in laudatissimi Ducis ministerio, tam pie, provide, ac diligenter fecit officium, ut maximis, medioximis, minimis exasse satisfaceret, ac inprimis rara animi moderatione, atque ex ipso vultu, magis autem ex verborum infucatorum dulcedine relucente humanitate, neminem non sibi devinciret. Ab excessu Ioh. Christiani Gotteri an. 1677. Antistes sacrorum in Ducatu Saxo-Gothano supremus designatus, in novo hoc munere denuo omnium exspectationem implevit: cumque hoc tempore dynastia Glicha-Tonnensis ex Waldecciorum Comitum manu in plenam Serenissimi Ducis Friderici potestatem concederet, sermonem, quem vocant, homagialem in æde sacra habuit: anno autem 1680. non tam renovatam, quam noviter exstructam ædem Augustinianam more Evangelico consecravit: nec minus cum hujus Academiæ Visitatio institueretur, inter illustres legatos locum habuit. Quando occasione ita ferente cum nobili quodam Pontificio jussus esset de capitibus utriusque religionis controversis conferre, tam docte id fecit, ac comiter, ut adversarius ambigeret, an eruditionis acumen magis, an humanitatis decus haberet admirari. Anno 1675. die 10. Augusti nuptias celebravit cum *Sophia Elisabetha*, Thomæ ab Aussen, Inspectoris Provincialis Ecclesiastici vidua, Abrahami Giessbachii, Diaconi aulici ac Proto-Synedrii Assessoris filia, unici tum filii matre: sed quæ in novo matrimonio novem liberos, tres filios, & sex filias peperit, ex quibus gnatæ tres ante diem decesserunt. Virtutes viri non capit hæc compendiaria scribendi ratio: id certum, raras, nonnullas plane incomparabiles, omnes tamen Professore, Theologo, Consiliario Ecclesiastico, ac Superintendente dignas fuisse. Sed & ipse longiori vita fuit dignissimus: de quo tamen aliter

ter ſtatuit vitæ fatique noſtri dominus, qui procul dubio tam religioſam animam flagitioſo huic mundo ereptam citius coronare, corpori autem variis curis, morbisqve etiam afflicto, reqviem indulgere voluit. Et qvod ad morbos attinet, præter familiarem eruditis hypochondriacũ, eiq; conjuncta ſymptomata, aliquoties lipothymiæ fuit obnoxius quæ ſemel etiam cum memoriæ deliquio inter ſacrum ſermonem in ipſis Chriſti Natalitiis in æde Auguſtiniana ipſum corripuit. Et ab hoc quidem tempore magis magisq; corporis animiqve vires torpeſcere cœperunt, ac cephalalgia, ſtupor membrorum cum ἀφωνίᾳ conjunctus, augeri : donec an. 1687. die 17. Auguſti, inter ſuorum preces ac lacrumas animam cœleſtem cœlo redderet. Humatus eſt in laudato templo Auguſtiniano, ubi non ita pridem affabre picta imago ejus fuit repoſita. At enim uti in mentibus Domini, Miniſtrorum præcipuorum, Collegarum omnium, ac Auditorum deniqve plerorumqve (ut optimam viduam, ac pignora dulciſſima taceam) incredibile ſui deſiderium ; ita immortalem nominis ſui famam ubiqve reliqvit. Neqve ingratum puto fore lectori, ſi cum eo tam editorum, qvam affectorum ſcriptorum indicem communicavero. I. Liber ſingularis *de ſcientia rerum humanarum divinarumq; corrupta per Scholaſticos*: Gieſſæ, ſumtibus Hermanni Velſtenii an. 1665. II. Andachten vom ewigen Leben / auß dem Freuden-Spiegel D. Nicolai gezogen : Gothæ, 1674. III. Die andächtige Betrachtung des Leidens Chriſti: Gothæ apud Reiherum. 1676. 8. Diſputationes ſunt: I. *De Bombyce*, Gieſſæ, typis Frid. Kargeri. II. *De Philoſophia morum inter Barbaros, præcipue Orientales*: Kiloni. 1666. III. *Exercitationes V. ad Baronii Annales, ubi deſiit Caſaubonus, continuatæ*, Ibid. 1667. IV. *de defectu luminis Naturæ in aſſeqvendo auguſtiſſimo SS. Trinitatis myſterio*. 1667. V. *de Chiliaſmmo*. 1667. VI. *de veritate Creationis a Moſe deſcripta, contra Atheos*. 1668. VII. *de Angelis*. 1668. VIII. *de concurſu Dei*. 1668. IX. *de ordine ſuperiorum poteſtatum Eccleſiaſticarum veteris & florentis Ec-*

clesiæ. X. *de impositione manum.* 1668. XI. *de causis & ratione formali virtutis moralis in genere.* 1670. XII. *de signo Crucis.* 1670. XIII. *Regnatricis prudentiæ Augusti exemplum in novo imperio qværendo, constituendo, tuendoqve.* XIV. *de Mose Ægyptiorum Osiride.* 1671. XV. *Observationes de commerciis instituendis, augendis, conservandis.* 1672. XVI. Disp. inauguralis *de Christo, unica via, veritate & vita, ex Ioh. XIV. v. 6.* 1672. Ex ineditis libris sunt: I. *Summaria & porismata ad praxin vitæ ducentia, ad unumqvemqve Psalmorum Davidis annotata.* II. *Fragmentum Commentariorum ad universa Biblia.* III. *Fragmentum Historiæ Ecclesiasticæ a Lutheri ad nostra usqve tempora, Germanico idiomate concinnatæ, refutatis ubiqve adversariorum erroribus in Historia subinde commissis.* IV. *Fragmentum Systematis Theologiæ.*

M. HENRICUS FERGEN.

Anno 1643. 20. Maji Berkæ oppidulo ad Werram natus, patre Georgio, Pastore per annos septem & triginta Berkano, viro antiqvæ virtutis ac fidei, sed & eloqvii in sacris edecumati: matre Martha, Johannis Prescheri, ex aulico concionatore Ronneburgensi, Wanderslebiensis Ecclesiæ Pastoris filia, matrona optime morata. Puer octennnis anno 1651. ex trivio Berkano, ubi prima pietatis, & liberarum fundamenta jecerat, a patre mittitur Mansbachium (vicus est in Buchonia situs) ad Rudolphum Majum, verbi divini ibidem ministrum: cujus ductu per proximum qvadriennum ita in humanioribus profecit, ut & scriptores veteres Latinos Marte proprio legere, ac epistolas aliaque ejuscemodi scripta mediocriter concinnare posset. Post illa missus Isenacum, in nobilem illam scholam, ubi Henrici Borstelmanni Rectoris, & Georgii Schmidii Pro-Rectoris disciplina non sine singulari fructu usus, anno 1660. bona cum Præceptorum pace, in illustre Gymnasium Coburgense concessit. Hujus tum temporis Director erat M. Andreas Frommannus, qui indole, moribus, ac doctrina Fergii perspectis, eundem in domum non modo, sed & mu-

seum

ſeum admiſit, ac inſtar filii habuit, ad optima quæque ſtudia regiam ipſi viam commonſtrans. Hoc præſide aliqvoties diſputavit publice, pro argumento uſus *Hutteri Compendii Locis Theologicis* : nec minus id fecit in Collegio axiomatico *de uſu & abuſu Rhetorices in Theologia*, ſub præſidio D. Seldii, Superintendentis hoc tempore Römhildani, qvi hujus exercitii ergo Coburgum qvandoqve ſe conferre ſolebat. Sed & ſupra reliqvos, M. Iſraelis Clauderi Eloqventiæ ac Poeſeos, itemqve Johannis Spindleri, Sanctarum Lingvarum Profeſſoris, publicis privatisqve prælectionibus non parum ſe adjutum fatetur. Poſtqvam anno 1662. die 10. Junii oratione memoriter habita *de Gynæcocratias jure*, Coburgenſi Gymnaſio valedixerat, in Gieſſenſem ſe contulit Academiam, orthodoxias laude ſemper florentiſſimam: ubi ex Philoſophis Kilianum Rudrauſium, & Weiſſium, ex Theologis Petrum Haberkornium, Joh. Nicolaum Mislerum, & Michaelem Siricium, publice imprimis ; privatim autem præter laudatum Weiſium in Metaphyſicis ac Moralibus, Haberkornium & Mislerum in Theologicis, Philippum Ludovicum Hannekenium in Hebraicis , Philippum Mullerum in Mathematicis, Præceptores habuit. Anno 1664. pro conſeqvendis ſummis in Philoſophia honoribus diſputationem oppido doctam *de Philoſophia Platonica* conſcripſit, eandemqve Weiſſio Præſide, maſcule habuit. Poſt brevem domi commorationem, Gieſſam reverſus ann. 1665, honores illos Philoſophicos a brabeuta Rudrauſio impetravit : annoqve proximo Salanæ noſtræ Academiæ per aliquot menſes hoſpes, ac Theologorum potiſſimum auditor fuit. Nam ne diutius hoc ageret , paterna voluntas effecit, qvæ filium ad ſui levamen in habendis ad populum ſermonibus domum revocavit. Anno 1668. a Jeremia Balthaſare Ludovico, Concionatore aulico Gothano ad filiorum informationem evocatus, tanto viro paruit, ac per ſesqviannum officium diligenter fecit. Quo tempore cum Salfeldio Gotham proficiſcerer , Reiherum

Gymnasii Rectorem, veterem B. Patris mei amicum, invisurus, ac a laudato Ludovico cœnæ admoverer, factum est, ut prima mutuæ inter me ac Cl. Fergium amicitiæ fundamenta jacerentur. Anno 1670. præmisso examine a D. Johanne Oleario, Concionatore Saxo-Hallensi supremo, & D. Johanne Musæo, Theologo Jenensi instituto, a Serenissimo Saxoniæ Duce Ernesto Pio prima ei creditur provincia: nempe ut trigæ filiorum, Bernhardi, Henrici & Christiani in Belgium peregre abiturienti a sacris esset concionibus. Qva fini post examen Consistoriale 22. Aprilis habitum, seqventi Dominica in æde S. Margaretæ per solelennem manuum impositionem sancto mancipatur muneri, dieqve 27. Aprilis iter illud ingreditur. Longum esset enarrare fata illius itineris, & quot qvantisqve viris in Hollandia potissimum innotuerit: præsertim qvia alibi nobis commodior dabitur occasio, peregrinationis illius historiam tradendi. Anno 1671. die 17. Februarii Gotham factus redux, anno exeunte, D. Balthasare Menzero Theologo Hasso-Darmstadiensi, & Wilhelmo Verporten, qui tum temporis Ernesto Pio a consiliis Ecclesiasticis erat, a jam laudato, sed nunqvam satis laudando Duce ad varias aulas atqve Academias, ob novum, qvod Princeps moliebatur, Collegium Theologicum Hunnianum, itemqve componenda dissidia Wittebergensia ac Helmstadiensia ablegabantur, comes ivit. Anno seqventi ineunte una cum Alberto ac Henrico fratribus Ducibus, Ernesti Pii filiis, novum, sed breve iter in Hollandiam suscepit: eoqve expedito, cum triga Fratrum juniorum, qvibus partim ab institutione, partim a sacris fuit, Altenburgum profectus, ibidem usqve ad annum 1673. substitit. Hoc ipso autem Decanus Themariæ in Principali Comitatu Hennebergensi, magni Dilherri patria, renunciatus, Dominica Qvasimodogeniti sanctam hanc Spartam adiit, Deoqve propitio ac Ernesto Pio favente, Methodum Informationis Gothanæ feliciter ibidem induxit. Anno 1674. 4. Martii uxo-

uxorem duxit Barbaram Justinam, viduam Rosnerinam, gente Fuhrmanniam, nuptiis in ipsa arce Friedensteiniana, ubi in gynecæo non vulgarem locum habuit, celebratis. Hæc postqvam anno 1678. 28. Februarii pulchra prole mascula dulcissimum maritum beasset, brevi post (18. Mart.) præmatura morte obiit, magnumq; sui desiderium eidem reliqvit. An. 1676. 22. Maji Serenis. Dux Saxoniæ Fridericus, per Gotterum Antistitem, gravissimum aulici Concionatoris munus Fergio nostro obtulit: qvod non tam sponte sua, quam post devotissimas preces, Patronorum consiliis atqve autoritate motus, suscepit: ac per divinam gratiam in annum 1688. pie ac prudenter administrauit. Tum autem optimo socero Gottero, cujus filia Susanna Margareta anno 1677. in manus ejus venit, tam aliis animi corporisqve dotibus, qvam rara fœcunditate (quippe quæ bis gemellos enixa) præstantissima, in honorifica, sed & difficillima Generalis Superintendentis Sparta successit. Qua ut porro in Trinunius Dei gloriam, atque Ecclesiæ salutem, diutissime fungatur, suaqve animi moderatione invidiam, molestiasque alias vincat, ὁλοψύχως precor.

DIACONI.

Henricus Thilo: quondam monachus Augustinianus, mortuus anno 1565.

M. Georgius Merula. Antea Scholæ magister Gothæ. Hic anno 1555. in exorcismo omittendo nova molitus, Vinariæ meliora edoctus, a cœptis destitit.

D. Johannes Gothard, Herr Moritz/ nescio qvam ob causam vulgo dictus. Obiit 1547.

M. Johannes Brembach. Vocatus 1547. postea Pastor Waltershusanus: ubi mortuus 1570.

Johannes Eisenberg. Antea Ludimagister Gothæ, post Johannis Langenhain, parochi ad S. Margaretam Vicarius, vocatus 1551. sed 1, ,4. Pastor Ichtershu[illegible]anus designatus

Johannes Göring. Antea Paſtor in Laucha, vocatus 1565. Peſte correptus vita exceſſit ann. 1568.

M. Melchior Weidemann.

M. Johannes Meſſerſchmidt. Primum Præceptor Scholæ Waltershuſanæ, deinde Diaconus Saltzungenſis, vocatus 1554.

D. Johannes Wolffram. Antea Diaconus Hardeſianus, poſtea Concionator Eccleſiæ cathedralis Einbecenſis : cujus in *Chronico Daſſeliano* cum laude meminit Johannes Letznerus *parte I. lib. VI. cap. VII.* Vocatus 1562.

D. Iſaacus Hoch. Vocatus 1568. Peſte exſtrinctus 1582. 21. Octob.

M. Johannes Dunckel. Coburgum vocatus anno 1584. Superintendens Generalis factus eſt.

M. Johannes Erhardus, Montanus. Gotha Waltershuſam vocatus, ubi Paſtorem egit usqve ad ann. 1592. qvo Heldburgum ad Ephoriam Eccleſiaſticam conceſſit.

M. Johannes Wagner. Antea Collega qvartus Scholæ, Erfurtum vocatus 1597.

M. Michael Julius. Vocatus 1584.

Nicolaus Walther. Apoplexia in cathedra correptus defecit (1604.

Nicolaus Rebhahn : ab an. 1598. Römhildam vocatus 1600. demum Generalis Superint. Iſenacenſis renuntiatus eſt.

M. Melchior Steinbrück. Antea Paſtor in majori Fahner. Obiit 1616.

M. Georgius Wagner, Antea Parochus Cracoviæ ad Eisfeldam. Peſte extinctus 1611.

M. Johannes Kämpff. Vocatus an. 1604. Deceſſit 1625.

M. Caſpar Julius. Vocatus Wiglebio, ubi Paſtorem egit, 1611.

M. Juſtinus Sorge. Antea Paſtor in Hauſen, vocatus, 1616.

M. Liborius Thilo. 1594. 24. Febr. patre Johanne Senatore, ac demum Conſule Gothano, matre Margareta Steinbruccia, natus: an. 1622. Paſtor Balſtedenſis, an. 1626. Diaconus Gothanus vocatus eſt. Uxorem primam habuit Margaretam, M. Georgii Wagneri Diaconi Gothani filiam, alteram, Barbaram Hartungiam. Obiit 1675. 24. Novembr.

Da-

David Kelner. Vocatus 1626.
Andreas Gnüge. Vocatus 1633. Obiit 1667.
M. Johannes Strobel. Vocatus 1636. Obiit septuagenarius. 1. April. 1670.
Tobias Dorfeld. Vocatus 1668.
Johannes Conradus Hacke. Vocatus 1668.
Johannes Adolphus Pfefferkorn. Vocatus 1676. Cranichfeldensis Pastor & Superintendens constitutus discessit 1686.
M. Johannes Andreas Gnüge. Vocatus 1686. Anno 1690. Superintendens Wangenhemianus designatus, valedictoriam habuit 10. Junii, tertia feriarum Pentecostes.
Jacobus Benedictus Ludvvig, Ieremiæ Balthasaris Ludovici, Concionatoris aulici Gothani filius natu major; antea Pastor Brüheimensis: investitus 1690. die S. Jacobi.

CAP. VIII.

DE RECTORIBVS, CETERISQVE SCHOLÆ GYMNASIIQVE GOTHANI PRÆCEPTORIBVS.

RECTORES.

I. BASILIVS MONNERVS.

Alias *Selinus* dictus, patria Vinariensis: unde pro more illius ævi *Basilius Vinariensis* a doctis vocabatur. Hic superstite qvalicunqve Augustinianorum monachorum Collegio, in Schola Gothana docuit, annoque 1525. adhuc ibidem egit. Nam feria 4. post Dominicam Misericordias Domini Lutherus ad Myconium Gotham scribit: *Saluta, & hortare Basilium meum in Domino.* Postea Johannem Fridericum II. & Johannem Wilhelmum Duces bonis literis imbuit, ac demum Consiliarius, atqve Antecessor Ienensis factus est. Hujus vitam alibi plenius enarrabimus.

II. LAV-

II. LAVRENTIVS SCHIPPERVS.

Postea Pastor factus Sunthusii.

III. M. GEORGIVS MERVLA.

Deeo ad Myconium scribit Philippus anno 1557. 11. Januarii. *Commigrabit ad vos brevi Georgius ille, cui scholæ vestræ gubernationem commendaturi estis. Nam ante biduum de itinere suo mecum locutus est. Nunc gradum magisterii accipit, ut titulus ei aliqvam afferat apud cives commendationem.* Sic igitur tum temporis non modo Monnerum ex schola in aulam, sed & Schipperum ex urbe in agrum Sunthusinum abiisse, necessum est. Ex laudata autem epistola apparet, Philippum qvoque de Hypodidascalo Gothano fuisse sollicitum. *Vtinam vero*, inquit, *idoneum ὑποδιδάσκαλον invenire possimus. Mihi quidem nec diligentia, nec fides in ea re deerit, ac malo extrahere rem, qvam subito vobis mittere aliquem, qvi mihi non probatur.* Adscribemus quoqva aliqve ex Philippi epistola ad Jacobum Milichium: *Si Hieronymus ab Hirnheim expetit conditionem Gothanam, velim accersas ad te Georgium Merulam, cui committetur gubernatio ludi Gothani, eiqve de Hieronymi voluntate dicas, & has meas literas ei reddas, in qvibus de Stirto scribo, ut Hieronimo cedat: sin autem Hieronymus non est accepturus Gothanam conditiouem, non erit opus reddere literas Merulæ.*

IV. M. PANCRATIVS SVSSENBACH, Silesius.

Hic anno 1561. Sparta se abdicans scholica, in patriam reversus est. Andreas Wilckius in *Oratione de Schola Gothana ejusqve Rectoribus*: Hunc (Georgium Merulam) *secutus M. Pancratius Sussenbach, Silesius, gnaviter hanc scholam administravit, pravos mores legibus coercuit, petulantiam vero tanta disciplina oppressit, qvanta hactenus nemo qvisqvam potuit. Ipsi recordamini procul dubio, P. C. tantæ ipsum gravitatis severitatisqve fuisse, tum verbis, tum factis, ut manus suas ne qvidem ab iis hominibus, qvi suæ scholæ non erant, continuerit, si qvem forsan his in sacris luxuriantem deprehendisset. Qui cum satur scholæ, satur laborum, satur difficultatum esset, ipse se suo munere sponte abdicavit,* post-

postqvam huic scholæ annos circiter viginti inservüisset, atqve in patriam recessit, in quo tanqvam portu velis complicatis, cæterisqve armamentis omnibus compositis, qvievit. Suſſenbachium porro Wilckius ait, *circiter viginti annos scholæ inservüisse.* Sed ex epiſtola qvadam ad Johannem Fridericum II. Ducem a Rev. Miniſterio & Senatu Gothano anno 1562. die Sabbati poſt feſtum Ægidii perſcripta, apparet, ipſum ultra triginta annos in ſchola Gothana elaboraſſe. Myconius in MS. quodam teſtatur, quod Süſſenbachius *ſcholam Gothanam in certam formam redegerit.*

V. M. CYRIACUS LINDEMANNUS, Gothanus.

Gener Myconii, Suſſenbachii antea Collega, & Conrectorum primus. Mollerus in *Theatro Fribergensi* teſtatur, ipſum per qvinquennium fuiſſe ſupremum Fribergenſis Scholæ Collegam, annoqve 1564. conceſſiſſe in ſcholam novam Portenſem, ubi factus fuerit Rector. Et hoc ipſum qvoqve apparet ex laudata Miniſterii & Senatus Gothani epiſtola, quodqve etiam anno 1561. a Joachimo Camerario Erfurtenſibus novam ſcholam molientibus fuerit commendatus. Lindemanni vocationem Johannes Fridericus II. comprobavit Heldburgi anno 1562. 10. Septembris. De eo Wilckius: *Suſſenbachio ſucceſſit M. Cyriacus Lindemann, vir omnium humanarum virtutum exemplum. Hic pietatis, eruditionis, modeſtiæ imago, hic græcarum latinarumqve literarum promus condus, hic pueros informandi, hic erudiendi adoleſcentes, hic docendi juvenes ſummus & perfectiſſimus artifex. --- Teſtatur diſcipulorum ipſius princeps, M. Johannes Dinckelius, Superintendens Coburgenſis clariſſimus, ---- in quadam Oratione de ipſo Coburgi ad cœtum ſcholaſticum graviſſime habita. --- Carum ipſum in primis habuit iſtud totius Germaniæ lumen Joachimus Camerarius, qvem literis ſæpius inviſit atque exercuit. Ideoqve cum aliqvando huc Lipſia & nuptiarum celebrandarum & ipſius ſalutandi gratia veniſſet, in eodem hoc auditorio a Lindemanno rogatus, vir ille clariſſimus Pythagoræi aurei carminis magnam partem cum*

summa freqventissimi auditorii admiratione interpretando absolvit. ---- Hoc tantum addo, ipsum suis carum, scholæ desiderandum, honorandum patriæ, omnibus lugendum, placidissime in suorum complexu, in suo natali solo obdormivisse, postqvam precibus & lacrymis pro salute patriæ bellica clade jam tum periclitantis ardentissime quotidie effusis, confectus fere & consumtus esset. Idem in Oratione Gymnasii Gothani historiam complexa: *Vir omnium humanarum virtutum exemplar, non procul absum, qvin dicam absolutissimum, adeo pietati, vitæ innocentiæ, morum sanctitati deditus fuit. Hujus leges --- fixæ permanent, tamdiu permansuræ, qvam ipsum Gymnasium. In hoc uno omnia exstitere, qvæ reqviras in singulis bonæ mentis & fidei informatoribus.* Obiit autem anno 1568. 8. (12.) Martii. Parentavit ei M. Johannes Dinckelius Superintendens Coburgensis; (id qvod tangit Wilckius:) qvam Orationem typis esse exscriptam, me docuit Cl. Strobelius, Conrector Gothanus. Gener Lindemanni fuit M. Cyriacus Snegassius, Pastor Fridrichsrodanus, & Ephoriæ Vinariensis Adjunctus, qvi anno 1597. 23. Octobr, decessit, sibiq; seqvens, dum viveret & valeret, epitaphium scripsit:

Te didici, docui, te sum confessus, IESV,
Donec in hoc fragili corpore vita fuit.
Nunc a corporea bene tandem mole solutus,
Te meus in supera Spiritus arce canit.

Filias hic Snegassius reqvit octo, filios autem, qvos habuit duos, amisit. Non dubito, qvin apud hæredes Snegassianos adhuc plura Myconiana supersint.

VI. M. PAVLVS SCHMIDT.

Non diu præfuit Scholæ, ad Spartam Ecclesiasticam vocatus.

VII. M. IOHANNES MEIERVS.

Jena evocatus, Scholam rexit ad an. 1580. quo Pastor factus Goldbacensis, ubi an. 1591. vivere desiit, præmissa an. 1587. Anna uxore. Hoc Rectore an. 1572. ex decreto Johannis Wilhelmi Ducis, Scholæ visitatio instituta est per D. Johannem

nem Wigandum, Prof. & Superintendentem Ienensem, & M. Bartholomænm Rosinum, Superintendentem Vinariensem. Acta hujus Visitationis inscribuntur : Enderung / und Verbesserung der Schulgebrechen zu Gotha. De Schmidio & Meiero iterum Wilckius : *Substituebatur huic M. Paulus Schmid, qui propterea qvod ad sanctum ministerium adspiraret, huic scholæ diu non præfuit, sed cum laude. Cujus votis cum esset abunde satisfactum, gubernacula ejusdem fuerunt M. Iohanni Meyero commissa, Iena evocato, viro eloqventissimo. Hujus quod recentior memoria sit, qvam qvæ possit refricari, & se ipsa satis commendata, nihil hic præterea dico, nisi qvod suarum meditationum cogitationumqve nonnullas, Romanæ præsertim historiæ continuationem, literis & posteritati commendasset, nisi facta ipsi tantam gloriam & ipsum una eripuissent.* Meierus anno 1578. Germanice vertit M. Johannis Rosæ Prof. Jenensis *Orationem de vita æterna*, Jenæ 1568. habitam, In hac versione se vocat *Ludimoderatorem*, & in Dedicatione ad Dorotheam Susannam Ducem, Schulmeister zu Gotha.

VIII. M. IOHANNES DINCKELIVS.

Antea Hebrææ Lingvæ Professor Erfurti. Postea Diaconus Gothanus, demum Superintendens Coburgensis renuntiatus est. Wilckii de ipso hæc sunt : *Hujus* (Meieri) *locum M. Iohannes Dinckelius supplebat, Erphordia sacrosanctæ lingvæ professione avocatus, cujus industria & diligentia brevi tempore sic efflorvit schola nostra, ut freqventiorem Antecessorum nullus habuerit. Huc ex vicinia Pastores tanqvam ad Barbanum qvendam* (*Rabbinum*, ut puto :) *Hebræa profitentem huc & alii tum freqventes advolabant ad altissima illius lingvæ mysteria cognoscenda.*

IX. M. IOHANNES HELDERVS, Erfurtensis.

Rectoratu functus est ad annum 1592. quo se scholastico munere abdicavit. Wilckius : *Iohannes Helderus, antecessor meus dignissimus, cujus eruditione & doctrina, ut mihi videtur, hoc ipsum auditorium adhuc qvotidie personat, hujus memoriam & laudem discipuli ejus olim celebrabunt, qvorum qvamplurimos, quos ipse*

qvidem, novi ex hac schola in celeberrimas qvasqve Academias emisit, nonnulli etiam ex iis jam publicis muneribus cum laude defunguntur.

X. M. ANDREAS WILCKIUS.

Anno 1562. Dominica IV. Trinitatis, Helmershusii, parentibus piis & honestis, natus, postqvam una cum lacte materno prima pietatis rudimenta & literarum elementa imbibisset, in scholam deductus fuit Meinungensem, ubi prima studiorum tyrocinia sub Ambrosio Stegmanno deposuit. Exin Halberstadium se contulit, Præceptoribus usus M. Paulo Laurentio, & M. Theophilo Cangisero. Halberstadio relicto Ienam concessit, ac cum non mediocriter tinctus esset literarum & sapientiæ studiis, primam in artibus & Philosophia lauream assumsit. Post illa & insignibus Magisterii decoratus fuit, eoq; in majorem Professorum notitiam & amorem pervenit. Cum Johannes Helderus Spartæ scholasticæ renunciaret, Wilckius operam suam Inspectoribus obtulit, ac consentiente & confirmante Johanne Casimiro Duce, locum hunc obtinuit, ac ornavit peregregie: ut adeo Johannes ille Caselius anno 1604. ad ipsum scriberet: *Tibi juventus vestra multum debet, qvod a te sedulo & recta via ducitur. In multis hodie ludis litterariis neutrius lingvæ ratio habetur, nec jubentur adolescentes legere monumenta veterum.* Vita ejus omnis ita erat comparata, ut in disciplina eluceret lenitas, in gestu moderatio, in congressu comitas, in colloqvio humanitas, in consilio dando facilitas, atqve adeo in cultu divino singularis pietas. In conjugio factus novem liberorum parens, sex qvidem filiorum, trium gnatarum: quorum e numero vivo Patre in vivis esse omnes desierunt, præter unicam filiam *Sabinam*, D. Johannis Volckii, Medici Gothani uxorem, ex qva nepotem & neptes qvatuor; sicut ex altera filia *Anna*, quam M. Michaeli Wolfio, Professori in hac Salana celeberrimo nuptum dederat, filiolam & nepotem vidit: qvos non alio complexus

amo-

amore fuit, nec minori cura ad omnem pietatem & honestatem educavit, quam si ex ipso nati forent. Qvanti hunc generum fecerit Wilckius, docet Oratio, qvam de ejus vita & obitu habui: nec minus etiam conjugis Wolfianæ, filiæ suæ memoriam alia Oratione conservavit. Complures autem annos vir optimus pejus habere, & uti valetudine minus commoda cœpit, & podagræ infestari cruciatibus maximis, ut sæpe numero domi se continere cogeretur. Non raro etiam oculorum lippitudine stillantium infestabatur, & defluente catarrhi humore laborabat: qvæ affectio totum concutiebat corpus, & ceu effusa nebula involvebat. Anno 1631. cum in festo Pentecostes scholasticum cœtum ad ædem B. Margaretæ una cum Johanne Weitzio Collega Prorectore deduceret, inter viam deficere viribus cœpit, & cum ad pharmacopolium usqve perrexisset, de via se deflectere in domum filiæ, & decumbere, seqve ad quietem componere velle ajebat: virium enim imbecillitatem non permittere, ut concioni interesse, & sacris litare posset. Et ex illo officium amplius facere non potuit: sed, ut plurimum lectulo suo affixus, æqvo morbum pertulit animo. At die 19. Iunii dum inter cænandum mensæ assidet, apoplexia forti contactus, uno quasi ictu concidit, & nec verbulum prolocutus ullum, nec membrum porro movens, aut signum doloris edens, beatam efflavit animam. Postridie Michaelis eum in Gymnasio celebravit *M.* Johannes Weitzius, successor, cujus oratio *Svadæ Wilckianæ* a Clarissimo Viro, Georgio Hesso, anno 1657. in lucem editæ præmissa est. Complectitur hæc *Svada* Orationes Wilckii XLIX. ex qvibus nonnullæ conjunctim, & in his triga *de Cæcitate Homeri*, aliæqvæ separatim antea prodierant. Edidit etiam Wilckius anno 1610. Ἑορτογραφίαν, qva Poetarum tam veterum, qvam recentiorum carmina in festa Christianorum Oecumenica elegantissimis Notis illustravit: cujus partem alteram, Poemata in festa XII. Apostolorum, geminum in modum exposita, una cum iterata par-

partis prioris editione laudato Heſſo debemus. Anno 1603. Wilckii *Epiſtola de Anagrammatiſmis*, annoqve ſeqventi ejusdem *Feriæ Caniculares in Gothano Gymnaſio, hoc eſt, Plautinæ Epidici Philologica recenſio*, Erfurti Piſtorianis typis prodierunt. Atqve hæc de Wilckio, cujus manes me qvoqve per hanc ſcriptiunculam venerari teſtor. Vt adeo ad me quoqve nunc pertineat, quod his verbis ominatus eſt: *Erunt, ubi fuero ipſe, alii viri boni, qvi vel manes quoq; Wilckii venerabuntur.*

XI. M. IOHANNES WEITZIVS.

In pago Hohenkirchen, ad radices ſylvæ Thuringicæ in præfectura Georgenthalica ſito, patre Iohanne, ſartore, matre Chriſtina Stravina, natus anno 1576. menſe Septembri, ipſo die Ægidii: in quem etiam incidit natalis Ferdinandi II. Imperatotis: unde ſæpius Weitzius dicere ſolitus, ſe tot vidiſſe ariſtas, qvot Ferdinandus II. Ex patrio ludo in ſcholam miſſus eſt Ordruvianam anno 1588. & ex hac in Gothanam, anno 1592. menſe Aprili: ubi Præceptorem non modo, ſed Patrem alterum accepit Andream Wilckium: cujus commendatitiis ad Magnificum tum temporis Cancellarium Gerſtenbergerum, & Philoſophiæ Profeſſorem Heiderum, inſtructus, anno 1597. ad Academiam Ienenſem ſe contulit: in qva primum convictu liberali Gerſtenbergeriano fruitus eſt. Sed Heiderus, perſpecta hujus juvenis probitate & doctrina, non tam liberis ſuis præfecit, qvam unum ex intimis habuit. Anno 1598. 5. Iulii Baccalaureus, annoqve ſequenti, 7. Auguſti, Magiſter, nullo interveniente pretio creatus, anno 1600. 9. Decembris, a Nicolao Reuſnero Com. Pal. Cæſareo laurea poetica; præſente toto fere Senatu Academico, inſignitus fuit. Hinc anno 1620. 26. Februarii Claſſis qvartæ Collega in Gymnaſio Gothano conſtitutus, inſeqventibus annis qvaſi per gradus & Conrectoris, & Rectoris an. 1631. & 1641. Directoris munere potitus, per annos qvadraginta magna cum laude, & voce & præclaris ſcriptis, juventutem docuit. Iena cum abiret, honori-

norificum ab Academico Senatu impetravit testimonium, quod una cum variis Propempticis typis exscriptum. In eo inter alia legas, qvod *& in Collegium Philosophicum* (de Adjunctura id accipio) *fuerit cooptatus, privatasqve aperuerit scholas, & disputationes varias celebraverit, publice etiam habendis declamationibus ingenii & eloqventiæ suæ vim ostenderit; In moribus autem regendis & in omni vita ita se gesserit, ut neqve leges neqve magistratus in ipso jure qvidqvam desiderare potuerint.* Vxores habuit duas, primam *Sophiam Försteriam*, a candore capillorum das weisse Härlein vulgo dictam, patre pellione natam, ex qva tres filios & qvatuor filias suscepit. In his superstites *M. Johannes Weitzius* Pastor Goldbaci factus, & *Anna Maria*, qvæ Michaeli Wernero Pastori Grisheimensi nupsit. Alterum matrimonium cum Anna, Christophori ab Helfant, civis Erfurtensis filia, sterile fuit. Decessit Weitzius ipsa Dominica Misericordias Domini, qvæ erat 24. Aprilis anno 1642. Scriptis suis Philologicis magnam apud eruditos gratiam, ac nunquam intermorituram nominis famam sibi conciliavit. Ex his, quæ ad meam cognitionem venerunt, indicabo: *Prudentius cum variorum, suisqve Commentariis*: *Commentarius in Terentium*: Collectanea *in Ovidii libros Tristium & de Ponto*: Semiramidis *Babyloniorum Reginæ vita & res gestæ, Observationibus Philologicis illustratæ*: Vita *Epaminondæ Thebanorum Ducis*: Signa *in Cœlo portendunt mala, ex prælectionibus Historicis in Sleidani de IV. summis imperiis librum, ubi agitur de prodigiis, qvæ bellum Peleponnesiacum præcesserunt, ad temporis præsentis periculum accommodatis*, Αποσπασμάτιον: Soteria, *Deo postqvam ex gravi periculosoqve morbo eluctatus, lentoqve ad sanitatem gradu provectus esset, oblata, & consecrata*: Notæ *ad Theocriti Idyllion XVI. qvod inscribitur Charitas*: Commentarius *in II. Odam Horatii e libro Epodon, de laudibus Vitæ rusticiæ*: Heortologium, *sive Hymni festivales, ex Poetarum qua veterum, qva recentiorum latifundiis excerpti, & elucidati*; Notæ *in Hilarii Episcopi Pictaviensis Genesin*: Dracontii *Hexaemeron cum Indice, Glossario & Notis*: Virgilii *Copa*,
cum

cum Commentariolo. Subjunctum est Spicilegium in Moretum Septimii Sereni: Feriæ *Cereales* : Notæ *in Valerii Flacci Argonautica* : Notæ *ad Salvianum* : Dissertatio *de Philologia* : Dissertatio *de Critica* : Epistola *de Anagrammatismis.* Et audio apud hæredes & cognatos Weitzianos nonnulla ἀνέκδοτα superesse : qvæ si publicarentur, bene foret.

XII. M. ANDREAS REYHERUS.

Patriam habuit vicum Heinrichs in Principatu Hennebergico ad Sulam : patrem Michaelem, Senatorem ibidem, virum vitæ integræ ac honestæ : quem anno 1634. 15. Octobris, cum repentina hostilis irruptio Hennebergica concuteret, in fuga ad Dombergam cum pluribus aliis extinctum, accepimus : matrem Otiliam, filiam Wolfgangi Alberti, Sculteti, Henriciani, qvi anno 1590. ob incendium ingens Sulanum perterrefactus obiit. Avus paternus fuit Iacobus Reyherus, Senator Henricianus, cujus uxorem Barbaram, Cyriaci Tenneri, itidem Henriciani Senatoris filiam, Reyherus nepos puer vidit. Annus natalis erat primus præsentis seculi, dies qvintus Maji, ac postridie a Georgio Wagnero Pastore baptizatus est. Vix balbutire cœperat, cum in ludum deferretur patrium, in qvo ad annum ætatis tertium decimum legendo, scribendo, canendo, exegit, domi etiam a parentibus, ac matre potissimum, ad pietatem probitatemqve assvefactus. Cum essedarium in coemendo ac divendendo vino occupatum præoptaret pater, ab eo abhorrens filius Magdeburgum mercaturæ exercendæ ergo fuisset abductus, nisi prius Latinæ literaturæ, ac arithmetices fundamenta habuisset addiscere. Qvamobrem Sulanæ scholæ factus discipulus, per sesqviannum mane eam adiit, vesperi domum reversus, idqve (qvod mirum in puero) non sine animi voluptate : qvæ studium etiam mercaturæ exstinxit. Anno 1616. 8. Ianuarii, svasu affinis Andreæ Molingii, Breitenbaci prope Sleusingam habitantis, a patre Sleusingam deductus, & M. Jacobo Sorgero Gymnasii Rectori, cui postea successit, commendatus, a brevi examine, in

in tertiam classem collocatur: ex qva subinde in superiores elevatus, per integrum triennium in tantum profecit, ut cum bona Præceptorum gratia Gymnasio valedicens, anno 1621. 26. Novembris in florentissimam Lipsiensem Academiam se conferret: cum interea anno 1619. 19. Maji pientissimam matrem, post undecennem gravissimum morbum ex læso crure, amisisset. Lipsiam venit Kl. Decembris, ea ipsa tempestate, qva summa in re pecuniaria erat confusio: cumqve ultra dimidium sincerioris argenti Ioachimicum, non contemnendam tamen pro tempore summam, vix haberet, ac victus aliarumqve rerum pretium mirifice excrevisset; per singularem Dei providentiam factum est, ut ab Henrico Dincklero, cive Ilmenaviensi, Georgio Wincklero, magni nominis mercatori Lipsiensi commendatus, ejusdem liberis informandis præficeretur. Anno 1625. 24. Septembris primam Philosophiæ lauream, annoqve 1627. 25. Januarii Magisterii gradum indeptus, publicam *de Terra* disputationem 5. Maji præses habuit. Exin Winklerianam domum, cujus per sexennium hospes fuerat, cum museo in Novo Collegio commutans, privatis scholis tantum æris collegit, ut vitæ honeste ducendæ sufficeret. Anno 1629. Fridericus Major, in Plausing, Consul Lipsiensis, Reyherum nostrum ad erudiendum natu minorem filium Iohannem expetit, eidemqve supra liberalem convictum viginti florenorum stipendium annuum spondet, sed & alios adolescentes, qvi cum ætate ac doctrina gnati convenirent, instituendi, ac insuper habendorum Collegiorum licentiam, indulget. Quia autem supra Philologica, Theologicis studiis se unice addixerat, præter ceteros Præceptorem delegit D. Henricum Höpfnerum, Theologorum ejus ævi decus singulare, cujus ab anno 1623. ad annum usqve 1631. diligens atqve constans auditor privatus fuit: qvo & præside aliqvoties ex Martini Chemnitii *Locis Theologicis*, & *Concilii Tridentini Examine*, item *Controversiis* Maieri Iesuitæ, privatim; annoqve 1631. *de Iustificatione hominis peccatoris coram Deo*, (qvæ tertia est contra di-

ctum Iesuitam, publice disputavit. Jam, qvod animus ei erat, Lipsiam perpetuam studiorum sedem deligere, svasu laudati Höpfneri, sed & Wilhelmi Aviani, Scholæ Senatoriæ Thomanæ Rectoris, Philosophicæ Facultatis Assessoris, Philologi & Mathematici celeberrimi, qvo familiariter utebatur, locum in Collegio Philosophico ambiens, Disputationem pro loco primam, *de Stellis fixis*, alteramqve *de Luna*, anno 1630. Aprili Majoqve mensibus habuit, annoqve proximo consentientibus Professorum ceterorumqve Assessorum suffragiis, die 19. Martii in laudatum Collegium receptus est. Anno 1632. a Regimine ac Consistorio Hennebergensi, Rector Gymnasii Sleusingensis cum præter omnem exspectationem suam designaretur, idqve ei renunciaret M. Wolfgangus Seberus, Superintendens ac Consistorii assessor, ut octimestre mansionis Lipsiensis spatium sibi permitteretur, petiit: sed, qvod Gymnasii conditio novum Rectorem exigeret, denuo a D. Samuele Zehnero Pastore Sleusingensi perhumaniter evocatur. Igitur recepta solenni vocatione 12. Iulii perscripta, dum ad iter se comparat, summa bellicorũ temporum difficultas fecit, qvo minus ante diem 16. Novembris Lipsiam relinqvere potuerit. Periculoso hoc itinere, in qvo reculis qvoqve suis a prædonibus exutus est, defunctus, in patriam, die 26. Novembris, qua eodem die ante annos undecim egressus erat, reversus, 28. Novembris Rector Gymnasii Sleusingensis renuntiatus, die 10. Decembris ritu solenni cœtui scholastico commendatus est. Hanc Spartam in publicis illis miseriis καδδύναμιν exornans, anno 1639. ad regendam dulcissimæ patriæ meæ Luneburgi scholam Senatoriam ad S. Iohannem vocatur: eoqve seqventi anno profectus, 19. Martii pervenit, ac die 23. Aprilis publice in Scholam introductus est. At enim qvando Henninges Wedemannus, Conrector, vir alioqvin non indoctus, sed nimium (uti credebatur) sibi tribuens, varias molestias facesseret novo Rectori, ac eundem porro ad repetendam pristinam Spartam

Sleu-

Sleusingensem Patroni revocarent; mirum non fuisset, si Luneburgense munus resignasset. Qvod tamen facere noluit: sed potius ad repetendam familiam & suppellectilem, mense Augusto iter suscipiens, propediem Luneburgum rediisset, nisi nova vocatio ad Rectoratum Gymnasii Gothani a Serenissimo Duce Ernesto Pio intercessisset. Qvæ res effecit postea, ut fasces scholæ Luneburgensis Patri meo M. Caspari Sagittario, tum Martinianæ Brunswicensis scholæ Rectori crederentur. Ex qvo tempore qvæ inter Reyherum & Parentem meum coaluit amicitia, ab utroqve cum fide est exculta, ejusqve post paterna fata ipse factus hæres, non parum mihi gratulor, qvod de manibus etiam Reyherianis per hanc historiolam bene mereri, eoqve pro beneficiis aliqvoties mihi præstitis vicem aliqvam reddere liceat. Sed ut ad propositum revertar, Reyhero Rectore Gymnasium Gothanum per bellicos illos motus non parum imminutum sensim cœpit augeri, ut etiam anno 1645 classis selecta in qva lingvæ, artes, ac disciplinæ Philosophicæ paulo exactius tractarentur, accederet. Et vero ex hoc Gymnasio Reyherianaq; disciplina, tanqvam ex Trojano eqvo, celeberrimi Theologi, ICti, Medici, Philologi, Philosophi, Mathematici, magno numero prodierunt: ut taceam, ex lectissimis ejus scriptis variis, tum discipulos, tum alios eruditos, ac discendi cupidos singularem fructum hausisse. Anno 1633. 6. Maji uxorem duxit *Catharinam*, M. Sebastiani Abesseri, Pastoris Sulani, Superintendentis & Senatoris Consistorialis Hennebergici virginem filiam: ex qva duodecim auctus liberis, cum unica filia *Catharina*, Iohanni Paulo Wintero, Senatori ac mercatori Sulano nupta, sex habuit gnatos superstites: nimirum *Samuelem*, I. V. D. & Prof. Academiæ Kiloniensis, Mathematicum illustrem: *Andream*, Philosophiæ & Medicinæ Doctorem; Gothanum, ac postea Medicum Sulanum: *Salomonem*, Senatorem & bibliopolam, *Christophorum*, typographum Gothanum, *Iohannem*, Lipsiens. cum obiret Pater, Studiosum, & *Michaelem* typographum.

Ab excessu Catharinæ uxoris (is contigit an 1657. 21. Mart.) an. 1658. 30. Nov. conjunctus est *Annæ Blandinæ Bachoviæ*, Friderici, sacrorum redituum Collectoris filiæ majori, ex qva trium filiorum, totidemq; filiarum Pater factus, amissis reliqvis, *Ephraimum* & *Ernestum*, qvi nunc Wasungæ, & Themariæ honorificam obeunt Spartam, habuit superstites. Anno 1673. 26. Martii febris eum infestare cœpit, qvæ per seqventes dies, accedente etiam ob demortuum Christianum filium, mœrore, adeo confecit senem optimum, ut die secundo Aprilis, hora octava matutina, animam placide exhalaret. Anni sequentis die 14. Septembris, docta oratione antecessorem laudavit Georgius Hessus, Rector Gymnasii, qvæ una cum sermone funebri a Gottero Superintendente habito, typis est excusa. Ex scriptis, qvæ edita sunt, Reyherianis succurrunt seqventia: *Colloqvia puerilia*: Dialogorum *Fasciculus Scholasticus & Christianus*: Florilegium *Epistolicum*: Theatrum *Romano-Teutonicum, sive Thesaurus Latinitatis*: Vocabularium *Latinum & Græcum, idqve minus & majus*: Vocabularium *Græcum N. T.* Tabulæ *Rhetoricæ*: Rhetorica *practica*: Tabulæ *Logicæ*: Tabulæ *Philosophicæ*: Margarita *Philosophica*: Margarita *Philologica*, *& qvidem Grammatica Harmonica Generalis Lingvar. Hebraicæ, Græcæ, Latinæ*: Libellus *Arithmeticus*: Manuductio *Poetica & Epitheta*: Grammatica *Latina*: Flores *Plauti*: Orationes *Ciceronis selectæ*: Fasciculus *Epistolarum Ciceronianarum*: *Palæomathia*: *Curtius*; *Nepos*; *Solinus*, singuli separatim editi: *Posselii Syntaxis correcta*, *& auctior*.

XIII. GEORGIVS HESSVS.

Natus is est anno CIↃ IↃC XIII. die XV. Decembris intra horam secundam & tertiam pomeridianam. Patrem habuit Johannem, probum & honestum civem Gothanum: matrem Barbaram, filiam Iohannis Neidharti, qui præfecturæ Tennebergicæ per annos octodecim scribam, & tandem Magistrum saltuum in cœnobio Allendorfensi prope Salzungam egit. Susceptore usus est Georgio Neidharto, sangvine

gvine ipsi conjuncto, & tum temporis judice, ut vocabatur, provinciali. Is cum felici sidere Hessum ortum esse, Patri renunciaret, hic ex pia simplicitate respondit : *Macte fili, sutor evades* : quasi ex sellulariis hoc artium genere nihil felicius. Et hoc prognosticon postea sutor qvidam vel implevit, vel elusit. Nam tertium ætatis annum nondum egressus erat Hessus noster, qvando Pater mature decedens, ipsum orphanum, matrem viduam relinqveret, qvæ post triennium Eliæ Mædelio nubebat sutori. Hic loco filii Nostrum semper habuit, ut genitor omnibus videretur, non vitricus. Ita enim curæ cordiqve semper illi fuerant studia privigni, ut domi eum perinde per Nicolaum Klopfleischium, atqve in Gymnasio præ aliis per Petrum Fuldnerum erudiri curaret. Hic tum vicarius Præceptor classis tertiæ erat, diligens admodum & fidus : qvippe qvi nefas esse ducebat, si non omnium primus in ludo esset, atqve sic exemplo præluceret discipulis: cujus vestigia Hessus noster per LIII. annos in officio legit. Ad classem secundam cum transmitteretur, tam publice qvam privatim institutus a Weitzio est, qvi Prorectorem tum agebat, deqve omnibus quæ ad discipuli vel doctrinam, vel cetera vitæ commoda pertinerent, bene ei prospiciebat. Exantlatis quos perferre decet ejusmodi adolescentem, laboribus, ad primam classem promotus est, & celeberrimum Rectorem Andream Wilckium Præceptorem invenit optimum, ac Mæcenatem liberalissimum. Cui cum assiduus adhæreret atqve accubuus, clarius exsplendescebat, qvam generosi, qvi tum aderant, condiscipuli ferre possent. Nec mirum id alicui videatur: siqvidem Wilckius mira svavitate singulos ita incitabat, ut, qvos commendaret libros, sive Græce, sive Latine scriptos, citius, qvam sperare qvis poterat, perlegerent, tanto cum Wilckii gaudio, & Inspectorum laude, ut nihil supra. Adolescens annorum jam sedecim, talem se præstitit, qvalem postea æstimarunt singuli : id qvod ex seqventi laudati Wilckii programmate ad Gymnasii Ephoros scripto

 vide-

videre eſt. *Præſentis invitatiunculæ exhibitor Georgius Heſſus, civis & diſcipulus noſter, adoleſcens ſedecennis, pietate inſignis, modeſtia laudabilis, obedientia & induſtria condiſcipulis omnibus bono exemplo prælucens, Græco-Latinum carmen Heroicum in Natalem Chriſti proprio Marte ſine ulla Præceptoris* χειραγωγία *& additamento, elaborate, & ita quidem compoſuit, ut fere verbum verbo expreſſerit, ſuas mihi prænobiles ingenii dotes & induſtriam luculenter demonſtravit: Vobis quoque & illas & hanc publice in conſeſſu de cathedra memoriter expreſſa recitatione demonſtraturus. Si temporis tantum ea graviſſimis veſtris qva publicis, qva privatis ſubtrahere negotiis citra detrimentum licuerit, ac ad VI. diem Ianuarii miſſa concione vacare auditorio per ſemihorium posſitis. Specimen ſcilicet & documentum ſat laudabile, ſat grave deprehendetis, quemadmodum hactenus Gymnaſium magna effudit, præclara dedit ingenia; ita jam nec ipſis deſtitui, modo præmia non deſint, qvibus nutriantur, alanturqve præſtantia, & qvæ ſunt, in dignos conferantur. Valete, & adeſte dicto die. Veſtra præſentia noſtrorum exercitiolorum nutricula eſt. Ex muſeo feriis Trium Regum ſive Epiphaniorum anno* CIƆIƆC XXXI. Nimirum, qvod in adoleſcente hujus ætatis mirari debeas, carmen Græco-Latinum, proprio Marte, & ſine ulla alterius χειραγωγία (verba Wilckii repeto:) in Natalem Domini ſcripſit, idqve coram Inſpectoribus expromta memoria recitavit. Eo ipſo anno XXXI. diem ſuum obiit Wilckius, eique ſuccedebat Weitzius, qvi Heſſum admonebat, ut Gothæ valedicens, Ienam ſe conferret. Et vero qvia obicem ponere paupertas videbatur, Weitzius ipſum bono animo eſſe juſſit, atqve literis commendatitiis ad Philippum Horſtium, Iohannem Michaelem Dilherrum, ut & ad Danielem Stahlium, M. Nicolaus Eccartus, Paſtor Sunthuſanorum ablegavit. Sic Gotha ad Salanam noſtram abiit Dominica IV. Adventus, quamqve ipſi D. Zacharias Brendelius, Prof. Medicus committebat, capeſſere cœpit informationem, qva tamen poſt ſemeſtre valetudinis cauſa ultro ſe abdicavit. Quo facto, ab ore Profeſſorum, qvi tum publice privatimqve legebant, eo diligentius

tius pependit, ac *de Relatis*, præside Stahlio, diſputavit. Cum per triennium Jenæ hæſiſſet, Erfurtum petiit anno CIↃ IↃC XXXIV. ubi Rex Sveciæ, Academiam antiqvitate inclutam, ſed per temporis injuriam prope collapſam, inſtauraverat. Hic Heſſus pædagogiam exercens, parce ac duriter vixit. Sic tamen per continentem induſtriam in ſtudiis profecit, ut etiam diſputationem de dicto Genes. IV. *Concepi virum Dominum*, ſcribens, eandem Præſide D. Groſhemio publice propoſuiſſet, niſi graviſſimo præpeditus morbo fuiſſet. At prius qvam in hanc ægritudinem incideret, diſputationem phyſicam proprio Marte conſcriptam habuit, præſide Henrico Schwartzio. Hinc qvadriennio, ex qvo in Academiis vixit, elabente, juſſu matris, domum reverſus, liberos informare cœpit Reinhardi Wilhelmi a Wangenheim, militiæ tum Commiſſarii. Et hanc qvidem provinciam ea accepit mente, ut in habendis ad populum ſactis ſermonibus experiretur, qvid valerent humeri, qvid ferre recuſarent. Atqve hoc faciebat ſedulo, ut qvamprimum id fieri poſſet, in Eccleſiaſtica ſparta Deo inſerviret. Neqve de ſpe decidiſſet ſua, niſi id prohibuiſſent fata, qvibus ſcholæ deſtinatus, & aliæ, qvæ tunc temporis oriebantur, turbæ a Witſtockienſi prælio. Et jam, opera imprimis laudati Wangenhemii, Senioris tum temporis ſtirpis Wangenhemiæ, & Balthaſaris Gvaltheri, Antiſtitis Gothani, deſignatus erat vicarius ſucceſſor Meifarti, qvi ſenio confectus in Haina Eccleſiaſten agebat. Quod autem peſtis atrociter ſæviret, ac Nobilis cum familia aliisqve fugam arriperent, de ſui miſſione Dominum ſollicitavit, eamq; difficulter aliis intercedentibꝰ impetravit: cum non ab eruditione liberorum modo, ſed & a ſcriptionibus laudato Nobili eſſet. Interea cum tantis ſæpe periculis conflictatus eſt (ſingulares qvasdam tentationes prætereo:) ut de vita aliqvoties magnopere periclitaretur. Ita tamen ex omnibus ſemper emerſit, ut Deo ſingulariter curæ ſe cordiqve eſſe crediderit. Poſtea vero quam omnibus defunctus malis per divinam providentiam fuit, reli-

qvum

qvum vitæ ſtudio, qvod hactenus varia turbarunt, Philologico-Theologico tribuebat : idqve promovebat magis, qvæ non ſine Numine ipſi obtigit, informatio filiorum Academicis proximorum Johannis Henrici Kohlhanſii, Juris Vtriusqve Licentiati, Conſiliarii itidem Saxonici, & Qvæſtoris provincialis. Infucata ejus pietas, ſingularis modeſtia, rara comitas, & qvæ præ ceteris tunc emicabat, in Philologia eruditio, magnetis inſtar, ad amorem ejus trahebat Kohlhanſium, hujusqve conjugem, ut omnia quæ turba latronum ipſi eripuerat, ſive veſtes, ſive libri forent, ſua compenſarent liberalitate. Hinc anno CIƆ IƆCXXXVII. XIX. Septembris ab Inſpectoribus Gymnaſii, Weitzio inprimis patrocinante, Prorector ſalutatus eſt. Qvamvis autem ad Rectoratum ſcholæ Ordruvianæ, & Andreæ Reyheri, qvondam ſcholæ Senatoriæ Luneburgi Rectoris inſtinctu, ad Prorectoratum laudatæ ſcholæ invitaretur, maluit tamen patriæ tot beneficiis de ſe meritæ opem ſuam addicere. Poſt multorum annorum decurſum Reyhero Rectori vita functo ſucceſſit anno CIƆ IƆC LXXIII. die XII. Junii. eamqve Spartam hactenus pro viribus a Deo conceſſis ornavit ſummopere. Anno CIƆ IƆC XXXVIII. die XV. Aprilis uxorem duxit *Annam Eliſabetham*, Viri Clariſſimi, Michaelis Wolfii, olim Profeſſoris noſtratis, filiam, Andreæ Wilckii neptem. Et fuit hoc conjugium, ſi concordaim nunqvam diſcordem ſpectes, ex utriusqve animi ſententia. In eo tamen expectata caruit felicitate, quod ſacer liberorum denarius præmaturo fato excederet vita, adeoqve incredibili luctu domum Heſſianam impleret. Fuit in his filius Andreas, ſummæ exſpectationis, qvi anno CIƆ IƆC XLI. genitus, jam ſupremorum in jure honorum proximus candidatus, ex Altorfina ad cœleſtem Academiam evocabatur anno CIƆ IƆC LXIV. die XX. Decembris : poſtqvam Jenæ Philoſophiæ & Tubingæ Jurisprudentiæ operam novaſſet ſedulam, & teſte ICtorum Ordine, Diſputationem ſuam maſcule (ita loqvuntur) defendiſſet. Valetudine etiam Heſſus noſter aliqvoties uſus
eſt

est incommoda, sed liberatus ab omni malo egregie fuit Qvod ad totius vitæ rationem attinet, integra semper illa fuit ac honesta: &, ut paucis eloqvamur, pie in Deum vixit, liberaliter erga egenos, amice cum Collegis: ac, qvod maximum, Christianum re magis, qvam nomine egit. Anno CIↃ CIↃ CLXXXVIII. die XII. Aprilis dulcissimam conjugem, & cum ea fulcrum senectutis optimum amisit. Hæc tamen cum illustri exemplo præluxisset, imo vero lampada ei tradidisset, de testamenti tabulis rite conficiendis cogitavit sedulo, ac deniqve rem ita constituit, ut scholæ Præceptores, discipuli, aliiqve egeni summopere sibi in posterum habuerint gratulari. Interea Deum obnixis rogabunt precibus, ut diutius servet ac conservet Senem optimum, qvo, si vires corporis defecerint magis, ac a scholicis laboribus revocaverint; sanctis tamen consiliis, scholasticæ, ac universæ rei literariæ, salutarem ferre possit opem. Atqve id ipse etiam ex animi sententia opto, voveo, precor.

COLLABORATORES
IN CLASSE SELECTA.

M. Martinus Hanckius.
Vir variis eruditissimisqve scriptis in lucem editis celeberrimus, Vratislaviam vocatus an. 1658. ubi nunc Elisabethani Gymnasii Rector, ceterarumqve Scholarum Inspector est.

M. Iohannes Rosenberg, Lusatus.
Vocatus 1661. Iampridem Rectorem agit Gymnasii Budissini in Lusatia.

M. Heinricus Arstenius, Mündanus.
Vocatus 1672. postea Pastor Buslebianus.

M. Iohannes Heinricus Rumpelius.
Vocatus 1674. Vir excellenter doctus, ac de Gothano Gymnasio summe meritus.

CONRECTORES.

I. *M. Cyriacus Lindemannus.*
II. *M. Martinus Willichius.*
III. *N. Decerius.*
IV. *M. Christophorus Winerus*, Poëta Laureatus, postea Pastor Sunthusinus.
V. *M. Iohannes Schildius*, post scriba Senatus.
VI. *M. Iohannes Wipertus.* 1592. dein Pastor Sunthusii.
VII. *Nicolaus Friede.*
IIX. *Iohannes Leopoldus.* Obiit. 1599.
IX. *M. Bernhardus Glaserus*, Waltershusanus.
Postea Conrector Budissinus in Lusatia. Primam prælectionem habuit Gothæ 8. Ian. 1600.
X. *M. Iohannes Weitzius.*
XI. *M. Iohannes Strobelius.* Ab anno 1631. usque ad 36.
XII. *Iohannes Lutherus.*
XIII. *Georgius Hessus.* Vocatus 1637.
XIV. *Iohannes Schmidt.* Vocatus 1673.
XV. *M. Iohannes Buslebius.*
Antea Pastor in Girstet, tandem Adjunctus Mega-Corneræ.
XVI. *M. Iohannes Balthasar Strobelius.* Vocatus 1678.

CANTORES.

Ex his mihi innotuere seqventes.
Andreas Heinnerus. 1561.
Iohannes Eisenbergius.
Iohannes Bezelius.
M. Iohannes Lindemannus.
Vitus Theodoricus Maroldus. Vocatus 1631. Ob. 1666.
Iohannes Goldelius. Vocatus 1666. ob. 1685.
Iohannes Matthæus Schmideknecht. Vocatus 1686.

CAP.

CAPUT IX.
DE TEMPLO PAROCHIALI S. MARGARETÆ.

§. I.

QVando templum illud fuerit conditum, nondum ex tot ſcripturis antiqvioribus habui exſculpere. Anno tamen CIƆCCLIV. jam ſtetiſſe, ex Gerhardi Archiepiſco- 1254
pi Moguntini qvodam privilegio, monaſterio S. Crucis dato, colligo. Et qvia an. CIƆCCLVI. Heroldus, *Plebanus in* 1256
Gotha, laudatur, forte huic ædi fuit addictus.

§. II. Annis CIƆCCXCI. & CIƆCCCIV. Plebanus erat 1291
Chriſtianus (Kriſtanus) anno - XXVIII. & - an. XXXIII. *Conradus de Schonow*. 1304 1328

§. III. Anno laudato CIƆCCCXXXIII. novum altare 1333
Omnium Sanctorum fuit erectum, ejusqve primus Vicarius inſtitutus *Heinricus Wylleber*.

Sic enim Officialis Præpoſituræ S. Severi Erfurtenſis *ad diſcretum virum*, Plebanum Eccleſiæ S. Mariæ in Gotha ſcribit. *Ad altare Omnium Sanctorum Sancte Margarethe in Gotha, de elemoſinis pauperum de novo dedicatum & erectum pro perpetua Miſſa habenda Henricum dictum Wylleber Sacerdotem nobis per Conradum plebanum Eccleſie S. Margarethe in Gotha preſentatum proclamatione protinus facta inveſtimus in Dei nomine in his ſcriptis, idem vobis diſerte precipiendo mandamus, qvatinus ipſum ducatis in poſſeſſionem ipſius altaris ceu Vicarialem. - Datum - - Idus Iunii.*

§. IV. Anno CIƆCCCXXXVII. Heinricus de Kinthele- 1337
ben, Vicarium novi altaris SS. Petri ac Pauli, ceterorumqve Apoſtolorum inſtituit: id qvod nomine Heinrici Archiepiſcopi confirmant Lupoldus de Bebenburg, Præpoſitus S. Se-

 veri

veri Erfurti, & Conradus de Spigelberg, Canonicus Aſchafenburgenſis.

Ex horum ſcripto nonnulla afferam. *Lupoldus de Bebenburg Prepoſitus S. Severi Erford. & Conradus de Spigelberg Canon. Aſchaffenburgenſis Eccleſiarum, Commiſſarii Henrici Archiep. Moguntini in ſpiritualibus per Thuringiam & Haſſiam ſpecialiter conſtituti - recognoſcimus, quod nos inſtaurationem beneficii Eccleſiaſtici altaris in honorem beatorum Petri & Pauli ac omnium Apoſtolorum dedicati, nec non in Eccleſia S. Margarethe in Gotha ſiti, & pro ſuſtentatione unius ſacerdotis - per Albertum quondam plebanum in Kyntleiben ſacerdotem cum annuis reditibus - dotati, cujus jus patronatus ſeu jus preſentandi ad plebanum ſeu rectorem dicte parochie Eccl. S. Margar. qui pro tempore fuerit, dinoſcitur pertinere, auctoritate ordinaria Domini noſtri predicti nobis in hac parte commiſſa absque ſepedicte Eccl. S. Marg. ac cujuslibet alterius juris prejudicio alieni in Dei nomine preſentibus approbamus. Datum Erfordie feria III. ante Nativitatem Domini* MCCCXXXVII.

1342 §. V. Anno CIƆCCCXLII. & ſeqventibus Plebanum egit Nicolaus: qvi in Notitia qvadam ſeipſum vocat, *verum Paſtorem Eccleſiæ S. Margaretæ in Gotha.*

1344 §. VI. Anno CIƆCCCXLIV. Heinricus Abbas Reinhartsbornenſis, & Proviſores ædis S. Margaretæ, cenſus qvosdam invicem commutant.

Id qvod teſtatur ſeqvens Abbatis Notitia. *Nos Heinricus Dei gratia Abbas & Conventus monaſterii in Reinhersborn recognoſcimus publice in his ſcriptis, quod conſiderata Eccleſiarum noſtre & ſancte Margarethe in Gotha congruentia utrobiqve in reſtaurum decem ſolidorum, duorum pullorum & unius auce de curia ad dotis curiam dicte Eccleſie edificatam procedentes tres ſolidos denariorum de curia dicte Wintzen, & duos ſolidos denariorum de dimidio manſo, qvem poſſidet Conradus dictus Greſſer, item duos ſolidos de tribus agris cum dimidio, qvos poſſidet Conradus de Weſthuſin ſenior ſimiliter annis ſingulis procedentes juſto interveniente concam-*

bio

bio acceptavimus decem & octo solidos denariorum Gothensium, qvi prius annis singulis provisoribus dicte Ecclesie sancte Margarethe solvebantur de curia versus cymiterium & chorum Ecclesie jam dicte curie nostre contigua, qvam nunc sorores de Thuteleiben inhabitant, acceptamus presentibus prescriptum nostre proprietatis censum in dictos provisores cum effectu debito presentibus transferentes per expressum concambium Domini Heinrici Decani & Officialis Prepositure Ecclesie sancti Severi Erfordensis consensu auctorizando & testimonio confirmando. Et nos Heinricus Decanus & Officialis predictus recognoscimus, qvod ad preces eorundem Domini Abbatis, Conventus & Domini Nicolai plebani ac provisorum Ecclesie memorate pretactum concambium auctorizavimus & sigillum officialitatis nostre predicte in testimonium premissorum omnium apposuimus huic scripto, sub anno Domini millesimo, CCCXLIIII. V. *Kalend. Octobris.*

§. VII. Nicolaus ille Plebanus, una cum Heinrico, Decano Ecclesiæ S. Crucis in Northausen, novum altare in æde sua condidit: cujus Vicarium Gerlacus Archiepiscopus Moguntinus confirmat an. - LIX. Nicolai memoria superat 1359
anno - LXIII. 1363

§. VIII. Anno CIƆCCCLXXXIV. Balthasar Landgravius 1384
monasterio S. Crucis dedit jus patronatus ædis S. Margaretæ, pro jure patronatus Ecclesiæ S. Mariæ in monte, Decano & Canonicis anno - LXXXVI. reddito. 1386

Exstat ea de re Notitia Balthasaris Landgravii, longior illa qvidem, sed multis memorabilibus distincta, ac ob id digna admodum, qvæ integra afferatur. *Nos Balthasar Dei gratia Landgravius Thuringie & Marchio Missenensis harum literarum serie profitemur & recognoscimus pro nobis & successoribus nostris & ad universorum notitiam tam presentium qvam futurorum cupimus pervenire, Qvod nos pio zelo moti ad laudem Dei & ob reverentiam vivifice Crucis & ob spem divine remunerationis animeqve nostre & nostrorum heredum & successorum ac progenitorum nostrorum salutem, & ad augmentationem cultus divini Ius patronatus & presentandi qvod nos habemus & progenitores nostri habuerunt in Ecclesia pa-*

parochiali Sancte Margarete sita in opido nostro Gotha Maguntin. Dyoces. seu ad eam seu qvodcunqve aliud jus Religiose nobis in Christo dilecte sacriste monasterii monialium sancte Crucis siti extra muros dicti opidi Gotha ac seniori Vitrico prefate Ecclesie parochialis S. Margarete qvi nunc sunt & qvi erunt pro tempore pro nobis & nostris heredibus & successoribus qvibuscunqve ac nominibus nostris etiam de consensu & voluntate nobis dilecte Margarethe Landgravie conthoralis nostre in perpetuum & irrevocabiliter & ex nostra certa scientia damus, concedimus & assignamus & in eas transferimus per presentes literas natis & heredibus nostris sive successoribus nihil juris sive potestatis ac superioritatis in dicta ecclesia ac jurium & pertinentiarum fructuum reddituum & proventuum - - - reservantes. Ita sane qvod Abbatissa & Conventus prefati monasterii monialium sancte Crucis qve nunc sunt & qve erunt pro tempore in relevamen paupertatis ac onerum suorum & ut melius possint sustentari & commodosius altissimo puro corde valeant servire & diuturnis obseqviis intendere sibi & mense earum communi possint & valeant incorporationem appropriationem & unionem dicte Ecclesie nec non omnium & singulorum fructuum, reddituum, jurium, obventionum, proventuum qvorumcunqve Ecclesie ejusdem procurare & obtinere in usus suos perpetuis temporibus retinendos & convertendos. Ad hoc nostram pro nobis & successoribus nostris sive heredibus qvibuscunqve ipsis dedimus & concessimus ac presentibus concedimus & damus liberam licentiam & potestatem qvantum possumus, & in nobis est dabimus operam efficacem, ut hujusmodi unio suum sortiatur effectum impedimento sive occasione & contradictione qvibuscunqve non obstantibus, Volentes insuper ac decernentes qvod sacrista & senior Vitricus Mon. & Ecclesie predictarum qvi nunc sunt & qvi erunt tempore procedente vel decedente, Rectore sive plebano dicte Ecclesie parochialis sancte Margarete qvi nunc est debent & tenentur simul dolo & fraude penitus exclusis mox presentare unam personam ydoneam actu in sacerdotio constitutam ad curam & regimen dicte Ecclesie, Abbatisse & monialibus dicti monasterii ac majori & saniori parti earundem aptam & convenientem pro qva duximus intercedendum sive humiliter supplicandum perpetuis temporibus qvotiens oportunum fuerit dictis Abbatisse & monialibus visura fuerint expedire. Verum

rum si persona sic presentata ad curam & regimen dicte Ecclesie Abbatisse & monialibus ac conventui se redderet onerosam & ingratam, vel qve contraire presumeret, ac qvovis modo infringere vellet jura, libertates, donationes, concessiones dicto monasterio ac Abbatisse & monialibus sive conventui communiter vel divisim factas vel fiendas per qvascunqve personas qvavis occasione vel causa, qvod ex tunc Sacrista & Vitricus predicti qvi sunt & qvi erunt pro tempore ad reqvisitionem prefate Abbatisse & monialium vel majoris partis & sanioris earundem excusationibus occasionibus, allegationibus, dilationibus seu contradictionibus qvibuscunqve non obstantibus ymmo semotis & postpositis debent & tenentur illam personam amovere & deponere ac revocare, & loco ejusdem aliam personam ydoneam juxta modum & formam prescriptas ad regimen & curam dicte Ecclesie presentare & deputare, & hoc tociens qvociens fuerit oportunum perpetuis temporibus & casus prescriptus occurrerit sive evenerit. Nos etiam promittimus per presentes literas bona fide contra premissa vel aliqvid premissorum perpetuis temporibus non venire vel facere qvovis modo. Insuper decrevimus & ordinavimus, qvod deputatio & ordinatio & constitutio, nec non destitutio & amotio Vitricorum sive Altermannorum dicte Ecclesie parochialis sancte Margarethe in antea sit in potestate & dispositione Abbatisse & Conventus predictorum tociens qvotiens opus fuerit & ipsis placuerit & videbitur expedire, conditionibus, reclamationibus seu impedimentis parochianorum dicte Eccclesie non obstantibus. In qvorum omnium & singulorum testimonium & robur perhenne & pro confirmatione & approbatione omni prescriptorum & in eorum signum presentes literas dedimus & damus prefatis Abbatisse & Conventui ac eorum monasterio, nec non Sacriste & Vitrico prescriptis nostro majori sigillo inpendente munitas sive roboratas. Hujus nostre donationis, concessionis & assignationis testes sunt Nobiles & strenui nostri fideles nobisqve in Christo dilecti & devoti religiosi infrascripti videlicet Ernestus Comes de Glichen Senior, Ludevicus Abbas in Salvelt, Heynricus Abbas in valle S. Georgii, Theodericus Berenwald noster Marschalcus, Otto dictus Lyligenberg, & Kristanus Scharphensteyn, & qvamplures alii fide digni. Acta sunt hec in castro opidi nostri predicti Gotha,

an-

anno Domini milesimo tricentesimo octuagesimo qvarto, feria sexta proxima post festum S. Michaelis Archangeli. Superat etiam Gertrudis Abbatissæ hac de re Notitia die S. Matthæi Apostoli perscripta, ut & Vrbani Papæ confirmatio data *apud Papæ castrum civitatis Luceriæ Christianorum 15. Kl. Maji, Pontificatus anno septimo.*

1388 §. IX. Anno CIƆCCCLXXXVIII Hermannus de Wolffhayn parochus; *Vitrici* autem, hoc est, procuratores hujus Ecclesiæ erant Heinricus Rucheri, Presbyter, & Gerhardus Sculteti, civis Gothanus.

Vide supra cap. V. *de Monasterio S. Crucis §. 136. pag. 143.*

1392 §. X. Anno CIƆCCCXCII Vicariæ hujus ædis, earumqve census ac reditus omnes consignata sunt.

Liber membranaceus, in qvo hæc consignata, dictus fuit Das Præsentien-Buch/ ad qvem anno 1493. provocat in supplicibus ad Iohannem Saxoniæ Ducem, Iohannes Köttelingius, Vicarius altaris B. Virginis.

1404 §. XI. Anno CIƆCCCCIV. Heinricus de Schonerstet, novus Plebanus Gertrudi Abbatissæ S. Crucis pollicetur partem collectarum in æde S. Margaretæ reddere.

Qvia instrumentum Notarii hac de re confectum in manus meas venit, ac inter alia ostendit, qvod Ecclesia S. Margaretæ monasterio S. Crucis unita, ac, ut loqvuntur Canonici Doctores, incorporata fuerit, æqvum censui, id ipsum cum lectore benevolo communicare.

In nomine Domini, Amen. Anno a nativitate ejusdem millesimo quadringentesimo qvarto, Indictione duodecima Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & Domini mei Domini Bonifacii digna Dei providentia Papæ noni anno suo qvintodecimo, die Mercurii, qve fuit qvartadecima mensis Maji hora vespertina vel qvasi in claustro cenobii sancte Crucis extra muros opidi Gothens, ordinis Cisterciensis Magunt. Dioc. in comodo (forsan *domo*) *estivali Reverende & Religiose Domine Gerdrud Abbatisse claustri memorati in presentia ejusdem Domine Abbatisse atqve mei Notarii publici & testium infra scri-*

scriptorum ad hec specialiter rogatorum personaliter constituti discretus vir Henricus de Schonirstete presbr. ad perpetuam Vicariam Ecclesie sancte Margarete in Gotha predicto monasterio legitime unitam & incorporatam ex tunc vacantem virtute prefate unionis & incorporationis legitime provisus intuitu relevationis & subsidii sibi ex monasterio a dicto proviso pretextu ipsius incorporationis fiendi cum dicta Domina suo & Conventus sui nominibus rite ac juste convenit in hunc modum, videlicet quod ipse Dominus Henricus perpetuus Vicarius de ipsa parochiali Ecclesia seu perpetua Vicaria tempore sui Regiminis perpetuo singulis annis in sancte Walpurg festis ipsis Abbatisse & Conventui pro tempore existentibus debebit & tenebitur omnia & singula offertoria singulis diebus per annum hunc in dicta Ecclesia a Christi fidelibus qvomodolibet oblata medio suo juramento prestito & præstando si eisdem visum fuerit integre semota qvalibet difficultate presentare & congrue reddere eorundem rationem, ceterasqve obventiones & qvestus presentiarum vel distributionum cottidianarum sibi pertinententium funeralium, & aliarum qvarumcunqve mencionatus Dns. Henricus colliget, vendicabit sibiq; retinebit ad qvas qvidem obventiones augmentandas pro majore sua sustentatione Abbatissa & Conventus predicti dabunt & dare tenebuntur prefato Domino Henrico Rectori singulis annis facta sua ratione decem sexagenas grossorum usualium, & si moneta pro nunc tunc temporis continget meliorari, tunc loco illorum decem sexagenarum dabuntur sibi ab eisdem qvindecim libre denariorum pro tunc usualium qvibq talentis cum premissis emolumentis pro omni cura & rectura contentus stabit, & contentari debebit, Subsidia Papalia, Episcopalia, vel Imperialia ipsum monasteriũ procurabit. Etiam si dictum Dominum Henricum continget ultro ipsam Ecclesiam resignare, per hoc ipsum cenobium ipsiusqve incolas ac dictam Ecclesiam cum suis parochianis penitus debebit illesos & indempnes conservare. Que omnia & singula dicte partes mutuo ultro citroqve sibi invicem me Notario subscripto stipulate fide prestita manuali servare promiserunt inconvulse, nec aliqvo ingenio, studio vel cautela per se vel interpositas personas occulte vel manifeste contravenire seu contravenienti qvomodolibet consentire sub fide data prelibata. Super qvibus omnibus & singulis dicte partes sibi per

me Notarium publicum petierunt fieri unum vel plura publica predictorum contractuum instrumenta. Acta sunt hec ubi supra presentibus honorabilibus & discretis viris, Dominis fratre Iohanne Grubener Preposito monasterii ante dicti, Conrado Teischer, Hermanno Wolfhain Canonicis Ecclesiæ sancte Marie Gothensis & Gunthero plebano in minori Varila, testibus ad premissa vocatis specialiter & rogatis.

Et ego Fridericus Medici de Gotha clericus Maguntin. Dioc. publicus Imperiali auctoritate Notarius, quia conventionibus contractibus & promissionibus aliisqve omnibus & singulis premissis prout suprascribuntur agerentur una cum prenominatis testibus presens interfui, eaqve omnia & singula sic fieri vidi & audivi, & in hanc publicam formam manu mea propria scribendo redegi signoqve & nomine meis solitis & consuetis signavi rogatus & reqvisitus in testimonium omnium premissorum.

1410 §. XII. Anno CIↃCCCCX. Nicolao de Cassel, Plebano Ecclesiæ S. Margaretæ demortuo, ex decreto Iohannæ Abbatissæ, ceterarumqve monialium S. Crucis, succedit Henricus Frisen.

Qvem seqventi epistolio Officiali Erfurtensi commendat Abbatissa.

Honorabili Viro Domino Officiali Prepositure Ecclesie Sancti Severi Erffurdens. Iohanna Abbatissa, Katherina Priorissa, totusqve Conventus monasterii sancte Crucis extra muros opidi Gotha Cistercienfis Ordinis qvidqvid poterit reverentie & honoris. Ad perpetuam Vicariam Ecclesie beate Margarete in dicto opido Gotha vacantem ex obitu discreti viri Domini Nicolai de Cassel presbyteri ultimi Rectoris ejusdem, cujus jus patronatus seu presentandi, ad nos pleno jure dinoscitur pertinere, discretum virum Dominum Heinricum Ffrysen presb. cui dictā ecclesiam pure propter Deum contulimus, vobis presentamus in hiis scriptis supplicantes, qvatenus eundem ad dictam perpetuam Vicariam investiri dignemini, adhibitis circa hec solempnitatibus debitis & consuetis. Datum nostro sub sigillo sub anno Domini millesimo qvadringentesimo decimo, feria tertia proxima post diem sanctorum Fabiani & Sebastiani Martyrum. Prius autem qvam commen-

mendatum investiret Officialis, sic scripsit ad Presbyteros Ecclesiæ S. Mariæ. *Qvia nobis non constitit, neqve constat, an alicujus alterius intersit presentare, Qvare vobis mando, qvatenus die sabbati proxime venienti & dominico die proxima seqventi de dictis presentationibus ac presentato dicte Vicarie proclamationis literam faiatis, citatisqve omnibus & singulis, si qvi sint qvi sua in eodem dixerint vel crediderint interesse, ut feria tertia proxima post Dominicam Exurge compareant coram nobis in judicio, docturi & allegaturi de suo jure. - - Datum anno Domini* MCCCCX. *feria qvinta post Dominicam Circumdederunt.* His vero literis seqventia subscripta reperi. *Et ego Hartungus Subrector Ecclesie S. Marie fateor me hujus processus executionem fecisse Dominica Exurge. In cujus testimonium sigillum meum presentibus est appensum.*

§. XIII. Absque hujus Plebani consensu, ne Presbyteri (ut vocantur) *Terminarii*, & fratres Minorum Ordinis, in Ecclesia S. Margaretæ sermones ad populum facerent, severe prohibuit Officialis Erfurtensis.

Dignum hoc est argumentum, qvod ipso Officialis scripto confirmetur.

Officialis Prepositure Ecclesie Sancti Severi Erffurdens. discretis viris plebanis Ecclesie sancte Marie in Gotha, ceterisqve plebanis & Ecclesiarum rectoribus, cappellanis, curatis & non curatis, nec non presbiteris, clericis & notariis publicis per terminos dicte Prepositure utiliter constitutis salutem in Domino. Pro parte venerabilium in Christo Dominarum Abbatisse & Conventus monasterii sancte Crucis extra muros Gothenses Cistercienfis ordinis, nec non providi viri Domini Henrici Ffiysen plebani Ecclesie S. Margarethe Gothen. fuit nobis cum qverela expositum, qvod nonnulli presbyteri terminarii predicatores & fratres minorum ordinis in dicto opido Gothensi, preter, imo contra voluntatem predictorum Abbatisse & Conventus ac plebani in eadem Ecclesia S. Margarethe officium predicationis usurpant, & inibi etiam illis loco & tempore, qvibus ipse plebanus predicare & populo jure parochiano sibi subjecto dominici verbi pabulum seminare vellet & deberet, predicare presumunt. Sumus igitur pro parte dictarum Abbatisse Conventus & dicti Domini Henrici plebani cum in-

instantia debita reqvisiti, ut ipsis super premissis de optimo remedio providere dignaremur. Qvapropter discretioni vestre presentium tenore committimus, & districte precipiendo mandamus, nostro ex officio, qvatenus vos vel qvicunqve vestrum super hoc fuerint reqvisiti, per vos vel alium seu alios omnes & singulos hujusmodi presumptores, qvi vobis vel alicui vestrorum prelatorum presentium ostensi vel nominati fuerint, de qvorum nominibus & cognominibus nos debite certificari curetis, ex parte nostra, primo, secundo, tertio & peremptorie moneatis, eisqve nihilominus in virtute sancte obedientie, & sub excommunicationis pena, qvam canonica ratione premissa in vos & eorum qvemlibet verius in hiis scriptis inseri feceritis, qvod mandamus districte inhibeatis, precipiatis & mandetis, qvibus & eorum cuilibet nos etiam tenore presentium inhibemus, precipimus & & mandamus, ne in dicta Ecclesia S. Margarete Gothensi qvoqvomodo aut qvocunqve tempore predicare aut proponere verbum Dei audeant, nisi a predicto Domino Henrico plebano invitati fuerint vel vocati, aut de ipsius beneplacito & assensu seu ab eo petita licentia fuerit & obtenta, nisi forte causam seu causas rationales habeant, & super hoc ab eo qvi pt. specialiter privilegiati existant, qvas causas & qve privilegia infra sex dierum spacium post monitionem hujusmodi eis vel eorum alteri factam coram nobis proponere & allegare procurent. Alioqvi contra eos & eorum qvemlibet, ut juris & rationis fuerit, procedemus, eorum absentia seu controversia non obstante diem monitionis & inhibitionis hujusmodi atqve forma, & qvidqvid in promisis feceritis, nobis remisis presentibus fideliter nunciari curetis. Datum anno Dni millesimo qvadringentesimo decimo, VI. Kl. Iul.

1428 §. XIV. Anno CIↃCCCCXXVIII. Christianus Alsvelde, & Heinricus Schmidt de Wartza; annis L. LI. Hartungus Winter, & Iohannes Wagner; an. LVIII. Iohannes a Berge & Bartholomæus Ihon; an. LXVII. Christianus Eschvvege, & Helvvigius Eisfeld; an. XCIII. Apel Teibach, & Iohannes Friede; item Andreas Linse; an. CIↃIↃI. Iohannes Ihon, & Ioh. Reuber, procuratores hujus ædis (Altar-Leute) fuerunt.

§. XV. Anno CIↃCCCCXLIV. Fridericus Sömmerde, 1444
Vicarius B. Virginis ad S. Margaretam laudatur. An.-LXIV. 1464
Conradum Iſengrave, & an. LXVII. Iacobum Michaelis, Vi- 1467
carios reperio. An-LXIX. Parochus erat Iohannes Ferber, 1478
Vicariorum unus Guntherus Baſel. An. LXXVIII. Stephanus
Muſſel inter Vicarios locum habuit. An. - LXXXII. Her- 1482
mannus a Northauſen & an. CIↃ IↃ. Martinus Frundſtet 1500
poſſeſſores fuerunt *Vicariæ Corporis Chriſti.* Sic Heil-
manus Zwillingius per XXVIII. annos; Albertus Biderman-
nus per ſexennium, & ultra, *Vicarii altaris S. Mariæ* fuere.
Huic ſucceſſit Johannes Kottelingius.

Is ſingulis hebdomadis quinque miſſas habuit. An. 1493. vocat ſe *pauperem claudum ſacerdotem.* Præterea Heinricus Burchardi Vicarius altaris S. Margaretæ fuit an. 1509. & 1512. An. 1492. Johannes Reinberger dicitur *Cellarius Vicariorum S. Margaretæ.*

§. XVI. Jam medio ſeculo XV. Schola ad ædem S. Margaretæ erat fundata: cujus Rector an. CIↃCCCCLXXVIII. *Conradus* quidam, & an. XCII. & ſeqventibus fuit *Theodericus.*

Conradus ille *Rector parvulorum* vocatur. Item *Conradus* wie in den freyen Künſten Meiſter/auch derſelben Kirchen jetzund Schulmeiſter. Sic Theodericus audit *Rector & informator parvulorum in Gotha:* nec non, *Rector ſcholarium.*

§. XVII. Ann CIↃIↃVII. & ſequentibus Plebanus e- 1507
rat Johanues Reinber, alias *Tambach* dictus.

§. XVIII. Anno CIↃIↃXXIII. jus patronatus parochiæ 1523
S. Margaretæ, a Margareta Abbatiſſa ceteriſque moniali-
bus S. Crucis, Saxoniæ Ducibus reſignatum, Senatui Go-
thano fuit redditum, die Mercurii poſt Pentecoſten.

§. XIX. Plebanorum Pontificiorum ultimus, ſed & inter primos Evangelicæ veritatis confeſſores fuit Jo-

 han-

1536 hannes Langenhain anno CIↃIↃXXXVI. mortuus. Lapidi sepulchrali sequens incisa fuit inscriptio.

Sub me Johanne Langenhain hujus Ecclesiæ Pastore cœpit mea opera & diligentia reflorescere Evangelii doctrina sincerior huic urbi anno Christi 1522. Nunc spiritus meus cum Christo vivit, caro autem mea hunc sub lapidem posita in spe beatæ resurrectionis reqviescit. Anno M.D.XXXVI die 24. Novembris.

§. XX. Neque tamen ipse Langenhainius docuit Evangelium, sed vicariorum opera usus est, primo Johannis Schnelingii, alias Chiomusi dicti, qui postea Pastorem egit Frimariæ: deinde Johannis Eisenbergii.

Nimirum Ordo Visiationis anno 1528. ipsi relinqvit universum salarium parochiæ, ita tamen ut parochianis de idoneo Diacono prospiciat, qui pure doceat, ac Sacramenta rite administret, eidemque sexaginta florenos de suis reditibus solvat. Atque hoc ipsum confirmat Ordo Visitationis anno 1534. die Lunæ post Purificationem B. Mariæ.

1538 §. XXI. Anno CIↃIↃXXXVIII. Heinricus Thilo, Diaconus senior Gothanus reditibus Vicariæ S. Barbaræ & S. Thomæ in æde S. Margaretæ ad vitam auctus est. Collator erat Matthæus a Stotternheim.

Cum autem hic Vicariam illam a morte Langenhainii, commendasset Nicolao Brunoni Canonico Erfurtensi, ægre id ferentes Myconius Superintendens, & Senatus Gotha-

thanus, apud Johannem Fridericum Electorem, & Philippum Comitem Glichensem de Stotternheimio anno superiori qverebantur. Sed controversia hoc ipso anno composita est Weissenseæ, die Martis post Dominicam Exaudi, ac laudato Thiloni Vicariæ reditus fuere adscripti.

§. XXII. Circa annum CIƆIƆX. ædes S. Margaretæ noviter cœpit exstrui, sic ut ad annum CIƆIƆXVI. tectum ei imponeretur. Jamque etiam fundamenta novæ turris erant jacta, cum Evangelica reformatione incipiente, hæc structura quiesceret ad annum - XXXIII. Ab hinc usque ad annum - XLII. accedente tum totius Senatus, tum 1542
imprimis Henrici Osvvaldi Cos. Diterici Dunckelii, Justique Poppii, Senatorum cura, in tantum excrevit turris, ut vigiliæ in eo agi, & campanæ suspendi possent.

§. XXIII. Anno CIƆIƆLXXV. major campana hujus 1575
templi ab Eccardo Köchero fundebatur Erfurti. Hæc, qvod ob fissuram, nescio unde acceptam, incondite sonaret, anno - XCV. jussu Senatus, e turri ædis dejecta fuit, præsentibus aliquot spectatorum millibus: ac tum ex fragmentis, æreque alio nova campana fundebatur.

§. XXIV. Anno CIƆIƆLXXVII. XX. & XXI. Augusti 1577
Formula Concordia ab Augusto Electore Saxoniæ transmissa, in templo S. Margaretæ publice prælecta fuit. Ex Gothanis (In der Superintendentur Goten) subscripsere : *Johannes Frey*, *M.* Superint. *Johann* Messerschmidt : *M. Isaac Hoch* : *Ioannes Wolffram* : *David* Marterstecf : *Valentinus Oswaldus* : *Chilianus Genzel* : *Georgius Prætor.* Quæ quidem nomina comparent in aliquot editionibus *Formulæ Concordiæ*. Prælectione finita Canticum Ambrosianum fuit decantatum.

§. XXV. Anno CIƆIƆLXXXVIII. novum organum 1588
musicum in hac æde fuit erectum.

De eo singulare carmen scripsit *M. Christophorus Winerus*, quod in *Strena* ejus *Reusneria* an. 1589. excusa habetur.

1646 §. XXVI. Postqvam anno CIↃIↃCXLVI. in ferali illo incendio Gothano, templum S. Margaretæ penitus prope exustum, cum tempore luculentius ac elegantius constructum, ac novo suggestu, baptisterio, organo, aliisque ornamentis fuit auctum.

1657 §. XXVII. Anno CIↃIↃCLVII. Johannes Ernestus, Johannes Philippus, Johanna, & Sophia, Ernesti Pii liberi, in æde S. Margaretæ sepulti sunt.

1659 §. XXVIII. Anno CIↃIↃCLIX. XIX. Januarii Georgius Frantzkius, magni nominis Cancellarius, in eadem æde humatus est.

1660 §. XXIX. Idem exeunte anno CIↃIↃCLX. obtigit
1662 Iohannæ Elisabethæ, Ernesti Pii filiæ, annoque - LXII. Johanni
1663 Philippo filio; ac iterum an. - LXIII. Sophiæ Elisabethæ filiæ.

1675 §. XXX. Anno CIↃIↃCLXXV. IV. Junii ERNESTVS
1681 PIVS, annoque - LXXXI. XXII. Januarii vidua ejus Elisabetha Sophia, ac anni sequentis XXV. Junii horum filia Dorothea Maria, in hoc templo sepulti sunt.

CAP. X.

DE HOSPITALI DOMO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

§. I.

HOc Xenodochium, sive, ut fere vocatur, Hospitale (der Spital) in platea, der Briel vocata, situm, a S. Elisabetha Thuringiæ Landgravia conditum fuisse anno CIↃCCXXIX. supra *cap. II. §. III.* ex Dressero & Rittero monuimus.

§. II.

§. II. At ſi Notitiam fundationis intuemur, præcipuum auctorem habuit Ludovicum, Thuringiæ Landgravium, & Saxoniæ Comitem Palatinum, accedente matris, uxoris, fratrumq; ſuorum conſenſu.

Sic autem habet illa fundationis Notitia, cujus hæc a recentiori manu eſt inſcriptio,

Fundation oder Stifftbrieff / wie Landgr. Ludwig mit Bewilligung ſeiner Mutter und S. Eliſabeth das Spital zu Gotha geſtifftet.

In nomine individue Trinitatis. Ludovicus Dei gratia Thuringie Landgravius & Saxonie Comes Palatinus. Preſentis temporis generatio adeo vitio cupiditatis dignoſcitur ſubjacere, ut difficillime quis inveniatur, qui non ab ejus inquinamentis contaminari videatur: Et quia brevis eſt hominum memoria, ut ſepius legitime facta in oblivionem deducuntur, & invictorum malitia deleri attemptantur, Hinc inde preſentibus viſum eſt, ut pacta quelibet vel contractus que lapſu temporis vitiari cernuntur, ſcripture adminiculo perpetuentur. Omnibus ergo hanc paginam reſpecturis conſtare volumus, quod nos domum Hildegardis in Gotha ſponte offerentes Hoſpitale conſtituimus matris noſtre dilecte, & uxoris fratrumq; noſtrorum perfecto accedente conſenſu. Si quis autem prememorate domui pro ſuorum redemptione delictorum, domos aut curias civitatis reditus aliquos obtulerit, omni revocatione ſemota perpetualiter ſtabilimus. Ne vero hujusmodi donatio inpoſterum invidorum malitia ſeu oblivionis ignorantia valeat infirmari, preſentem paginam fecimus conſcribi, & ſigilli noſtri impreſſione roborari. Hujus rei teſtes ſunt Comes Ludovicus, Comes Burchardus, Albertus de Franckinſtein, & Syboto frater ſuus, Vlricus de Tulleſtet.

Dolendum autem non immerito, in hac ipſa Notitia omiſſam eſſe epochæ memoriam. Quin tamen fundator non alius fuerit, quam Ludovicus VI. S. Eliſabethæ maritus, Hydrunti anno 1228. mortuus, nullus propemodum dubito.

§. III. Etſi autem Ludovicus Landgravius præcipuus hujus Hoſpitalis fuit conditor, facile tamen par eſt credere, Eliſabetham ejus conjugem hoc inſtitutum ſingulariter promoviſſe, imo ipſum forte maritum ad hanc pietatem accendiſſe.

§. IV. Huc accedit, quod S. Eliſabetha paulo poſt obitum mariti, fratribus hujus Hoſpitalis a Gregorio IX. Pontifice impetraverit licentiam, ſacrarium in eo conſtruendi, cœmeterium ſingulare, ut & proprium ſacerdotem habendi.

Bullam Gregorii ſubjicio.

Gregorius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Venerabili fratri .... Moguntino Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex parte dilecte in Chriſto filie & relicte clare memorie Landgravie Thuringie fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut fratribus Hoſpitalis de Gotha, quod ab eodem Landgravio & matre ipſius fundatum extitit, conſtruendi capellam & habendi cemiterium & Capellanum in ipſa licentiam concedere deberemus. Nos autem tibi, qui loci Diœceſanus exiſtis, volentes in hac parte deferre, fraternitati tue per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eisdem poſtulata concedas ſine juris prejudicio alieni. Datum Peruſii VIIII. Kl. Martii Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Vidit etiam inſignis ille ICtus, Auguſtinus Schurfius, literas S. Eliſabethæ, quibus pauperibus urbis Gothæ (id de hoc Hoſpitali accipio) certos reditus donaverit. Legendum hic Schurfii, tum Rectoris Academiæ Wittebergenſis, Programma anno 1545. exaratum, *Tomo I. Scriptorum Wittebergæ publice propoſitorum.*

§. V. Novum illud Hoſpitale fuit commendatum fratribus S. Lazari: qui ſingularem pauperum ægrotorum curam habebant.

§. VI. Et his quidem fratribus S. Lazari hoc Hoſpi-
1262 tale anno CIϽCCLXII. confirmavit Albertus Landgravius, ac porro

porro eidem Hospitali dedit jus patronatus in villa Teutleben.

De eo superest sequens Alberti Landgravii præceptum.

In nomine Domini Amen. Albertus Dei gratia Thuringie Landgravius & Comes Saxonie Palatinus Vniversis Christi fidelibus quibus presens scriptum exhibitum fuerit, salutem in perpetuum. Cum humane conditionis memoria sit labilis penitus & inconstans, necesse est ut eidem scripturarum testimonio succurratur. Hinc est quod notum facimus universis litteram per presentem, quod fratribus sancti Lazari domus Jeresolm. omnem proprietatem ad domum Hospitalis Gotha spectantem litteris presentibus duximus confirmandam. Insuper recognoscimus tenore presentium, Litteram que eidem domui Hospitalis jus patronatus parrochie in villa Teiteleben dedimus volentes ut idem fratres post mortem parochiani nunc viventis se intromittant parochia de eadem, ordinantes de ipsa quod pro ipsorum utilitate & commodo sibi melius & fructuosius noverunt expedire. Hujus rei testes sunt Comes * *(Fridericus) de Bichelingen. Magister Gevehardus Canonicus Nuenburgensis. Dominus Volradus & Dominus Vlricus fratres de Koldiz. Dominus Fridericus Senior de Drivorde. Dominus Berthous Dapifer de Slatheim. Gerhardus noster Notarius & alii quam plures. In cujus rei testimonium presentem literam jussimus sigillari. Datum Gota anno Dni. M.CC.LXII. II. Non. Octobris.* ** *V. Indictione.*

* Hæc vox *Fridericus* omissa est in avtographo: sed restituta est ex Recognitione Lamberti Præpositi Erfurtensis. Sed & ** *Indictionis* memoria omissa est in avtographo, quam tamen habet Lambertus. Hæc autem sunt Recognitionis verba.

Nos Lambertus Dei gratia Prepositus Scē Marie Erforden. A. Abbas Scti Petri, E. Decanus totumq; Capitulum Sancte Marie in Erphordia Recognoscimus publice & protestamur, quod litteras subscriptas non cancellatas, non abolitas nec in aliqua parte sui vitiatas sub vera bulla vidimus in hec verba. In nomine Domini Amen. Albertus. —— *In evidentiam hujus facti pleniorem presens scri-*

ptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Anno ab incarnatione Domini millesimo ducentesimo septuagesimo tertio. In die beatorum Martirum Iohannis & Pauli.

§. VII. Anno CIↃCC. Wernerus a Schiferstein, Conradus de Altenmülhausen, ministeriales Imperii, & Iohannes de Botenstein, eorumq; hæredes, bona sua in Breitenbach, monasterio virginum ibidem dicarunt. Quia autem hoc monasterium per bellicos motus aliquoties destructum, eadem bona cum consensu Præpositi Ottonis, fratribus S. Lazari adscripta sunt anno CIↃCCLIII. cumq; de iis lites orirentur, Wicherus de Botenstein, ejus uxor Adelheidis, ac liberi, accepta pecunia, causæ renunciarunt anno CIↃCCLXXXVIII. Atq; hæc bona postea accepit Hospitale Gothanum.

De his supersunt tres antiquæ Notitiæ singulariter æstimandæ. Prior hæc est. *Notum sit omnibus presentem literam intuentibus, quod Wernerus dictus Sciverstein ministerialis imperii ac etiam Conradus de Aldinmulhusin, etiam ministerialis Imperii & Iohannes de Botinstein, omnesque heredes attinentes contulerunt curiam Bretinbeche cum omnibus attinentibus Ecclesie ibidem ad justam dotem. Et si quis super illam curiam resq, attinentes poscere habuerit, hoc nusquam nisi Mulhusen coram sede Imperii poscere debet: quoniam bona predicta ab hominibꝰ imperii processerunt. Ne autem huic facto in posterum oblivio valeat suboriri presens littera sigilli munimine civitatis in Mulhusen est roborata. Acta sunt anno Domini MIIC.*

Altera ita habet. *Cunradus de antiquo Mulhusen, Raboto de Diedorphen & sua uxor & predicti C. sorores Omnibus Xpi fidelibus prsentē litteram salm in Dno. Omnibus prsentē litteram inspecturis cupimus esse notum quod nos de comuni consēnsu & unanimi voluntate nra & eorū quorum assensus accedere debuit & voluntate PPositi Ottonis Ecclesiam in Breitenbechche cum bonis eidem attinētibus quam avunclus noster Wernherus Schiverstein ob reverenciā bē & gloriose virginis Marie quibusdā Scimōialibus assignaverat, in qua propter malorum insultꝰ & frequētem loci destru-*

ctiōm

ctõm divina officia esse nõ poterant ut debebãt in melius commutavimus Deo dante ipsam viris religiosis Sac· Ordinis Sčti Lazari in terre Scẽ subsidium & pro ejusdem Ecclesie reformatione assignavimus perpetuo absolute & libere possidendam. Testes hujus rei sũt Dominus H. Comes de Glichen. Camerarius de Mulhusen. Dominus Ioh. de Botenstẽ. Th. advocatus de Glichenstein & frater suus C. miles. Ekehardus Villicus filius Dne Anthonie. O. advocatus de Scharphenstan. Wikerus juvenis de Ammera F. Dne Trutlindis. H. de Dankelphesdorph. Th. Scultetus. H. filius Luprandi. H. de Begenrode. C. de Vrbeche & alii quãplures. Et ne hoc factum in posterum aliquorum temeritate possit in irritum revocari psentem paginam sigillo pdicti Comitis de Glichen & civitatis Mulhusen fecimus roborari. Acta sunt ano grẽ M· CC· Lııı· ıııı· Kal. May. Equidem hanc notitiam vel propter tot illustres testes in pretio habendam censeo. Quamvis sit dolendum, quod pro genio seculi complures tantum initiali litera sint expressi.

Sequitur tertia Notitiarum: *Presentium & futurorum utilitati consulitur, cum Rei geste ordo litteris & testibus confirmatuR. Hinc est quod ego Wickerus de Botẽstein & adelheidis uxor mea nec non filii mei. Iohanes. Theodericus. Godefrid9. Cũradus, Swicher9. & Guta filia mea ac universi heredes mei tenore presentium Recognoscim9 lucide protestãtes. Quod nos unanimi ɔsensu pari consilio oı. juri & actioni quam habebamus vel habere poteram9 in viros Religiosos ɔmendatorem & fratres de Bretinbeche & totum ordinem de scõ Lazaro propter bona que nobis cesserũt hereditario jure a cognatis nostris theoderico & fratribus suis de Helmboldisdorf abrenunciavimus principaliter propter Dominum. Acceptis nihilominus a dictis fratribus tribus marcis argenti. Ita quod fratres memorati bona pretacta libere perpetuo possideãt & quiete. Testes hujus Rei sunt Dns theodericus plebanus in onvelt, Heinricus Camerarius de Mulh. miles. Fridericus minor de Botẽstein. Albertus & Otto fratres. Rudolfus de Botẽstein. Hartungus de Kirchberc & alii quamplures. Vt autem hec que a nobis facta sunt firma perpetuo & inconvulsa pmaneãt. psentẽ litterã Dni Abbatis de Ryphenstein. Dni Heinrici Camerarii de Mulh. Hartungi de Kirchberg & nostro sigillis sepe-*

dictis Fratribus dedimus consignatā. Datum anno Dni M° CC° lxxxviii. xii.Kal.Februarii.
Ceterum de bonis his Breitenbacensibus eorumq; fortuna varia, alibi (si Deus faverit) pluribus dispiciemus.

1275 §. VIII. Anno CIↃCCLXXV. Bertrada de Tullstet, Hospitali pomarium legavit.

Notitiam Heinrici Commendatoris Provincialis fratrum S.Lazari subjicio. *Vniversis Christi fidelibus hanc paginam audituris Heinricus Commendator provincialis fratrum S. Lazari eternam spiritus jocunditatem in Domino Ihesu Christo. Ne acta in tempore collabantur cum tempore, debent scripturarum serie perhennari. Tam presentes quam futuros volumus non latere, quod Domina Bertradis de Tullestete Hospitali nostro in Gota pomarium in ejus anime remedium destinarit, conditione nichilominus adhibita, ut fratribus Heremitis ordinis S. Augustini loci prefati duo ex hoc talenta ceree in festo S. Michahelis jure censuali annis singulis solveremus. Vt hec autem inconvulsa maneant, nostri sigilli una cum civium Gotensium roboramus munimina appendendo. Hujus rei testes sunt Hermannus dictus Willekume, Heinricus dictus Rosa, Ditmarus de Vfhusen, nec non aliis pluribus fide dignis. Dat. anno Domini MCCLXXV.*

1280 §. IX. Iidem Lazaritæ anno CIↃCCLXXX. a Dynastis Heldrunganis bona villæ Brunsrodanæ emerunt. Et his quoq; bonis Hospitale Gothanum fuit auctum.

Dynastarum Heldrungensium de facta venditione Notitia hæc est. *Ne ea que fiunt in tempore, labantur cum lapsu temporis poni solent in lingva testium, vel scripti memoria perhennari. Hinc est quod Nos Heinricus, Fridericus, Heinricus Hermannus & Heinricus de Heldrungen presentibus recognoscimus, publice protestando, & universis tam presentibus quam futuris cumprimis esse notum volumus, quod fratribus in Brunsrode, ordinis sancti Lazari jure proprietatis vendidimus omnia nostra bona ville Brunsrode attinentia perpetuo possidenda. Hujus rei testes sunt Comes Siboto de Schartvelt, Conradus de Trebere, Heinricus de Vmverstette, Fridericus de Rettingestette, milites, & Theodericus de Andisleben, Burgiensis in Heldrungen. Et ne talis contractus in posterum aliqualiter valeat*

leat permutari, presentem paginam ego Heinricus senior de Helderungen meo sigillo & sigillis Domini Conradi Comitis de Werningenrode, ac Conradi de Tanrode fecimus probari. Datum Heldrungin, anno Domini MCCLXXX. XI. Kal. Junii.

§. X. Anno CIↃCCLXXXIV. Iohannes Visitator Ordinis S. Lazari confirmat cambium quoddam inter Henricum Rosen, civem Gothanum, & fratres dicti Ordinis quinquennio ante factam. 1284

Confirmationis formula ita habet. *Nos Fr. Iohannes Visitator ac magistri totius terre Alemanie militie Scti Lazari omnibus quibus presens scriptum fuerit visum cupimus esse notum, quod recompensatio que facta est inter H. civem de Gotha, dictum Rose parte una & nostros Confratres Gotha parte altera ante quinquennium, quod illa nūc & in perpetuum suis heredibus ac nostris confratribus inconvulsa permaneat, nostrum sigillum presenti litere imponimus roborandum. Datum anno Domini MCCLXXXIIII. in die beate virginis Agnetis.*

§. XI. Laudati Lazaritæ acceperunt quoq; Hospitale S. Nicolai ad Tambacum, vulgo der Nesselhoff dictum: cujus origines tum ad Albertum Landgravium, tum ad Henricum de Meldingen referendæ sunt.

Id enim docet sequens scriptura Meldingii. *Ego Heinricus dictus de Meldingen recognosco tenore presentium protestando quod ob honorem Dei & sancti Nycholai aream in Tambach sitam quam Gloriosus princeps Dominus Albertus Landgravius dederat ad hospitale construendum ibidem, Ego eandem do & confero fratri Gotfrido dicto de Waldorf & omnibus successoribus suis, ipso jure sicut tunc data fuit ob honorem Dei & S. Nicolai perpetuo possidendam. Tali videlicet conditione ut ipsam construat & peregrinos & viatores & advenas ibi colligant propter Deum. Et ne quisquam meorum posterorum hoc valeat irritare, s. presens scriptum dedi sigilli nostri munimine roboratum. Testes hujus facti sunt Dominus Tuto presbiter, & Dominus Hartungus dictus de Loucha Canonicus in Ordorf Hermannus de Hesserode Heinricus dictus Wetherube & alii*

quam-

1290 *quamplures fide digni. Datum Anno Domini M.CC.XC pridie Kl. Octobris.*

1293 §. XII. Anno CIↃCCXCIII. cum Albertus Thuringiæ Landgravius ſupremam Hoſpitalis Gothani curam Eliſabethæ uxori commiſiſſet; hæc ipſa id cum omnibus incolis & bonis in clientelam ſuam recipit.

Præceptum hac de re ipſius Eliſabethæ integrum affero. *Firmius heret omne quod agitur, ſi vivis teſtibus & ſcriptis avthenticis perhennatur. Hinc eſt quod nos Elizabeth, Dei gratia Thuringie Landgravia tam preſentis quam futuri evi Chriſti fidelibus cupimus eſſe notum, Quod qvia Illuſtris Princeps noſter Dominus & maritus dilectus Albertus Thuringorum Landgravius Hoſpitale intra muros Gothanos nobis commiſit noſtre fidelis ſagacitatis regimine gubernandum. Nos igitur huic commiſſioni omnem quam poſſumus diligentiam advertentes, id ipſum Hoſpitale cum omnibus ſuis pertinentiis nobis & noſtre ſubjugationi adjicimus omni parte. Ita ut quicũq; de cetero in ipſo Hoſpitali vel a ſuis proviſoribus quidquam extorſerint requirendo, ad nullius juſſionem vel angariam penitus teneantur, niſi a nobis in perſona propria ipſis fuerit hoc injunctum, ſiquidem ſecus fieret, quod abſit, hoc preſentie noſtri Domini querulosiſſime deferemus, & nobis eſſe factum per omnia aſcribemus, ſuper quo noſtram patentem literam ipſis ad demonſtrationem dedimus noſtri ſigilli appenſionis robore communitam. Datum & actum Gotha, anno Domini MCCXCIII. in die decollationis beati Iohannis Baptiſte. Teſtes hujus ſunt Albertus de Brandeberg, Hermannus de Myla, Hermannus de Hayn, Hermannus magiſter curie, Heinricus de Myla Scultetus tum temporis in Gotha, Chriſtopherus miles noſtre curie, cum aliis pluribus fide dignis.*

1304 §. XIII. Anno CIↃCCCIV. duo Friderici patrueles Dynaſtæ de Heldrungen, fratribus Ordinis S. Lazari in Brunsroda adſcribunt jus patronatus Eccleſiarum in Bretla & Beernsdorf: quæ poſtea itidem acceperunt Lazaritæ Gothani.

Dynaſtarum Heldrunganorum Notitiam repeto. *In nomine Domini, amen. Cum ea que a modernis aguntur ex progreſſu temporis*

poris à memoria facilius labuntur, nisi ea litteris testimonialibus confirmentur. Hinc est quod nos Nobiles Viri Fridericus & Fridericus patrueles Domini in Helderunge omnibus tam presentibus quam futuris volumus esse notum; Quod Ecclesiam in Brettla sancti Ioannis Baptiste, & in Bernndorffe, quarum jus Patronatus & Collationis ad Nos jure proprietario pertinere dinoscitur, cum omni jure damus & appropriamus Domui fratrum Lazaritarum in Braunnsrode, in remedium animarum nostrarum ac progenitorum nostrorum perpetue ac simpliciter propter Deum, jure proprietario libere possidendas. Adjicientes nihilominus, quod iidem fratres predicti in remedium peccaminum nostrorum & progenitorum nostrorum & omnium fidelium defunctorum in Septimana communi pistabunt elemosinas quantas possunt de maldro Erffurdensis mensure. Hec facient singulis annis & pauperibus erogabunt. In cujus rei testimonium presentem litteram sigillorum nostrorum appensione volumus communiri. Testes autem hujus donationis sunt Fridericus de Retingestet, Hartungus de Kungeshausen, Hart. Utherotte miles, plebanus in Brettla, dictus Leichgast, plebanus in Reichhartsdorff Dominus Gotfridus, Ludovicus sacerdos de Weissensehe, & alii plures fide digni. Acta sunt hec anno Domini millesimo CCCIIII. & in die sancti Servacii Confessoris.

§. XIV. Anno CIↃCCCCXLI. Ditericus Langius, Decanus ædis cathedralis S. Mariæ in monte, Hoſpitali Gothano vineta quædam legavit Holtzhuſæ ad Waſſemburgum ſita. 1441

Eodem anno *Iohannes Frutstet*, tutor (Vormund) hujus Hoſpitalis laudatur.

§. XV. Anno CIↃCCCCXLIV. Wilhelmus Landgravius Senatui Gothano curam hujus Hoſpitalis ſingulari decreto commendat. 1444

Decretum Germanice conceptum ita habet:

Wilhelm von Gotes Gnaden Herczog zcu Sachſen Landgraf in Doringen ꝛc.

Lieben Getruwen / Wir habin vormals wol vernomen / wie der Spittal / die uch In der Stad In unrad mit Formūden

 und

und anders unbestalt stehe/ und desvals Rede mit uch gehabt und bevolen / uch des antzunemen / Formūden darubir zu seczen/und anders wes darJnne nod werzcubestellen/andern unrad dadurch zcuvorkomen. Als begern wir abirmals mit besundin ernstem vlisse / das Jr uch denselben Spittal hinfurd/mit Formūden darubir zcuseczen/ nnd aller ander nottdorfft nach dem besten/und ordenlichsten zcu bestellen/ und furzcunemen bevolhen sin lasset / und uch des also genczlichen annemet. Doran thut Jr uns zcu gutem Dancke. Gebin zcu Wymar uff Dinstag Tiburcii mris Anno Domii &c.xliiii[to].

Dem Rate zcu Gotha
unsern lieben Getruen.

1458 §. XVI. Anno CIƆCCCCLVIII. Iohannes Witschelius;
1478 anno CIƆCCCCLXXVIII. & sequentibus Georgius Becke, Ordinis S. Lazari Commendatores,& Præfecti Hospitalis Gothani fuerunt. Beckium excepit Conradus Flinsberg.

In Germanicis scripturis vocantur; Des Ordens S. Lazari Comtoren und Vorsteher des Spitals S. Marien Magdalenen.

1490 §. XVII. Circa annum CIƆCCCCXC. ex decreto Innocentii VIII. Papæ,Ordo fratrum S. Lazari Ordini equestri Rhodiorum jungitur: ac postea Petrus Clopsteinius, qui per octennium Lazaritarum Ordini adhæserat, Commendatorem Rhodiorum equitum mentiens, ac Hospitali Gothano se immittens, eidem præesse cœpit.

1520 §. XVIII. Clopsteinius ille anno CIƆIƆXX. Ernesto Comiti Mansfeldio bona Brunsrodana, pro annuo censu resignavit: quæ res postea multis ac gravibus admodum litibus januam aperuit: Iohanne, ac Iohanne Friderico Electoribus, a Mansfeldiis Comitibus, in gratiam Hospitalis Gothani hæc bona repetentibus; sed Anastasio Schmaltzio, Commendatore Weissenseano, favoribus Georgii Saxoniæ Ducis subnixo (is bona a Mansfeldiis acceperat) illa retinente. Ple-

Pleraq; harum litium acta a me perlecta sunt. Et ex illis deniq; patet, nondum causam penitus fuisse compositam, cum Dux Georgius de vita decederet. Id certum, Iohannem, ac Iohannem Fridericum Electores, strenue pro Hospitali ac Gothano Senatu, cui ejus cura fuerat demandata, laborasse.

§. XIX. Interea Clopsteinius Evangelicam veritatem edoctus, uxorem duxit, ac Gothæ consenuit, anno
CIↃIↃXXXVIII. mortuus: cum jam anno XXIII. inter ipsum 1523
ac Senatum Gothanum de variis controversiis convenisset,
ac porro anno CIↃIↃXXV. Hospitalem domum cum residuis 1525
bonis laudato Senatui resignasset. Quam anno CIↃIↃXXXIV. 1534
nova ac plenior excepit resignatio.

Resignationem priorem confirmavit Iohannes Elector Torgaviæ die Mercurii post festum S. Elisabethæ. In diplomate Confirmationis inter alia hæc habentur: Wenn wir Uns aus Christl. Pflicht und Lieb schuldig erkennen/ auch mit hohen Begierden geneigt seyn/ die Ding/ so zu Versorgung der Armen gereichen sollen/ zu fürdern/ so bewilligen und bestetigen Wir vor Uns/ unsere Erben und Nachkommen/ angezeigten Contract, und Handel/ und befehlen dem Rath zu Gotha denselben seines Inhalts fleissiglich nachzukommen/ und die Armen in treuen und fleissigen Befehl zu halten/ wie unser gnädigstes Vertrauen und Zuversicht zu Ihnen stehet. Posterior resignatio facta an. 1534. die Mercurii post festum Purificationis Mariæ. In ea testes laudantur Henricus Thilo Diaconus, & Laurentius Schipperus, Rector Scholæ. Et ab hoc tempore Clopsteinius, relicto Hospitali, in domum propriam in vico Iudæorum concessit, sibi suæq; uxori Kunigundæ annuam pensionem a Senatu solvendam servans.

§. XX. Anno CIↃIↃXLI. in locum ædiculæ Hospita- 1541
lis ruinam minantis aliud ædificium incolis pauperibus commodum fuit constructum.

§. XXI. Fuit olim in hoc Hoſpitali Vicaria S. Nicolai, cujus ultimus poſſeſſor erat Nicolaus Lowerus. Hujus hæredes cum reditus Vicariæ ſibi porro vindicare vellent,
1542 anno CIↃIↃXLII. ſacro fisco juſſi ſunt relinquere.

§. XXII. Honeſta ſatis ratio egenorum ab auctoribus mutationis eſt habita: id quod inſtituta, quæ hodieque cura ampliſſimi Senatus perſeverant, poſſunt commonſtrare.

§. XXIII. Senes quatuor & viginti, ſexus quidem utriusque, (olim decem mares, undecim fœminæ erant) hic ſuſtentantur, quibus per hebdomadas ſingulas, non panis ſolum, carnis ac potus demenſa, quæ ſufficiant, miniſtrantur; verum etiam æris aliquantulum victui ordinario additur, ac ne quid neceſſariæ ceteræ corporis curationi deſit, ſedulo eſt proſpectum.

§. XXIV. Ædium etiam partes aliquoties, ubi opus erat, inſtauratæ ſunt: & reditus iſtos veteres, egeſtatis amantes usque adhuc pluſculi, novarum fundationum acceſſionibus, liberaliter adauxerunt.

§. XXV. In templo Hoſpitali contiguo, ſtato cujusque liebdomados die Lunæ, ſacra concio habetur. Quod faciunt ex Academia reduces Studioſi, certis ſibi invicem vicibus ſuccedentes. Ac opera adoleſcentis alicujus ſcholaris, ſolemnes preces in ſenum concilio, mane, a meridie, veſperi, ter adeo per diem, prælegunțur.

§. XXVI. Hæc omnia ut ordine ſuo, & præterea decenter fiant, cura, ſi ſatis novimus, oppidani alicujus Paſtoris ſemper erat præſtitum. Hodie id muneris reverendo Archidiacono traditum eſſe, compertum habemus: cui, ut commodius hoc agat, habitatio in vicinia facta, & laboris honorarium conſtitutum eſt.

CAP. XI.
DE SACRARIO S. IACOBI.

§. I.

HOc ipſum Sacrarium S. Iacobo conſecratum vulgo audit Capella S. Iacobi, ac locum habuit in parte fori inferiori, ad curiam antiquam, cui incumbens turris (S. Jacobs Thurm) tam celſa fuit, ut in obſidione Gothæ anno CIↃIↃLXVII. tormenta in eo diſpoſita hoſtilibus caſtris eſſent infeſta.

§. II. Quamvis autem nullæ in manus meas venerint Notitiæ, temporis, quando conditum hoc fuerit ſacrarum, indices; antiquiſſimum tamen eſſe, par eſt credere.

§. III. Præ foribus hujus ſacrarii olim ſub dio quandoq; judicia fuiſſe exercita, patet ex Notitia Sculteti, Iohannis Thammen, Scabinorumq; Gothanorum anno CIↃCCC 1380
LXXX. perſcripta.

Hac enim profitentur, *Nicolaum de Henneberg*, æditυum Eccleſiæ in Herren-Breitungen (monaſterium eſt in Hennebergicis) veniſſe ad ſedilia judicum publica (vor die geheite Banck) ante capellam S. Iacobi, ac ibidem Abbati Georgenthalico vendidiſſe duodecim manſos. Teſtes fuere: *Hartungus Iani*, Magiſter Conſulum Gothæ, *Iohannes & Guntherus Wandisleben*, *Henricus Lange*, *Iohannes Iani*, *Iohannes Kocb* (der Frone) *Andreas Deſſ*, *Volmar Eſchenber*. Factum in vigilia S. Iacobi Apoſtoli.

§. IV. Anno CIↃCCCCXLIX. Güntherus Baſel ſacer- 1449.
dos, Canonicus S. Mariæ in Gotha, in choro hujus ſacrarii novum altare erigi, ac reditibus in gratiam unius, vel etiam duorum ſacerdotum augeri per teſtamentum juſſit.

In hoc teſtamento vocatur hoc ſacrarium, die Capelle Sente Jacoffs Kirchen kein dem Rathauſe zo Gotha gele-

gen. Patroni hujus altaris & Tutores constituti Decanus & Scholasticus S. Mariæ, item duo Magistri Consulum Gothanorum.

1480 §. V. Anno CIƆCCCCLXXX. Catharina vidua Iohannes Bogendorfii testamento suo cavit, qui singulis diebus Sabbati, vespertinis sacris in æde cathedrali finitis, Rector scholæ, cum scholaribus, & æditui laudatæ ædis, ad sacrarium S. Iacobi se conferant, ac certos ibidem hymnos decantent.

Confirmarunt hoc institutum *Conradus Schutfeld* (Schodefeld) Decanus, *Iohannes Brodkorp*, Scholasticus, *Iohannes Ferber* Cantor, ceteriq; Canonici ædis cathedralis, Dominica Lætare. Rector Scholæ vocatur der Regent / oder Kinder-Meister.

§. VI. Fuere in hoc sacrario Vicariæ SS. Iohannis & Thomæ Apostolorum; item Iodoci & Otiliæ; ut & Erasmi, Pauli Conversionis & Barbaræ: Commenda item majoris altaris, & duæ Commendæ Simonis & Iudæ.

Ex Vicariis mihi innotuerunt sequentes: *Iohannes Lasue*, 1498. *M. Georgius Wolfart*, 1507. *Iohannes Saltzmann*, 1516. 1518. *Iohannes Hirschach*, 1537. *Georgius Müllerus*, Decanus Rotenburgi, 1541. qui eodem anno decessit. Et hic ultimus fuit Vicariorum. Wolfarto dicto anno 1507. de domo quadam in platea Kreuteriana, cujus possessor erat Laurentius Kremer, loco census hæreditarii quotannis solvebantur duo solidi cum duabus gallinis. (2. Schilling-Pfennige / und 2. Michels-Hüner.) Ex Notitia hujus rei indice didici, plateam Kreuterianam patuisse versus campos Heroldesdorfii. (gegen dem Felde und Heroldesdorffe.)

1568 §. VII. Soluta obsidione anno CIƆIƆLXVIII. turris S. Iacobi fuit diruta.

CAP. XII.
DE NOSODOCHIO S.NICOLAI EIDEMQVE IVNCTO SACRARIO.

§. I.

ANte portam Sibelebianam, propter viam, quæ Erfurtum ducit, Noſodochium fuit exſtructum, potisſimum in gratiam leproſorum.

Vnde nonnunquam in Scripturis antiquioribus vocatur der Siechen-Spittal: item: Der Spittal der Armen siechen Leute auff der Schlichten. Hodie, der Sonder-Hoff/ & vulgo der Siechen-Hoff audit.

§. II. Anno CIϽCCCXLVII. in hoc Noſodochio altare quoddam fuit erectum a Nicolao, paſtore ædis S. Margaretæ: a quo etiam nomen, & primum Vicarium accepit Heinricum Runicherum. 1347

Quia ipſum de inſtituto Vicario ſcriptum Nicolai Paſtoris in manus meas venit, æqvum cenſeo, integrum cum lectore benevolo communicare.

In nomine Domini Amen. Cum nec multitudini rerum, nec longinquitati temporum ſufficit humana memoria, ut que multa ſunt tenaciter apprehendere, vel que longeva ſunt certa valeat retinere, datum eſt fragilitati ejus per providentiam conditoris, ut ejus inſufficientia ſcripturarum teſtimonio adjuvetur. Quaprepter ego Nycolaus verus paſtor Eccleſie ſancte Margar. in Gotha notum facio preſentibus & poſteris univerſis. Quod cum ſub anno Dni MCCC XLVII. Chriſti fideles cultus divini vehementer & pie ſuccenſi in remedium ſui & ſuorum progenitorum peccaminum inſtauraverint nec non dotaverint competentes redditus ad altare ſive Vicariam ſancti Nycolai erectum jam & conſecratum in Capella ad leproſos extra muros Gotha in finibus jam dicte parochie Erga quod altare ipſorum ſingulariter devocio ſervebat. Cujus collatio ad me tanquam ad verum jam dicte

dicte Ecclesie pastorem dinoscitur pertinere. Ergo jam dictum altare sive vicariam confero & contuli Henrico dicto Runecher clerico utiq; ydoneo & discreto pure propter Deum. Ita tamen quod ipse vel sui successores in fraudem pastoris matricis Ecclesie seu jurium suorum prejudicium aliqua omnino non faciat vel attemptet clam vel palam. Visitabit etiam idem Vicarius, qui pro tempore fuerit institutus chorum parochie jam dicte & processiones, & erit cum ipso plebano in horis canonicis nocturnis atq; diurnis, atq; obediet ipsi plebano in licitis & honestis. Nec concurret cum ipso plebano in sua missa dicenda, nisi jussus per eundem. Rector etiam parochie ut prius dictum, & qui in antea & pro tempore fuerit, dictum altare seu vicariam quotiescunq; ipsum vel ipsam vacare contigerit, prout prius tractatum Sacerdoti vel clerico in sacris ordinibus constituto conferre debebit, alicujus contradictione non obstante. Et ne de universis, que expresse instaurationis superius per ordinem enarratis cuiquam in posterum dubietas aliqua valeat suboriri presentem paginam conscribi & mei sigilli munimine feci roborari in testimonium omnium premissorum. Datum ut supra in die beati Martini episcopi.

Sequenti deinceps anno, VIII. Idus Martii Nicolaus Pastor ad ædem S. Margaretæ hunc *Henricum Runecher* Officiali Præpositurae Ecclesiæ S. Severi in Erfurt commendavit, sive, ut loquuntur, præsentavit, ut eundem investiret. Ex ceteris Vicariis reperi *Iacobum Michaelem*: (Besitzer der Vicarey zu den Sichen:) anno 1417. & *Iohannem a Desenberg*, an. 1425.

1441 §. III. Anno CIↃCCCCXLI. Ditericus Langius Decanus ædis cathedralis huic Nosodochio legavit aliquot agros vinearum Holtzhusanarum ad Wachsenburgum.

§. IV. Post tempora Reformationis multum de hoc Nosodochio instaurando meritus est Ditericus Dunckelius, Senator Gothanus.

Quem ob id in Ms. quodam mirifice prædicat Myconius Superintendens.

CAPUT XIII.

DE SACRARIO S. VVOLFGANGI.

§. I.

HOc ipſum fuit ſitum pone monaſterium S. Crucis, &c, ut nunc eſt loci conditio, pone hortum cœmeterio proximum in valle a prato nomen habente (im Wiesenthal) quod pratum in præſentem diem Wolffgangianum dicitur.

§. II. Rudera hujus ſacrarii hodie ſuperſunt nulla. Id ſcio olim Vicariam S. Andreæ in eo fuiſſe inſtitutam. Sed quæ alia ejus fuerint fata, ex antiquioribus ſcriptis nondum licuit eruere.

CAPUT XIV.

DE XENODOCHIO ANTE PORTAM BRIELANAM.

COnditum illud eſt in gratiam pauperum peregrinantium, ac ob id lectiſterniis quibusdam inſtructum. Poſtea etiam conſtitutum, ut ægroti omni alia ope deſtituti in hanc domum reciperentur: id quod ab anno CIↃ IↃ XXV. usque ad annum XLII. factum eſſe, ex Myconii quodam ſcripto colligo.

CAPVT X.V

DE MAGISTRATIBVS LANDGRAVIORUM GOTHANIS, ADVOCATIS SCILICET, PRÆFECTIS, SCVLTETIS, QVÆSTORIBVS ET QVÆSTVRÆ ADMINISTRATORIBVS

§. I.

EX quo Gotha in justam civitatis formam coalita Landgraviis Thuringiæ paruit, hi, tum *Advocati* alicujus, tum præcipue *Sculteti* (hic sæculo XII. *Villicus*, nonnunquam & *Præfectus* dicebatur) opera in dicendo jure fuere usi.

§. II. Etsi autem quandoque *Advocati* & *Sculteti* inter se confunduntur nomina, sic, ut is vocetur *Advocatus*, qui alibi *Scultetus* audit; plerumque tamen hæc distincta erant munera, ita quidem ut Advocati major esset potestas ac dignitas, & is non modo oppido Gothano, sed & toti civili diœcesi (interdum pluribus) præesset, itemque ipsi Scultetus pareret.

§. III. Advocatis, qui & *Voigtii*, corrupta voce, dicebantur, & plerumq; erant genere nobili, postea successerunt *Præfecti*; Scultetis autem *Præfecturæ Administratores* & *Quæstores*: sic tamen, ut horum potestas æque ac dignitas, pro temporum ratione, ac arbitrio Landgraviorum, Ducumque Saxoniæ, variaret.

§. IV. Nos primo Advocatos, sive Voigtios, deinde Præfectos, postea Scultetos, Præfecturæ Administratores, & Quæstores, quorum notitiam ex avthenticis scriptis multo studio collegimus, cum benevolo lectore communicabimus.

AD-

ADVOCATI SIVE VOIGTII GOTHANI.

Heinricus de Mila. 1288. Heinemannus (Heilmannus) Abt. 1327. 1331. 1332. 1334. 1335. 1336.

Idem & *Scultetus* aliquoties vocatur.

Conradus Snoze, *miles. Advocatus illustris Dominæ, Dominæ Elisabeth Marchionissæ.* 1334. Et ipsa Elisabetha anno præcedente eum vocat ihren Hoferichter.

Theodericus de Vlleibin. 1337.

Heinricus de Lichtenhain. 1342.

Heinricus de Loucha, *Advocatus in Gotha, & in Tenneberg.* 1345. 1349. Anno 1353. audit *Castrensis* (Borgmann) *in Tenneberg.* Et nescio an postea sacris se mancipaverit. Certe anno 1361. reperitur Bruder Heinrich von Loucha.

Ditericus Protzil. 1362.

Heinricus de Wirchusen. 1367.

Petrus de Nesselriden, *Advocatus Gothæ, Tennebergæ, & Wassenburgi.* 1372.

Iohannes a Köteritz. 1377.

Hermannus Scultetus. (Hermann Schultheiß / Vogt zu Gotha.) 1382. seqq.

Albertus Sne. 1387.

Ditericus Protzil. 1388.

Sed quia eodem anno Præfectum reperio *Conradum de Teutleben*, is forte Advocatus minor (Unter Voigt) fuit: qualis anno 1397. erat *Iohannes de Bolstet.*

Ditericus de Malsleben. 1414. 1415. ac tum Ditericus Aschera *Advocatiæ scriba* erat.

Christianus ab Hain. 1415. Kersten von Hain / Vogt zu Gotha meines gnädigen Herrn Friedrichs / Landgraven in Thüringen.

Heinricus de Tondorf. 1460.

PRÆFECTI.

Conradus de Teutleben. (von Toteleiben: item, von Tuteleben) Amtmann zu Gotha. 1388. & an. 1395. Amtmann des Landgraven zu Döringen in der Pflege zu Gotha. Quo anno laudantur sequentes Assessores (dingpflichtige) Nobiles, in judicio Remsteti habito, Hartungus Scharffenstein / Apel ab Vtenroda, Günther Snotze, Heinricus von der Thanne / Heinrich und Sigfrid Koydel.

Leonhardus a Rudevviz 1419.

Matthias Hovvgil. 1458. Der Erbare Herr / Er Matthæus Howgil / unsers gnädigen Herrn von Sachsen Amtmañ / und Schösser zu Gotha.

Hermannus Vogel (Rugel.) 1468. Hertzog Wilhelms Amtmann zu Gotha. 1474. In quibusdam scripturis vocatur Hermann Lügelin.

Fridericus a Witzleben, *Gothanus ac Saltzensis Præfectus.* 1485. 1486. Vocatur item Hauptmann zu Gotha.

Heinrich Kestchen / (Amtmann zu Gotha) 1489. 1490. 1519. Schultheiß. 1489. & 1484. Richter zu Gotha.

Otto Pflug. 1491. 1493.

Vlricus ab Ende, *Eques*. 1498. 1499.

Burchart Hund. (Landmeister und Hauptmann zu Gotha.) 1515.

Georgius a Creutz. (Hauptmann zu Gotha. item: Hauptmann zum Grimmenstein.) 1541. 1544.

Nicolaus ab Ende. (Hauptmann zu Gotha.) 1553.

Bernhardus a Myla, (Ritter / Oberster Befehlhaber zum Grimmenstein / Land-Hoffmeister und Rath.) 1555. mortuus 1561. In festo Paschatos dicti anni adhuc in vivis fuit: sed ex mandato quodam Iohannis Friderici Ducis die Iovis post diem festum S. Elisabethæ scripto apparet, bonorum ejus ab excessu consignationem a Luca Tangelio D. paulo ante fuisse factam.)

Geor-

Georgius ab Harstall, (Oberster Befehlhaber der Vestung Grimmenstein/ auch Amtmann zu Creutzburg/ und Gerstungen.) 1561.-1565.

---- a Brandenstein (Hauptmann) 1566.

SCVLTETI.

Heinricus de Ostheim. 1251.

Heinricus: *Villicus*. 1253.1254. Sed forte idem est cum priori.

Bertoldus. 1256.

Theodericus: *Villicus*. 1259. Th. *Scultetus*. 1269.

Heinricus de Hain: *Villicus*. item: qui *Villicatus officium habuit*. 1271. 1273. *Scultetus*. 1273.

Withelo. (Wicelo.) 1275.

Güntherus de Loucha. 1280.

Ludovicus de Husen. 1283. 1286. Albertus Landgravius eum vocat *militem*. 1288.

Giselherus. 1284. 1285. 1287.

Heinricus de Myla. 1290. -1303.

Heinemannus (Heilmannus Heinricus) Abt. 1329. *Scultetus in Gotha*. 1330. *Oppidanus & Scultetus in Gotha*. 1331. An. 1333. testatur, quod *præsederit in foro judiciario, auctoritate illustris Dominæ, Dn. Elisabeth Marchionissæ*. Eundem cum *Sculteti* elogio reperi anno 1334. Sed an. 1335. *Advocatus inclytæ Dominæ Dn. Elisabeth Marchionissæ*. & 1336. *Advocatus in Gotha*, vocatur.

Wernerus de Witzleben. (Richter zu Gotha.) 1334. 1339. 1352.

Theodericus Bertrandus 1343.

Fridericus de Abiete. 1347. 1348. 1349. 1350. An. 1348. sic ipse: Ich Friedrich von der Tannen/ Richter in deme Gebiethe zu Gotha. item 1350. Fritz von der Tanne Schultheisse zu

Gotha. Anno 1353. Fritze von der Tanne/Landschuldheisse in den vier Stülen zu Gotha des achtbarn Vorsten Landgraven Friedrichs zu Doryngen.

Wecilo Vynne. (Richter zu Gotha.) 1353.

Wernerus de VVitzleben 1352. 1369. Idem anno 1360. vocatur Vogt zu Gotha. 1362. Schultheize/ item, Richter zu Gotha. Ejus uxor erat *Kunegunda*, filius *Conradus*, gener *Christianus a Weidensee.*

Reinhardus Kardinal. 1363.

Iohannes Thamme. 1377. 1380. (Richter zu Gotha.)

Daniel Fromann. Schultheiß und Richter zu Gotha. 1396.

Hildebrandus. 1424.

Iohannes Hunold. 1427. - 1436. Hans Hunold / Schultheisse und Richter meines gnädigen Herrn des Landgraven in Döringen zu Gotha.

Iohannes Christiani. (Hans Kirstan.) 1456.

Matthias Schneider. 1458.

Ludovicus Küne. 1468. des Hertzogen Schultheiß zu Gotha.

Iohannes Crawel. 1470. 1479.

Ludovicus ab Ende. 1496. Schultheiß zu Gotha meines gnädigen Herrn Hertzog Wilhelms zu Sachsen.

QVÆSTORES, ET QVÆSTVRÆ ADMINISTRATORES.

Schösser:

- Iohannes Böttener. 1474. 1482. Hoc tempore conscriptus est liber præfecturæ Gothanæ, das Erbbuch dictus: & alius ejusmodi liber confectus anno 1498.
- Iohannes Löberus.
- Andreas Rabensberg. 1493. 1499. 1504.
- Iohannes Goldschmidt. 1508. 1509.

Fabi-

Fabianus Löbe (Leo.) 1510. 1521.
Iohannes Löbe (Leo: itemLöbe) 1537.1545.Obiit 1564. 24.Febr. Vir pius,prudens & industrius, singularis quondam amicus Myconii,qui eum in MS.vocat *Patronum Ecclesiæ,literarum,eruditorum & pauperum,amantem justi, honesti, & recti.* Fratrem habuit Wolffgangum.

Ambts-Verweser:
Paulus Sahlreuter. 1561.Obiit 1580 relictis divitiis non modicis. Acerrimus fuit VVedmanni Superintendentis adversarius.
Laurentius Furstenauer,Salfeldensis.1582. Apoplexia obiit 1590.
Fridericus Felder. 1592.1606.
M. Iohannes Götze. 1607.
Iohannes Heinricus Kohlhans,I.V.Lic. 1619 1623.
Christophorus Vlricus Lage. 1637.
Iohannes Breithaupt. 1638.1680.

Daniel Richter. *Præfecturæ Adjunctus* 1652.- 1678.
Tobias Schmidt. (Amts-Verweser.) 1680 1683.
Ioh. Christophorus Heerwagn. Ddus, *Præfectus* 1684.



Caput XVI.

DE ERNESTI PII, AC FRIDERICI SAXONIÆ DVCVM, CANCELLARIIS, CONSILIARIIS INTIMIS, CONSISTORII PRÆSIDIBVS ET DIRECTORIBVS, PRÆFECTIS FRIDENSTEINII, CONSILIARIIS AVLICIS, AVLÆ MARESCHALCIS ET PRÆFECTIS, CAMERÆ DIRECTORIBUS, ET CONSILIARIIS HONORARIIS, REI EQVESTRI PRÆFECTIS CONSISTORII ASSESSORIBVS, ARCHIATRIS, REDITVVM DVCALIVM CVRATORIBVS, RERVM TVTELARIVM DIRECTORIBVS ET COMMISSARIIS, SECRETARIIS.

§. I.

ERNESTI PII, & qui veſtigiis paternis glorioſe inſiſtit, FRIDERICI Saxoniæ Ducum, regimen Viros ſemper habuit, multa magnaque pietatis, doctrinæ, virtutis, & prudentiæ laude florentiſſimos, ac de Republ. infinitis modis meritos.

§. II. Quæ cum ita habeant, æqvum eſſe credidi, plerorumque demortuorum Vitas, viventium autem aliqua afferre elogia, nullus dubitans, quin, quisquis fuerit benevolentium lectorum, hanc induſtriam probaturus ſit. Faciemus autem initium ac Incomparabili Icto Franzkio.

CAN-

CANCELLARII ET CONSILIARII INTIMI.

GEORGIVS FRANTZKIVS, D.

Natus is fuit Lubschüzii in Principatu superioris Silesiæ Jägerndorfiensi, anno cIɔ Iɔxciv. XV. Aprilis: patre Georgio, cive ac mercatore, matre Margareta Reimannia, cujus genus tum Sagani in inferiori Silesia, tum Regiomonte in metropoli Prussiæ inclaruit. Eodem die, quo editus in lucem, ob imbecillitatem baptizatus, succrescente ætate, tum domi, tum in schola patria, pietate ac rudimentis literarum imbutus, post Neustadium Polonicum in Principatu Oppeliano concessit, cum matre, quæ ab excessu prioris mariti, Senatori Neustadiensi nupserat. Anno cIɔ Iɔc IX. ad illustre Gymnasium Breganum mittebatur, cui vir celeberrimus, Jacobus Schickfussius, cum magno juventutis commodo, præerat: ubi in Philologicis ac Philosophicis non ineleganter eruditus, cum abiret, a laudato Præceptore insigni testimonio ornatus est. Anno cIɔ Iɔc XII. Francofurtensem Academiam adiit, a Rectore, Martino Benckendorfio, D. & Cod. Professore matriculæ inscriptus. Quia autem avunculus ejus M. Georgius Reimannus, Eloquentiæ professionem, ac Bibliothecæ inspectionem in Academia Regiomontana nactus, eo se contulit an. cIɔ Iɔc XIII. ac ibidem in annum cIɔ Iɔc XIX. humaniorum literarum doctrinasque Philosophicas majori studio excolens, tam privatim, quam publice disputando, se exercuit, variaque boni commatis poemata scripsit. Quamvis autem ad Theologiam prono ferretur animo, postea tamen Jurisprudentiæ se applicuit, consilio potissimum D. Henningis Wegneri, tum Prof. post Syndici Regiomontani, qui & ejusdem disciplinæ, Georgium a Rausken, Johannem Albertum von der Trencke/ & Christophorum a Künheim, trigam Nobilium Prussicorum, commendavit: quorum priores duo postea Assessores Dicasterii aulici in Prussia renunciati sunt. Anno cIɔ Iɔc XVI. cum lites in-

ter Johannem Sigismundum, Electorem Brandenburgensem, ac Status quosdam Ducatus Prussici in religiosis ac civilibus causis exortæ, ad aulam Regis Poloniæ deferrentur, Frantzkius noster legatis Statuum comes ivit Varsaviam, actaque forensia Prussica ex Germanico in Latinum transtulit. Eodem anno ex jure publico sub D. Casparis Perbandi; anno cIↄ Iↄc XIIX. sub Wegneri; annoque cIↄ Iↄc XIX. sub Doctoris Christiani Radewaldii præsidio publicas disputationes habuit. Laudato anno cIↄ Iↄc XIX. cum Künhemio Nobili Jenam nostram ingressus, annoque proximo, Gotfridi, Baronis Eulenbergii, ut & Georgii Paccii, ex nobili gente Prussica, moribus ac literis præfectus, cum præside D. Valentino Riemero, de obligationibus publice disputasset, a Facultate Juridica in ordinem Candidatorum recipiebatur. Atque ab eo tempore in annum usque cIↄ Iↄc XXVI. utriusque juris theoriæ, itemque studiis Historicis, unice propemodum incumbens, publice ac privatim disputando, domique frequenti auditorio prælegendo, incredibilem collegit juris scientiam, cujus fructum per omnem deinceps vitam in publicis præcipue muneribus sensit. Anno cIↄ Iↄc XXII. XI. Martii Rectore ac Decano D. Wolffgango Werthero Mühlpfortio, Brabeuta D. Petro Diterico, V. I. Doctor renuntiabatur, eoque simul die nuptias celebravit cum Anna Maria, D. Johannis Wexii, Cancellarii Altenburgensis relicta filia, quæ tum apud sororem D. Riemero nuptam degebat: cumque non multo post a Senatu populoque patriæ Lubschützianæ Syndicatus ei offerretur, honestis rationibus impulsus, hanc Spartam declinavit. Anno cIↄ Iↄc XXIII. ab excessu Mühlpfortii inter Professionis Juridicæ; annoq; cIↄ Iↄc XXIV. post obitum Quirini Cubachii, ac iterum anno cIↄ Iↄc XXV. cum D. Henricus Neuenhahn in Schwartzburgicum concessisset ministerium, inter Historicæ Professionis; ac iterum anno cIↄ Iↄc XXVIII. a morte M. Wolffgangi Heideri, inter Professionis Moralis Candidatos præcipuum habuit locum: quem tamen singulari fato non adeptus est: utpote
ad

ad majora a Deo servatus. Anno CIↃ IↃC XXVI. XVI. Maji Curiæ Provincialis Jenensis Advocatum agere cœpit, oblatamq; mense Novembri primariam Professionis Juris in Academia Regiomontana Spartam, a morte optimi Præceptoris sui Wegneri, vacantem, recepisset, nisi Bellona jam in illis terris grassans, ac longi itineris difficultas a proposito ipsum retraxissent. Quam autem Carolus Güntherus, Comes Schvvartzburgicus, ac Administrator Walckenriedanus Consiliarii dignitatem ipsi obtulit, an. CIↃ IↃC XXIX. XXII. Februarii admisit; cumque laudatus Comes anno sequenti XXIV. Septembris de vita decederet, vidua ejus Anna Sophia, nata Princeps Anhaltina, ad beatum excessum (is contigit anno CIↃ IↃC LII.) ipsum in ministerio suo detinuit, ac singularem erga optime de se meritum virum favorem luculento legato declaravit. An. CIↃ IↃC XXXII. XXV. Januarii, Güntherus & Antonius Henricus, Comites Schvvarzburgici, opera ejus cum elogio Consiliarii uti cœperunt, potissimum in contentione cum Christiano Günthero fratre, ex pactis alternationis ac hæreditate Johannis Güntheri demortui fratris, coorta: eosdemque fratres anno CIↃ IↃC XXXIV. mense Februario conciliavit. Quando autem anno CIↃ IↃC XXXIII. I. Februarii a Regimine Saxo-Vinariensi munus Consiliarii ipsi deferretur, mox concessit Vinariam, ac die XXIII. quadrigæ Serenissimorum fratrum, Wilhelmo, Alberto, Ernesto, & Bernhardo, jurejurando se obstrinxit. Anno CIↃ IↃC XXXIV. mense Martio, Vinariensis ac Altenburgensis lineæ diuturnas gravissimasque lites, Eisenbergæ, ubi Principes fere omnes præsentes erant, una cum collegis composuit. Eodem anno ab Aprili usque in Septembrem mensem inclyto Francofurtano conventui, in quo Evangelici Status cum Axelio Oxenstierna, præcipuo rerum Svecicarum per Germaniam moderatore de gravissimis causis egerunt, interfuit. Mense Decembri Dresdam profectus est, ubi Johannes Georgius Elector capita pacis Pirnensis cum Statibus Evangeli-

cis communicabat, ac ineunte Februario domum reversus est. Abeo tempore in annum cIↄ Iↄc XXXVII. variis legationibus, summo cum Dominorum fructu, nec minori sua laude, defunctus est: cumque dicto anno Cancellarii in illustri Ducali aula, & alibi splendidior Sparta ipsi ostentarentur, in gratiam Domus Vinariensis, utramque recusavit. Ceterum quia interea temporis Johannes Ernestus senior, Johannis Friderici II. filius de vita decedebat, eoque Coburgensis ac Isenacensis Principatus in Vinariensis atque Altenburgicæ lineæ; ac porro in illius ditionem, usque ad hæreditariam divisionem, etiam Coburgica una cum Circulo Gothano, devenerant; hujus Circuli præfecturas in Dominorum fidem an. cIↄ Iↄc XXXVIII. mense Novembri recepit. Anno cIↄ Iↄc XXXIX. de divisione hæreditatis illius Altenburgi ac Jenæ diligenter agebatur, sic ut tandem an. cIↄ Iↄc LX. XIII. Febr. feliciter finiretur disceptatio. Cujus rei vel propterea hic facienda erat mentio, quod in his conventibus, ac summa negotii, singulare studium Frantzkii nostri eluxerit. Id quod porro factum, cum eodem anno fratres Vinarienses provincias suas invicem dividerent. A quo tempore cum collegium commune desineret Vinariæ, relicta ipsi fuit optio, sive in communibus, quæ restarent, negotiis, trigæ Ducum inserviendi, sive Cancellarii munus in nova aula Ernestina suscipiendi. Verum quando tanta res considerationem accuratiorem exigeret, maluit prius, nomine Ducum suorum, Ratisbonam ire ad comitia, ac simul investituram feudalem Isenacensium ac Gothanarum terrarum a Ferdinando III. Cæsare expetere: id quod factum est anno cIↄ Iↄc XL. collega legato usus Johanne Caspare a Miltitz, consiliario Consistoriali, ac Assessore Dicasterii Jenensis aulici: qua tempestate etiam alias laudatissimum Imperatorem aliquoties humillime allocutus est. Domum igitur reversus Cancellarii Spartam apud Ernestum Pium amplexus, anno cIↄ IↄcXLI. die II. Septembris eandem adiit: quo ipso tem-
pore

pore, quæ restabant inter Duces fratres controversiæ, amice sunt compositæ. Nec minus cum anno cIↃ IↃc XLIV. ab excessu Alberti Ducis Isenacensis, ejus portio inter bigam fratrum dividenda foret, Frantzkius pro Ernesto Duce occupatissimus fuit. Cum anno cIↃ IↃc XLVI. XXIII. Martii bona pars Gothanæ urbis conflagraret, Bibliotheca Frantzkiana (ut cetera damna taceam) huic infortunio fuit obnoxia: quod eo deplorandum magis, quia insignia quædam mss. Vulcanus corripuit. Sed ut alias hanc jacturam locupletissime resarsit divina bonitas; ita hoc anno Ferdinandus III. inscriptionem Commentarii in Pandectas Juris civilis, collatione Nobilitatis ac Comitivæ Palatinæ, proprio motu, nullis accedentibus pro diplomate impensis, remuneratus est. Anno cIↃ IↃc LII. B. Lutheri tomos tam Latinos, quam, Germanicos, ædi S. Margaretæ, ipso die inaugurationis (quæ facta Dominica Quasimodogeniti) donavit: nec minus liberalitatem suam erga novum laudatæ ædis organum musicum demonstravit. Quo loco non possum non testamenti quoque Frantzkiani tabulas anno cIↃ IↃc LXI. VII. Junii perscriptas commendare, quibus uti egenis liberaliter prospexit, ita singularia ac luculenta stipendia ingeniis ejusmodi decrevit, qui Philologiæ intenti aliquando in scholis trivialibus Gymnasiisque cum fructu singulari docere velint. Ab mense Junio anno cIↃ IↃc LIIX. dyspnœia, ac ventris insolens tumor, in hydropen degenerans, cum frequenti ἀγρυπνίᾳ, summe ipsi infesta fuere. Prorogavit tamen Deus vitam usque in annum sequentem: cujus die tertio visus obscuratus, memoria item ac loquela deficere cœperunt: ac licet die proximo symptomata illa desinerent, vim tamen morbi superare nequivit. Unde quarti decimi Januarii (is erat dies Veneris) noctem reformidans, postquam & illa inter magnas angustias abierat, die Sabbati accedente, qui ei a ab exhomologesi sacra erat, Andrea Gnügio Diacono, e lectulo surgens, inq; receptaculum conclavis intimius se conferens, Gnügium

 ad-

advocat: quo præsente, ac ardenter precante, animam placide exhalat. Sepultus est in templo S. Margaretæ, XIX. Januarii, funus comitantibus Ernesto Pio, aliisq; Ducibus Comitibusque. Virtutes pie defuncti eleganti oratione in Gymnasio Gothano celebravit Vir doctissimus, Martinus Hankius, cujus pater M. Johannes Hankius, Vratislaviæ ad D. Barbaræ Ecclesiastes, Lobschützii natus, affinitate quadam Frantzkium attigit. In hac de scriptis Frantzkii & hæc legas: *Quæcunque Noster publicavit, ubiq; Frantzkium id est, melioris notæ auctorem, luculenter ostendunt. Qui sicut doctrinæ consummatæ & singularis ingenii copia præ ceteris fuit illustris; ita, nihil moratus alios, scripsit etiam, non gessit tantum magno viro digna. Quare dissentit a multis haud raro, & peculiares ponit sententias, veritatis potius immotis fundamentis, quam lubricis scriptorum calculis innixus. Adhæc modeste omnes habet, contra quos disputat. Sed & selectissimas res Frantzkius tractat, aut prætermissas ab aliis, aut minori cura expositas. Quam gloriam cum paucissimis hodie communem habet. Cum vero in iis, quæ tradit, neque diffusior est, neq; justo concisior, geminam reportat laudem, quod & satisfaciat lectoribus, nec tædio sit. Interim inexplicabiles fere nodos perspicue solvit, difficillimas controversias tam exquisite & nervose decidit, ut nec dubitationi temere locum, nec materiam liti relinquat.* Quod reliquum est, scriptorum Frantzkianorum, ad meam quæ notitiam venerunt, subjicio syllabum. *Exercitationes Juridicæ, in quibus* CXL. *controversiæ ex principiis Juris Naturæ eruuntur & discutiuntur:* Jenæ CIↃ IↃC XXIII. 4. Arnstadii CIↃ IↃC XLVII. 12. Heidelbergę CIↃ IↃC LXIII. 8. auctiores editæ a D. Joh. Volckmanno Bechmanno P. P. Jenæ an. CIↃIↃCLVIII. 4. *Resolutio famosissimæ legis, Gallus:* Jenæ CIↃ IↃC XXIV. Argentor. CIↃ IↃC LIII. 8. *Tractatus de Laudemiis:* Jenæ CIↃ IↃC XXVIII. CIↃIↃCLXIV. 4. *Commentarius ad Pandectas.* Argent. CIↃ IↃC XLIV. CIↃ IↃC LVIII. Lipsiæ CIↃ IↃC LXXVIII. 4. *Resolutio de liberis & posthumis hæredibus instituendis:* Jenæ CIↃ IↃC XLIV. Argentor. CIↃ IↃC-LIII. 8. *Variæ Resolutiones:* Gothæ CIↃ IↃC XLVIII. Norimb.
CIↃ.

cIↄ Iↄc LV. Erfurti cIↄ Iↄc LVII. 4. *Notæ in Wegneri tractatum de Verborum & rerum significatione:* Gothæ cIↄIↄcLVI. 8. *Commentarius in IV. libros Institutionum:* Argentor cIↄ Iↄc LVIII. 4. *De Majestate in genere. De Evictione & duplæ stipulatione.* Nuper etiam Coburgi (hæc addo inde reversus die V. Aprilis anno cIↄIↄcXCIII.) in insigni Bibliotheca Zollmanniana incidi in varias epistolas mss. Frantzkianas, potissimum ad Illustrem virum Zachariam Prüschenckium scriptas, probitatis, doctrinæ, prudentiæ, & studii Magnates discordantes conciliandi, plenas: quas alibi forsan pluribus commendavero.

WILHELMVS SCHROTERVS D.

Saltzungensis, Comes Palatinus Cæsareus, legatus Ducum Saxoniæ in Comitiis Ratisbonensibus, & post beatum excessum Frantzkii, Cancellarius, obiit anno cIↄIↄc LXIII. Hujus vitæ historia cum nondum nobis innotuerit, sed brevi tamen speramus ad nos perventuram, vel in Addendis, vel alibi afferemus.

VITVS LVDOVICVS A SECKENDORF.

Quandoquidem hic Vir, genere, doctrina, prudentia, meritis, supra quam dici potest, illustris, nuper admodum Hallis cœlestem animam cœlo reddidit, facile licuisset a generosa vidua, unicique filii tutoribus historiam vitæ ejus impetrare, atque huic libello inserere. Quia tamen (σὺν θεῷ) singulare monumentum literarium tanto Mæcenati statuere decrevi, non nisi ea heic repetam, quæ ipse Seckendorfius ante hoc biennium de proposito meo edoctus, ex Meuselwitziano prædio ad me perscripsit, Germanicis modo in Latinum, sed liberius paulo conversis.

Anno præsentis seculi nono & trigesimo, ætatis tertio decimo, in Ernesti Pii, Ducis Saxoniæ, a[illegible]m delatus, una cum biga adolescentum Ducum W[illegible]rgensium, Sylvio & Manfredo, fratrib[illegible]eta[illegible]ris imbutus, post uberiorem ingenii judiciiqu[illegible]is Academiisque acceptum cultum, anno cIↄIↄcXLVI. [illegible] aulam Gothanam rediit. Hic primum inter aulicos, mox Cameræ (ut vocant)

Nobiles

Nobiles receptus, jam variis gravissimisque negotiis cœpit admoveri, donec anno cIɔ Iɔc LI. aulicus & juredicialis, anno cIɔ Iɔc LVI. quæstorius, sive, ut vulgo vocant, Cameralis, annoque cIɔ Iɔc LXI. intimus Consiliarius renuntiatus, abhinc in annum cIɔ Iɔc LXIV. non nomine quidem, sed re ipsa ageret Præsidem. Per autumnum laudati anni a Mauritio Saxoniæ Duce Cizam vocatus, cum intimi Consiliarii ac Cancellarii elogio, superioribus Collegiis Ducalibus præfuit: gratiose dimissus ab Ernesto Pio, qui ad usq; beatam *ἀνάλυσιν* eum æstimans, non raro ipsius opera usus est. Quid autem per octodecim illos annos, quos in Gothano ministerio exegit, in rebus ad aulam, ærarium, superioris Saxoniæ circulum, sed & universum Romano-Germanicum Imperium pertinentibus, itemque in diversis legationibus præstiterit, loqvuntur quamplurima amplissimaque acta, & in his multæ scripturæ manu ejus exaratæ. Ac licet in talibus tantisque foret occupatissimus, quodcunque tamen sibi vindicare potuit otii, conficiendis utilibus libris latinis ac Teuthonicis impendit: quorum aliqui *ἀνωνύμως* prodierunt. Et anno quidem cIɔ Iɔc LV. publicavit scriptum exquisitissimum *de Statu Principum Germanicorum* (Teutscher Fürsten-Staat) tanto cum applausu exceptum, ut sæpius postea repeteretur editio. Quem quidem librum etsi nuper malevolus quidam tenebrio, veræq; pietati infensissimus, allatrare non verecundatus est, quamdiu tamen orbis stabit, tum huic, tum reliquis curis Seckendorfianis intemeratum manebit pretium, ac decus nunquam intermoriturum.

ERNESTVS LUDOVICVS AVEMANN. D.

Isenacum patriam, patrem habuit Casparem, Consulem Isenacensem; matrem Christinam Schertziam, Henrico mercatore Cassellano, & Gertrude Cladia natam: aviam Margaretam Wipprechtiam; natalem annum cIɔIɔcIX. diem XXVIII. Decembris. Relicta schola patria, Gymnasium Coburgense, annoq; cIɔ Iɔc XXX. almã hanc Ienensem Academiã

adiit,

adiit, insigni J. Meifarti, Directoris Coburgensis testimonio instructu. Integro, & quod excurrit, quadriennio ibidem in doctrinis Philosophicis, Historicis, ac Juridicis exacto, Rostochium se recepit, ac pro egregio Iuris Candidato merito suo habitus, privatis diatribis juventam exercuit. An. cIↃ Ↄc xxxviii. Georgius Burggrav. Kirchbergensis, Dynasta Varenrodanus, Sigismundum Henricum filium ei commendavit: cum quo in Hollandiam profectus, per sesquiannum substitit Lugduni, ac porro in Angliam, deinceps in Galliam, se recepit. Postquam Lutetiæ Parisiorum annum cum dimidio commoratus, Aureliam, Salmurium, Andegavum, aliisque urbes lustravit, Blesis paulo diutius hærens. At dum itineri Italico se accingit, accepto nuncio de Georgii Burggravii obitu, filium per Galliam Lugdunensem, Sabaudiam, Helvetios, Alsatiam, denique domum, incolumem ac salvum ad Dorotheam Magdalenam matrem, stemmate Rutheno satam, deducit. Et hæc quidem Consiliarii, ordines autem provinciales Isenacenses, Syndici locum ipsi assignarunt: moxque etiam Doctoris titulo in hac Academia ornatus est. Anno cIↃ IↃc xlix. Ernestus Pius Avemannum inter Consiliarios aulæ ac regiminis recepit, annoque cIↃↃc lx. Consistorii Præsidem renuntiavit. An. cIↃ IↃc lxii. nomine Ducis ad comitia profectus Ratisbonensia, aliorum quoque Statuum vicibus defunctus, aliquoties apud Leopoldum Cæsarem cum laude peroravit, annoq; cIↃ IↃc lxvi. Procancellarii munere auctus Gotham reversus est: cum interim ibidem per ferale superioris anni incendium, bonam rei familiaris partem, ac insignem bibliothecam amisisset. An. cIↃ IↃc lxxiii. Consiliarii intimi, ac Cancellarii eminentem dignitatem nactus, fide, prudentia, aliisque virtutibus adeo se porro commendavit Domino, ejusque filio successori Friderico, ut constanti semper illorum gratia fuerit gavisus. Anno cIↃ IↃc xliv. VI. Februarii conjugem delegit Magdalenam Barbaram, Johannis Henrici Kohlhansii, Juris V. Licentiati, & redituum

 provin-

provincialium curatoris, filiam virginem unicam, singulare sexus fœminei decus: quæ cum marito per annos XLV. & ultra, concorditer vixit, undecim liberorum mater facta. Ex his I. Anna Dorothea, Gustavo Christiano Happio, Comiti Palatino Cæsareo, Cancellario Schwartzburg-Sondershusano nupsit. II. Adolphus Christianus, jam pluribus annis Consiliarium aulicum ac militarem Sax. Gothanum agit. III. Henricus Ludovicus tertio a nativitate mense obiit. IV. Magdalenam Sophiam, Johannes Jacobus Avianus, JCtus, Comes Palatinus Cæsareus, tum Consiliarius Saxo-Gothanus, post Cancellarius Saxo-Cobugensis, ac demum Assessor Dicasterii Spirensis, νῦν ἐν ἁγίοις, matrimonio sibi junxit. V. Ernestus Ludovicus, quinquennis; VI. Johannes Henricus, J.V. Cand. anno ætatis septimo & vigesimo; VII. Juliana Barbara, nono, ex quo nata mense decesserunt. VIII. Johanna Christina, Johannis Arnoldi Jenickii, hæreditarii Domini in Obr-Röblingen/ Saxo-Weissenfelsensis Consiliarii, & Commissarii Provincialis uxor, nunc vidua, facta. IX. Ernestus Ludovicus septimo; X. Fridericus Wilhelmus, quinto anno ætatis ex hac vita migrarunt XI. Gustavus Rudolphus, V.J. Candidatus, in hac, Lipsiensi, aliisque Academiis bene vixit, ac porro externas terras perlustravit, nuper admodum Principum Juventutis Friderici, & Johannis Wilhelmi studiis admotus, cum Eis Lugduni Batavorum agit. Inter bona, quæ Cancellario Nostro obtigerunt varia, sua valetudo merito numerari debet. Anno tamen CIↃ IↃC LXXVIII. catarrhus hemiplecticus cum spasmo cynico ipsum invasit, loquendi facultatem adimens: attamen ab usu medicaminum omnia iterum se habere cœperunt melius, sic ut publice ac privatim officio satis posset facere. At anno CIↃ IↃC LXXXIX. XV. Maji febris eum corripuit videntior, quæ variis aucta symptomatibus, tandem in catarrhum suffocativum degeneravit, virumque de Republ. summe meritum, jam prope octogenarium, XVI. Maji, hora sexta vespertina, exstin-

xit.

xit. In concione funebri supremus sacrorum Gothanorum antistes, pientissimus doctissimusque Fergius, sermonem ex suggestu habuit valde religiosum: ipse vero brevi oratione panegyrica Serenifs. Ducum legatis aliisque funeris comitibus a nobilissima vidua gratias agere jussus sum.

JOHANNES FRIDERICUS BACHOV AB ECHT.

Consiliarius intimus ab anno CIↃ IↃC LXXV. & post obitum Avemanni Cancellarius: Vir profecto incomparabilis: quem Deus servet!

FRIDERICUS BORN.

Königsea-Thuringus, J. V. Ddus, Consiliarius intimus, ab CIↃ IↃC LXXVIII. in CIↃ IↃC LXXXIII. annum. Postea Biruthum, ac denique Coburgum concessit: ubi hoc ipso anno CIↃ IↃC XCIII. pridie quam Jenam essem reversurus, die nimirum XI. Martii, inter quartam quintamque pomeridianam, phthisi exhaustus obiit, a liberis & generis ad Froburgense in Misnia Electorali prædium abductus.

BERNHARDVS PFLVG IN POSTERSTEIN.

Consiliarius intimus anno CIↃ IↃC LXXX-CIↃ IↃC LXXXIII. quo Jenam ad splendidam supremi Inspectoris (Oberauffsehers) Spartam vocatus est.

CHRISTIANVS LVDOVICVS A SCHONBERG.

Dresdensis, inclyto militia Brunsvico-Luneburgensi & Electorali Saxonica parente natus, Consiliarius intimus ab anno CIↃ IↃC LXXXIII. nunc Ratisbonæ legatum agit.

HIOBVS LVDOLPHVS.

Erfurtensis, Consiliarius intimus, ab anno CIↃ IↃC LXXXVII. jam Francofurti ordinarius legatus (Residentem vocamus) aliquot Ducum Saxonicorum audit. Stupenda hujus viri in Æthiopicis est doctrina, gravissimis aliquot speciminibus, ac denique luculenta *Historia Æthiopica* demonstrata.

JOHANNES HENRICVS AB ERFFA IN TREBRA.

Consiliarus intimus renuntiatus est anno CIↃ IↃC-LXXXVII. nunc potissimum Christiano Saxoniæ Duci, cujus sedes Eisenbergæ habet, inservit.

CONSISTORII PRÆSIDES ET DIRECTORES.

Georgius Frantzkius. D. *Præses.* CIↃ IↃC XLI.-CIC IↃC LIX.

Johannes Michael Straus, D. *Director* CIↃ IↃC XLI. CIↃ IↃC XLVII. quo Cancellarius Saxo-Hennebergicus Meinungæ factus.

JOHANNES CHRISTOPH. LOBHARTZBERGER.

Freibergæ in Misnia anno CIↃ IↃC XII, V. Febr. natus, patre Johanne, J. V. Doctore & Practico, Christophori, Cos. Glazensis in Silesia filio; matre Christina, Wolffgangi Hilligeri, Senatoris Freib. filia, quam nondum anniculus amisit. Quia autem pater, qui ab excessu conjugis Glazium se receperat, ipso undecenni vitam finiverat, ab affine novercæ, Andrea Rejo, mercatore Vratislaviensi, potissimum educatus, in Gymnasio Elisabethano tantos collegit doctrinæ fructus, ut anno CIↃ IↃC XXX. Lipsiensem Academiam adire posset. In ea tamen cum vix quatriduum hæsisset, in periculosum morbum incidit, qui, accedente gravi lapsu, cerebrum ita concussit, ut ab eo tempore, quæ felicissima hactenus fuerat vis memoriæ, non parum detrimenti ceperit. Hanc tamen resarsit continens industria, quam tum Lipsiæ, tum Jenæ, quo mense Majo anno CIↃ IↃC XXXII. concessit, in variis disputationibus, aliisque literariis exercitiis demonstravit. Anno CIↃ IↃC XXXVIII. Wittebergæ inter Provincialis Curiæ Advocatos fuisset receptus, nisi maluisset Vinariæ in praxi Juridica elaborare. A quo tempore, cum & anno CIↃ IↃC XL. elogio Doctoris ornatus esset, varia & luculenta ei munera offerebantur. Quod tamen deliberatum esset, Vratislaviam se recipere, iisdem se addicere noluit:

noluit: donec, cum jam relicta Vinaria, Jenæ ad iter Silesiacum se accinxisset, ex decreto Saxoniæ Ducis Wilhelmi, per Zachariam Prüschenckium anno cIↃ IↃc XLI. a proposito retraheretur. Sic igitur Consiliarius factus aulicus Saxo-Vinariensis, anno cIↃ IↃc XLIII. ab Ernesto Pio Duce, geminæ Spartæ admovetur Gothæ, annoque cIↃ IↃc XLVII. etiam in Synedrium sacrum receptus, quamdiu vixit, Directorem in eo egit. Anno ineunte cIↃ IↃc XLV. inter Gotham & Isenacum propter aquarum eluviem vitæ adiit periculum. Eodem anno conjugem sibi sociavit Annam Christinam, D Valentini Melasii JCti & Practici Hallensis filiam, nuptiis XX. Septembr. Isenaci celebratis. At sterile non modo fuit conjugium, sed etiam propter varios morbos grave, quippe qui semel eum per sesquiannum lecto affixum tenuere. Emortualis annus erat cIↃ IↃc LV. quo colica, ac demum hydrops eum invasit: unde ad beatum abitum se componens, facto testamento, Serenissimo Domino pro variis beneficiis, per conjunctissimum sibi Cancellarium Frantzkium, gratias egit humillimas, ac demum præsente uxore, laudatoque Cancellario, XXIV. Augusti animam exhalavit. Quod ei posuit epitaphium, M. Johannes Hankius, dignum, quod repetatur, censeo.

Situs sub hoc Lobharzbergerides marmore est,
Freiberga Saxonis quem Saxoni tulit:
Silesiorum Bresla formavit rudem:
Thuringiorum Jena Doctorem extulit:
Tandem Senatorem sibi adscivit Gota:
Indepta Gota singulorum munera.
Laudes Viri cupis? Vel hinc discas licet:
ERNESTVS ipse (at quale Nomen Principis!)
Viventem amavit; mortuum desiderat.
Auctumnus ibat, qvum repostus huc fuit:
Conduntur hoc fructus Tributæ tempore,
Centrumque maturũ omne qvum Terram petat;
Putris cadit, decerpitur pandens botrus.

 Tantum

Tantum senecta defuit viro inclyto.
Sed optimum Natura vult ut ſit breve.
Nentem videmus ſericum vermem Tyrum;
Sed nemo nentem ſericum vidit ſenem.

Erneſtus Ludovicus Avemann: *Præſes.* cIↃ IↃc LX. - cIↃ cIↃ LXVI.

JACOBUS HENRICUS HEIDENREICH.

In arce Weiſſenſeana anno cIↃ IↃc XXIII. XXI. Martii natus, patre Melchiore, Quæſtore Weiſſenſeano, matre Maria Johannis Ludolphi, Senatoris Erfurtenſis, ac Annæ Weſneriæ filia, anno cIↃ IↃc XXV. in puerperio exſtincta. Avum habuit Wolffgangum Heidenreichium, Electori Saxoni a ſecretis feudalibus, aviam Martham Dehniam. Puer novennis patrem, qui tempeſtatibus bellicis ſe ſubducturus, Erfurtum ſeceſſerat, anno cIↃ IↃc XXXI. V. Septembris amiſit: ejus tamen fratrisque majoris curam provide geſſerunt cognati tutores, Jobus Ludolphus, civicus, & Auguſtus Heidenreichius, caſtrenſis Quatuorviri. Inter domeſticos præceptores inprimis eluxit Sebaſtiani Meidſchii induſtria, quam porro in Rectoratu nobilis ſcholæ Roſslebianæ demonſtravit. Publicam tamen etiam ſcholam a Prædicatoribus monachis nomen habentem, ac porro Gymnaſium adiit, & huic quidem anno cIↃ IↃc XXXVIII. habita oratione valedicens, lectionibus Academicis adſvevit, Doctoribus potiſſimum uſus, Matthæo Meifarto, & Bartholomæo Elsnero, SS. Theologiæ, Henninge Rennemanno, Juris Doctoribus & Profeſſoribus, ut & M. Jacobo Ilgen. Anno cIↃ IↃc XLI. in Groninganam Occidentalis Friſiæ Academiam concedens, integrum triennium in ea exegit, ſummo multorum Profeſſorum, & in his D. Steinbergii, Johannis Langii, Tobiæ Andreæ, Matthiæ Paſoris, & Martini Klockii patrocinio, favore, ac informatione uſus. Et Klockius quidem, perſpecta juvenis induſtria, ac φιλομαθείᾳ, variis eum libris juvit, ac inſuper ſolum gratis erudivit.

divit. Anno cIↃ Iↄc xlv relicta Groningana, Franequeranam Academiam accessit, ac se præcipue Johanni Jacobo Wisenbachio, celebri JCto, applicuit. Adulto autumno, relicto Belgio, in Westphaliam migravit, ubi tum negocia pacis Germanicæ fervere cœperant: ac primum D. Wedenhofii, Electoris Coloniensis Judicis Aulici convictu aliquamdiu usus Osnabrugæ, procedente tempore, legato primario Electorali Brandenburgico, Johanni Comiti Sainæ ac Witgensteinii innotuit: qui, perspecta Heidenreichii eruditione, ac in rebus agendis dexteritate, per absentiam D. Swinceri, qui ipsi a consiliis & secretis fuerat, vices cum Secretarii elogio ei credidit, ac usque ad beatum excessum suum impense favit. Anno cIↃ Iↄc xlvi. Baroni Lövio Electorem Brandenburgicum de intricato statu tractatuum pacis coram edocturo Berolinum comes ivit, eoque Electorali viduæ de meliori nota commendatus, in variis negociis, loco Herdesiani ad Anhaltinos Principes missi Secretarii, eidem inservivit. Quo tempore ipse Elector de virtute & doctrina Heidenreichii factus certior, spem ei fecit promotionis, optione simul relicta, an in aula subsistere, an interim ad Comitem Witgensteinium se vellet recipere. Quod postremum cum elegisset, Comes illius curæ commisit filium natu majorem, Christianum Ludovicum, cum quo per fœderatum, ac Belgium Hispanicum, in Galliam profectus, non sine periculo Lutetiam pervenit anno cIↃ Iↄc xlviii. XIV. Aprilis: quo mense Novembri etiam alter filiorum Georgius Wilhelmus mittebatur. Anno cIↃ Iↄc xlix. cum Galliæ Rex metropolin suam obsidione statuisset cingere, Heidenreichius cum Comitum biga inter sacrum ac saxum versabatur: mansit tamen Parisiis in anni sequentis mensem Februarium, ac tum relicta Gallia VII. Aprilis in Comitatum Hohnsteinianum reversus est. Ex quo tempore a Comite Consiliarii loco habitus, ab eodem in suis ac Principatus Mindani causis, tum Erfurtum ad Svecicos legatos urbem illam transeuntes missus est: nec minus

Lippi-

Lippienſis Comitis virginis negocia magni ponderis feliciter expedivit. Dum autem Comes Witgenſteinius ipſum denuo cum minoribus filiis, quibus Comites duo Waldecciani jungendi, in Galliam ablegare cupit, ſupervenit Erneſti Pii vocatio ad munus Secretarii feudalis: quod anno cIↄ Iↄc LI. XXIV. Novembris aggreditur. Anno cIↄ Iↄc LIII. cum Comite Witgenſteiniano Berolinum proficiſci neceſſum habuit. Ab exceſſu Johannis Chriſtophori Lobhartzbergeri dignitatem Conſiliarii aulici indeptus, habita Altorfii pro Licentia diſputatione absque præſide, anno cIↄ Iↄc LVI. XXX. Septembr. novam Spartam in ſe recepit. Anno cIↄ Iↄc LVIII. a morte Comitis Witgenſteinii, non modo relictos filios, ſed & eosdem cum Statibus Comitatus Hohnſteiniani, cum omnium applauſu, conciliavit, ac Cancellarii ſtationem impetraſſet, niſi Deus eum Erneſto Pio relinquere voluiſſet. Ab hoc anno cIↄ Iↄc LX. ad Leopoldum Cæſarem ad præſtandum feudale homagium, itemque ad Electorem Bavarum legatus ivit: eoque ſimul Fridericum Ducem, Erneſti Pii filium, ſed ſub ſchemate humiliori latentem deduxit. Ab anno cIↄ Iↄc LXIII. usque ad reditum Erneſti Ludovici Avemanni, ad comitia Ratisbonenſia ablegati, Procancellarii vices ſuſtinuit. Anno cIↄ Iↄc LXV. (quo domus ejus cum magna rei familiaris jactura conflagravit) & cIↄ Iↄc LXVII. operam navavit ſedulam in componendis inter Electorem Moguntinum ac Erfurtenſes, ut & ipſam domum Saxonicam, litibus. Anno cIↄ Iↄc LXVI. XXI. Martii Protoſynedrii Gothani Præſes renuntiatus, anno cIↄ Iↄc LXVII. Dresdam in ſecretioribus occupationibus; anno cIↄ Iↄc LXVIII. ad ſolemnia funebria Magdalenæ Sibyllæ Altenburgum; anno cIↄ Iↄc LXXII. una cum Alberto Duce ad hanc metropolin Altenburgicam poſſeſſionis adeundæ ergo miſſus, cum poſtea, adventante Friderico Duce, tractatus cum triga Ducum Vinarienſium, ut & relicta Friderici Wilhelmi filia, Johannis Adolphi Saxonis conjuge ſuſciperentur, usque ad felicem illorum exitum in

iisdem

iisdem desudavit. Anno cIↃ IↃC LXXII. cum mense Januario superioris ac inferioris Circuli Saxonici præcipui legati Quedlinburgi convenirent, eo quoque Noster, ex Domini decreto concessit. Unde redux in gravissimum morbum incidit. Anno cIↃ IↃC LVII. I. Nov. uxorem duxit Susannam Margaretam, Ægidii Hunnii, SS. Theol. D. & Superintendentis Generalis Altenburgici relictam filiam, ex qua quatuor filios & sex suscepit filias, quorum, præter filias, non nisi unicus filius superest, Juris utriusq; Doctor, & Advocatus clarissimus. Anno cIↃ IↃC XVI. Martii vehemens dysuria ipsum invasit, adeoque corpus confecit, ut crebræ vigiliæ, aliaque incommoda, reliquas vires exhaurirent, ac die XXI. Martii, quo ipso fuerat in lucem editus, inter conjugis, liberorum, fratris Eliæ Rudolphi, sed & Antistitis primarii, Joh. Christiani Götteri, preces, lacrumas, & suspiria, placide occumberet, magno sui relicto desiderio.

JOHANNES JACOBUS AVIANUS D.

Erfurtensi patriæ, præcipue in gravissimis illis motibus, fidam navavit operam: sed parum gratiæ referens, post subactam urbem, in hac Academia Professor renunciatus; summo cum studiosæ juventutis applausu fructuque, jura docuit: deinceps ab Ernesto Pio inter Consiliarios receptus, ab anno cIↃ IↃC LXIV. Præses fuit Consistorii, annoque cIↃ IↃC LXXX. Alberti Ducis Consiliarius intimus, ac Cancellarius factus est Coburgi. Denique inter Dicasterii Spirensis Assessores receptus, paulo ante ferale excidium Spiræ exspiravit.

MAGNUS SAUL.

J. V. Ddus, patria Densteta-Thuringus, jam per duodecim annos Præsidis Spartam (quam anno cIↃ IↃC LXXX. nactus) ornat, pluribus alibi a me laudatus.

CASTRI FRIEDENSTEINIANI PRAEFECTI.

Fridericus a Thillitsch. *Chiliarcha.* cIↃ IↃC LXIX. - cIↃ IↃC LXXXI.

 Otto

Otto Wilhelmus a Berlepſch, in Vhrleben, *Generalis Vigiliarum Præfectus*, an. cIↄ Iↄc LXXI. - cIↄ Iↄc LXXXIII.

Johannes Ericus Mellinus, Francus, *Chiliarcha*, anno cIↄ Iↄc LXXXIV. XXIV. Martii. Sed non multo poſt Præfecturam caſtri relinquens diſceſſit.

Georgius Erneſtus a Witzleben, in Libenſtein, *Vigiliarum Præfectus*. an cIↄ IↄcLXXXV. - cIↄ IↄcLXXXVIII.

Ludovicus Henricus de Sebottendorf, *Chiliarcha Locum tenens*, ab anno cIↄ Iↄc LXXXVIII. I. Aug. usque ad exceſſum Friderici Ducis anno cIↄ Iↄc XCI. qua tempeſtate in Electoratum Saxonicum conceſſit.

CONSILIARII AVLICI.

Johannes Michael Straus, D. an. cIↄ Iↄc XL. - cIↄIↄc XLVII.

Chriſtophorus ab Hagen. cIↄ Iↄc XL.

Johannes Chriſtoph. Lobhartzberger. D. an. cIↄ Iↄc. XLI. ad an. cIↄ Iↄc LV.

Georgius Achatius Heer, Norimbergenſis, Comes Palatinus Cæſareus, ab anno cIↄ Iↄc XLV. VIII. Martii. Legatus ad tractatus Pacis Osnabrugam, & proxime ſecuta Ratisbonenſia Comitia miſſus; tum Præfectus Königsbergenſis, Heldburgenſis, & Eisfeldenſis, poſtea Cancellarius Schwartzburgico-Rudelſtadenſis factus eſt. Vitæ ejus hiſtoriolam alibi dabimus.

Wilhelmus Schröter D. an. cIↄ Iↄc XLVII. antea ab an. cIↄ Iↄc XLIII. Præfectus Königsbergenſis.

HIERONYMVS BRVCKNER. D. Senior.

Anno cIↄ Iↄc XIV. die XXVI. Auguſti natus Erfurti, patre ejusdem nominis, Conſiliario Saxonico, & Conſule Erfurtenſi primario (Obriſt-Raths-Meiſter) viro ſumme docto, & prudente, ac de Rep. patria (ceu alibi fuſius oſtendemus) infinitis modis merito, & ab ipſo quoque Guſtavo Adolpho, magno Svecorum Rege, valde æſtimato: matre Regina, Rudolphi Jüngeri, Præfecturæ Erfurtenſis Aſſeſ-

Assessoris primarii (Ober-Stadt-Voigts) filia, viragine justi rectique tenace: quæ fere nonagenaria obiit anno cIↄ Iↄc LXXXII. cum filium, nepotes, neptem, & complures ex illis natos, raro exemplo, vidit, ac impense fovit. Postridie baptizatus, pro eo fidei vitæque integritatem spopondit Hiobus a Stotternheim, in Tunzenhausen, incluti palatii illius Erfurtensis in Jesuiticam mansionem mutati celebris conditor: ac ipse porro tum domi, tum in schola publica, gnaviter institutus, & ad pietatem primo, ac reliquas virtutes, dein ad solidam eruditionem, manu quasi ductus, in tantum profecit, ut anno cIↄ Iↄc XXXI. ad Academiam Lipsiensem mitteretur. Inde exacto anno, cum fructu reversus, quam fuerit industrius, tres disputationes, quas uno eodemque anno, & duas quidem, nempe *ad l. XV. D. de auctoritate & consensu Tutorum*; item, *Positiones ex materia Transactionis*, sub præsidio D. Henningis Rennemanni JCti; tertiam, *Positiones ex Donationum materia*, absq; præside habuit, satis superque demonstrant. Peroravit quoque in frequenti panegyri, *de Donatione Bonorum Ecclesiasticorum ab Imperatore, quæ is bello cepit, in magistratum laicum eo fine collata, ut iis Ecclesiæ & Scholarum utilitas promoveatur.* Anno cIↄIↄcXXXIII. Lugdunum Batavorum profectus, Professores literarum humaniorum, Philosophiæ ac Juris, ac inter istos inprimis Marcum Zverium Boxhornium, Oratorem ac Politicorum scriptorem magni nominis (hujus & convictu usus) diligenter audivit: ab hoc contra pro flore juventutis Academicæ habitus. Hinc excursione facta, Amstelodamum, Bruxellas, Lovanium, Vltrajectum, Mittelburgum, Franequeram, pluresque urbes alias, sollicite perlustravit, anno cIↄIↄcXXXVI. domum reversus. Maritus factus est ineunte anno cIↄ Iↄc XXXVIII. ducta in matrimonium Christina, Henrici Brandii Senatoris Quatuorviri, gnata virgine: cujus singularis θεοσέβεια mihi quoque singulariter perspecta fuit: quæque in ferali illa peste anno cIↄ Iↄc LXXXIII. vivere desiit.

Ex hac, præter unicam filiam, novem nati masculi, quorum tres, Rudolphus, Mauritius, & Enochus, immatura morte decesserunt. Reliqui sunt: I. *Hieronymus*: de quo paulo inferius sigillatim agemus. II. *Rudolphus alter*, an CIↃ IↃC XLII. IX. Maji in lucem editus: qui sub informatione primum Præceptorum domesticorum, post, quando eum avia, ab excessu Jungeriæ, in præclaram domum Torneamenti insigne præferentem, secum abduxisset, in Michaelitana triviali schola, ac iterum una cum fratribus domi institutus, adolevit. An CIↃ IↃC LXI. mense Martio Lipsiam concessit: quem brevi post sequebatur frater Hieronymus, eo ipso tempore, quo Pennalismus, multorum malorum scaturigo, animam ageret. Hic in politiori literatura privatum moderatorem nactus est Fridericum Geislerum, Philosophiæ, ac denique Juris Doctorem: ab fratre autem Hieronymo Romani juris principia ex Iustiniani Institutionibus hausit: quas dein noviter ei inculcavit Cl. Noricus, J. V. Ddus. Anno CIↃ IↃC LXII. Octobri mense relicta Lipsia, domum reversus, annoque CIↃ IↃC LXIV mense Junio cum Johanne Theophilo Adami in Hollandiam profectus, exeunte Augusto rediit. A quo tempore, quæ gravibus amplisque curis œconomicis distenta erat, aviæ, pro virili suppetias tulit, fratribusque minoribus paterna ferme sollicitudine prospexit. Anno CIↃ IↃC LXXVIII. primus ejus conjugalis, perinde ac meus, fuit, ducta uxore Maria Sophia, Bartholomæo Kelnero, Serenifs. Saxoniæ Ducum vectigalium præfecto primario (Obergeleitsmañ) Erfurti constituto, ut & Ærarii Ducalis Jenæ Inspectore, nata. Anno proximo præfectus Vippachianus a Moguntinis renunciari meruit: sed cum anno CIↃ IↃC LXXXIII. XXIV. Januarii conjugem amisisset, & ipse XIV. Junii peste extinctus, ac sepultus Vippachii, filiolam reliquit unicam, Dorotheam Barbaram, laudatæ domus ad Torneamentum, hæredem. IV. *Wolffgangus*: anno CIↃ IↃC XLIII. XIX. Decembris natus, quem per infantiam ac pueritiam epilepsia tam graviter

viter infeſtavit, ut aliquoties parentes de ſalute deſperarent. Tandem tamen convaluit, ac in pietate, œconomicis, ac muſicis, ſummopere profecit. Anno CIↃ IↃC LXV. die XXV. Aprilis petulans ac ferox miles Svecus ſiniſtræ ejus pollicem acinace amputavit, qui publice talionis pœnam III. Maji ſubiit, absq; commeatu inſuper a legione dimiſſus. Poſtquam avia deceſſit, anno CIↃIↃC LXXII. XXXVI. Septembris matrimonio junctus eſt Barbaræ Albertinæ, Phyſici Gera - Schwartzburgici filiæ, annoque CIↃ IↃC LXXXIII. in famoſa peſte Erfurtenſi improlis extinctus eſt. IV. *Philippus*: qui an. CIↃ IↃC XLVII. III. Novembris progenitus, annoque LXIII. ad Gymnaſium Gothanum miſſus, lectionibus Claſſis Selectæ interfuit, poſt domum reverſus, variis Collegiis Philologicis ac Philoſophicis nomen dedit, donec anno LXV. ſtudio Juris ſe mancipando, Inſtitutiones ab Hieronymo fratre expoſitas exciperet. Anno LXVI. cum laudatus frater cum biga Principum Gothanorum Tubingam concederet, Noſter eo quoque profectus ſapientiæ ac juris ſtudia porro excoluit; aliquot etiam itineribus, ante Erfurtum quam reverteretur, anno LXVIII. defunctus. Anno LXX. inter Alberti, Erneſti Pii filii, comites fuit itineris, cumque fratre Hieronymo Wolferbytanam, Gottorpienſem ac Guſtrovienſem Ducales, ſed & Hafnienſem ac Holmienſem regias vidit aulas, cum inſigni fructu reverſus ſequentis anni menſe Martio. Anno LXXII. menſe Majo, per Lipſiam, Wittebergam, ac Berolinum, in Francofurtenſem ad Viadrum Academiam pergens, celeberrimum Philologum, Sebaſtianum Ramsbeckium, cui pridem Erfurti innotuerat, convenit primum: qui & eum Brunnemanno, Rhetio ac Stryckio, magnis illis JCtis, commendavit. Exin Chriſtiani Heidecampii, Electoralis Conſiliarii Brandenburgici filium Coloniæ ad Spream per biennium bonis literis inſtruens, luculentum indipiſcebatur ſalarium, cum honorifico vitæ bene ibidem actæ teſtimonio, & commendatitiis ad Chriſtianum Langium Tribunum,

 Neo-

Neomagensi præsidio præfectum, dimissus. Huic aliquandiu a secretis cum fuisset bellicis, nec id vitæ genus homini quietis avido placeret, ac insuper accederet gravis casus, cum bona Tribuni gratia, missionem impetrat. Nimirum cum aliis ad castrum hostile Neomago missus, quando Galli tormenta in adventantes exploderent, vehemens prope ipsum transeuntis globi ejaculati stridor equo excussit Brucknerum, ut comites de vita ejus actum putarent. Sed cum collecto spiritu incolumis abiret, novum tamen periculum evadere non potuit: namque per curtum asserem conscensurus navem, Coloniæ in Rhenum præceps delabebatur. Et hic quidem geminus terror, perpetuum fere frigus, ac febrim denique ardentem concitavit: cujus vi oppressus XXVII. Aprilis vitam cum morte commutavit.

V. *Georgius Henricus*. Huic natalis annus cIↄ Iↄc LII. dies, quartus Decembris, susceptor autem fuit illustris Cancellarius Frantzkius. A domesticis partim, partim a publicis Præceptoribus in schola (quam vocant) Prædicatorum pietate ac literis imbutus, anno cIↄ Iↄc LXVI. mense Aprili Gotham missus in convictum Concionatoris aulici Jeremiæ Balthasaris Ludovici, Gymnasium, ad usque Augustum mensem anni cIↄ Iↄc LXXII. frequentavit. Hinc Erfurtum regressus, anni insequentis die V. Junii inter Salanæ nostræ cives receptus, studiorum præcipue philologicorum rectorem habuit ingeniosum, doctum, ac eloquentem virum juvenem, M. Henricum a Lith, qui postea D. Musæi gener, SS. Theol. Licentiatus, ac Onoldi primarius pastor factus, ante paucos annos vivendi finem fecit. Quia autem jam Gothæ Institutiones ei inculcaverat frater Hieronymus, juridica studia, tum Jenæ, tum Erfurti feliciter continuavit, præside D. Mauritio Gudeno, Schnobelii Disputationibus XXV. publico exmini propositis. An. cIↄ Iↄc LXXVI. Gothæ in convictum fraternum assumtus, & ab eodem aliisque claris viris ad praxin deductus, industriæ doctrinæ, judiciique specimina hoc in genere edidit non

pauca. Anno CIↃ IↃC LXXVII. iterum in patriam digressus, post solennia examina, ac habitam disputationem de *Postliminio* inauguralem, licentiam docendi ac disputandi, sed & Prof. extraordinarii sequenti autem anno V. Junii Doctorale elogium accepit: mox D. Henrico Wilhelmo Grashofio, Prof. Juris ordinario succedens, annoque CIↃ IↃC LXXXV. honorarii assessoris in Dicasterio urbano locum indeptus. Anno CIↃ IↃC LXXXI. XII. Aprilis uxorem duxit Christianam Elisabetham, magni illius JCti Hallensis, D. Johannis Christophori Heroldi filiam, cum qua ex voto animique sententia agens, pluribus liberis fuit auctus, qui tamen plerique ante diem abierunt. Varias conscripsit disputationes eruditas, itemque libellum de Domaniis, verum juventutis Academicæ antecessorem, intemerata non minus vita, quam exquisita docendi solertia, agens VI. *Wilhelmus Hieronymus*: posthumus natus anno CIↃ IↃC LVI. XXIII. Septembris, atque Cancellario Saxo-Gothano D. Wilhelmo Schrötero ex baptismatis sancto fonte levatus est. Domi primum pietatis, dein & literarum capita hausit, in Prædicatorum, ac Michaelitana scholis. Hinc privatim cum aliquot patritiis comilitonibus Constantini Mülleri informatione per biennium utebatur. An. CIↃ IↃC LXXI. Gotham profectus, frequentavit Gymnasiũ, ubi ultra quadriennium substitit, orationibus, Hebraica, in laudem Ernesti Pii; & Latina, in memoriam Ludovici concionatoris aulici publice habitis. Anno CIↃ IↃC LXXVI. XXVI. Maji albo Academiæ nostræ, Rectore Johanne Volkmanno Bechmanno inscriptus, variis collegiis publicis, privatisque, & in his qualibuscunque meis quoque interfuit sedulo. Ante domum quam revocaretur, anno CIↃ IↃC LXXVIII. XXVIII. Sept. disputationem *de Causa morali*, proprio conscriptam Marte, habuit, præside Valentino Velthemio P.P. In patria potissimum audivit fratrem D. Georgium Henricum, jus Naturæ, privatum, & publicum explicantem; nec multo post ipse Studiosos in variis Philosophiæ partibus, sed & in

Grotia-

Grotiano de Jure Belli & Pacis opere erudivit. Peste Erfurti immodice grassante, ad fratrem Rudolphum, Præfectum Vippachianum concessit: cumque ibidem etiam lues matrem cum plerisque famulitii sustulisset, fratris itidem decumbentis curam, donec animam exhalaret, magna cum fide gessit. Ceterum cum ipse quoque contraxisset contagium, in urbem reversus, ac Medicorum usus ope, inter media suorum funera (Volfgangi fratris, hujusque uxoris, ut & Rudolphi Adani, ejusque sororis, Regina sorore, natorum) mirifice convaluit. Anno cIↃ IↃc LXXXIV. inter Candidatos allectus, anno cIↃ IↃc LXXXV. XIX Aprilis V. J. Doctor renuntiatus, non multo post, Professione Juris Naturæ & Gentium extraordinaria auctus, varias disputationes, & privatas diatribas habuit. Anno cIↃ IↃc LXXXIX. XXVII. Augusti cum Anna Christina Beckeria, virgine genere ac virtutibus florentissima, nuptias celebravit: ex quo conjugio filius filiolaque (nam alter filiolus sesquiannum agens animam exhalavit) nati Parentes exhilarant. Anno cIↃ IↃc XC. ab obitu D. Bechmanni JCti, unanimi JCtorum Profess. consensu, in successorem denominatus, Serenissimisque Nutritoribus commendatus, cum Institutionum Juris professionem ordinariam impetrasset, diploma vocationis a Rectore Wedelio subscriptum, bono omine, Gotham ei attuli eopse die, quo primus filiolus erat baptizatus: ac paulo post Disputationem pro loco habuit doctissimam, *de Promissione per vim extorta.* Quandoquidem igitur nuper admodum Hieronymus frater, Consiliarius Saxo-Gothanus vita excessit, servet Deus lectissimam illam fratrum bigam, Georgium Henricum Erfurtensem, ac hunc Wilhelmum Hieronymum, Jenensem, Professores, amicos meos, & Collegam conjunctissimos, optime de juventa ac Rep. literaria meritos, atq; in posterum magis magisque merituros, &, quod caput est, in hoc impio seculo, pietatis, probitatisque avitæ ac paternæ vere studiosissimos. Quod ad filiam attinet *Reginam*, ea quidem anno cIↃ IↃcXLVI.

die

die XVIII. Februarii nata, ab avia potissimum educata, in singulare decus atque exemplum sexus evasit fœminei. Anno CIↃ IↃC LXII. a matre, ac laudata avia, Lipsiam deducta, ibidem cognatæ Schmidiæ per aliquot menses adhæsit, rebus ad mundum fœmineum pertinentibus præcipue exculta. Anno CIↃ IↃC LXIV. XXX Januarii Johanni Theophilo Adami consobrino, impetrato Senatus patrii dispensatione, nupsit, ac XI. Decembris filium peperit *Rudolphum*, anno CIↃ IↃC LXXXIII peste exstinctum. Anno CIↃ IↃC LXVII. XVII. Novembris aucta est *Regina* (quæ itidem peste obiit) ac iterum anno CIↃ IↃC LXX. *Martha* filia, quæ Ernesto Tenzelio, Juris Doctori & Professori Erffurtensi, magnæ prudentiæ, pietatis, & eruditionis viro nupsit. Annus agebatur præsentis ævi quintus & quadragesimus, quando Ernestus Pius, Dux Saxoniæ, Brucknerum nostrum in Senatorum consiliariorum ordinem reciperet, sic tamen ut mutare domicilium non haberet necessum. Quod gravissimum munus, etsi quorundam expositum invidiæ, ea tamen cum solertia gessit, ac industria, ut Domino fidem, Collegis studium concordiæ, Reip. integritatem suam probaret, ac adversariorum machinæ necquicquam proficerent. Erat enim vitæ morisque illibati exemplar, & ad præscriptum verbi divini se, suos, suaque conformabat omnia: ut adeo cum anno CIↃ IↃC LVI. VI. Augusti, & sic vere ante diem, ex cardialgia febrili, quam cacochymia promoverat hypochondriaca, de vita decederet, in templo Prædicatorum sepultus, certo sermone vulgaretur, *Christianissimum, fortissimum, fidelissimum, doctissimum, experientissimum, mitissimumq; virum abiisse*. Memoria ejus in propriis, sed & in filiorum meritis, annabit atque perennabit.

Ernestus Ludovicus Avemann. CIↃ IↃC XLIX.

Vitus Ludovicus a Seckendorff. CIↃ IↃC L.

Jacobus Henricus Heidenreich, Ddus. CIↃ IↃC LVI. CIↃ IↃC LXXIV.

Hiobus Ludolphus, Ddus, ab an CIↃIↃC LXIV.

Johannes Achatius (Esche) de Walwitz. CIↃ IↃC LXIV. cIↃ IↃC LXVI.

Christianus Fridericus Prüschenk a Lindenhofen. Zachariæ filius. an. CIↃ IↃC LXV. an. cIↃ IↃC LXXVIII. mortuus.

De hujus doctrina & meritis alibi dicendum nobis erit. Interim non possumus non monere hoc loco, Zachariam patrem insigne de majoribus suis Prüschenkiis ac sua ipsius vita volumen Germanicum conscripsisse, cujus particulam quandam ipse possideo; non indignum tamen, quod integrum aliquando prodeat in lucem.

Salomon Zapf, D. an. cIↃ IↃC LXIV. Hic postea Consiliarium Saxo-Cizensem; & hinc Electoralem; ac iterum Cancellarium Cizensem egit, annoque cIↃ IↃC XCI. decessit.

JOHANNES FRANCKIUS. D.

Anno cIↃ IↃC XXV. die XXIV. Februarii natus, patre Johanne, pistore; & Elisabetha Wesselia: schola patria, in qua potissimum Johannis Kirchmanni, celeberrimi Rectoris institutione usus fuerat, egressus, in illustre Gedanense Gymnasium, post in Academiam Regiomontanam, ac D. Casparis Perbandi, Prof. Juris convictum se recepit. Exacto ibidem biennio, Rostochiensem Academiam adiit, Henrico Rahnio, JCto Professori singulariter commendatus. Postquam ibidem studii juridici studium emensus, in Hollandiam navigans, in Lugdunensi Academia aliquamdiu commoratus est, confectoque Gallicano itinere, Basileam venit, ubi anno CIↃ IↃC XLIX. Doctorali dignitate auctus est. Non multo post domum reverso Collegium cathedralis Ecclesiæ Raceburgensis Syndicatum ei obtulit, Viennamq; ipsum ablegavit: unde regrediens, anno CIↃ IↃC L. Norimbergæ, ubi tum solennia comitia de executione Pacis Germanicæ habebantur. Anno CIↃ IↃC LI. XV. Junii uxorem duxit Annam, Davidis Gloxinii, Lubecæ ac reliquarum Hansicarum urbium Syndici, majorem natu filiam,

ex

ex qua novem liberos suscepit, ex quibus tres filias, ac totidem filias reliquit. Illorum major in Doctorem Juris, ac nobilem Advocatum evasit: sed ante triennium vivere desiit. Alter M. Augustus Hermannus, cum per biennium Erfurti ad ædem Augustinianam Diaconum egisset, nulla sua culpa, sed adversariorum etiam ex Nostratibus intempestivo fervore exauctoratus, jam Hallis novæ Academiæ Prof. ac Pastorem suburbii Glauchensis agit. Vt ad Parentem revertamur, is anno CIↃ IↃC LIII. comitiis Ratisbonensibus, nomine alicujus Comitis, interfuit. Inde Raceburgum regrediens, Sibyllæ Hedwigi, viduæ Saxo-Lauenburgicæ, ejusq; sorori, Annæ Elisabethæ innotuit, quibus porro a consiliis fuit, missusque Syndicatu Raceburgensi, ab anno CIↃ IↃC LVIII. in patria agendis causis sedulo navans operam, incorrupti Advocati elogium a Judicibus æque ac clientibus retulit. Cum anno CIↃ IↃC LXV. Wilhelmus Christophorus, Landgravius Hassiæ, laudatam Annam Elisabetham matrimonio sibi junxisset, Franckium nostrum in Consiliarium adoptavit: unde Bingenhemium, ac porro Francofurtum concedens, gravissima quædam scripta elaboravit. At dum a Domino legatus ad Ernestum Pium mittitur, adeo eidem placuit, ut locum Consiliarii attribueret, quem & ab anno CIↃ IↃC LXVI. peregregie ornavit, suisque sumtibus insignem domum exædificavit. Ceterum dum domi forisque strenue facit officium, anno CIↃ IↃC LXIX. catarrhis infestari cœpit acribus, quos calculi ac coli dolores denique comitabantur. Accedente hinc diarrhœa, viribusque sensim deficientibus, ad beatam ἀνάλυσιν se composuit: quæ eidem contigit anno CIↃ IↃC LXX. die - - - - - - Lubecæ familiter inprimis usus est M. Henrico Bangerto, Prorectore, ac demum Rectore Scholæ Senatoriæ: in cujus gratiam etiam elegans carmen scripsit, Helmoldo & Arnoldo Slavicorum Annalium conditoribus ab Bangerto denuo editis præmissum.

Johannes Jacobus Avianus, D. ab an. CIↃ IↃC LXVI. CIↃ IↃC LXXX.

Paulus Becker, Freistadio Silesius, J. V. Ddus. anno CIↃ IↃC LXX. ad annum CIↃ IↃC LXXVIII. quo mortuus Gothæ.

Hujus vitam, quia brevi, ceu spero, impetravero, in Addendis repetam.

Johannes Fridericus Bachov, ab Echt. anno CIↃ IↃC LXXIII. - CIↃ IↃC LXXV.

Magnus Saul, Ddus. ab anno CIↃ IↃC LXXV.

Johannes Balthasar a Gabelkoven, Nobilis Austriacus.

Vir supra doctrinam solidam, antiquæ virtutis & fidei. Ab anno CIↃ IↃC LXXVI. ad an. LXXX. quo *Regiminis Saxo-Meinungensis Director* factus; ac iterum ab anno LXXXV.

Fridericus Born, ab anno CIↃ IↃC LXXVI. - LXXVIII. quo in *Consilium intimius* receptus.

Johannes Ludovicus ab Hanstein, in Walhausen, ab an. CIↃ IↃC LXXXVIII.

Nobilis, ingenii erecti, & amœni, sed & perspicacis ac providi: de cujus patrocinio magnopere mihi gratulor.

Johannes Laurentius Keysner, Arnstadiensis D. ad an. CIↃ IↃC LXXX.

Et hujus quoque vitam fortean in Addendis attulero.

Vitus Ludovicus Göckel, Heldburgo-Hennebergicus ab an. CIↃ IↃC LXXX.

Christianus Adolphus Avemann, Gothanus, Ernesti Ludovici Cancellarii filius, ab anno CIↃ IↃC LXXXI.

Hic jam a pluribus annis potissimum in legationibus ad bellica spectantibus occupatus est.

Johannes Brisemannus D. Dn. Friderici Bornii, Coburgi nuper demortui gener. ab an. CIↃ IↃC LXXXI.

Johannes Jacobi, Flensburgo-Holsatus. D. ab an. CIↃ IↃC LXXXIV.

Vir eruditionis exquisitæ, singularis humanitatis, & in expediundis etiam gravissimis negotiis rarioris felicitatis. Studiorum juridicorum curriculo in hac Salana absoluto,

Docto-

Doctoris elogium ex merito reportans, variis illud selectioris argumenti habitis disputationibus confirmarit. Iner Advocatos Curiæ Provincialis Jenensis receptus, ac publica Professione dignissimus habitus, anno clↃ IↃc LXXXIII. Consiliariis Ærarii Ducalis Saxo-Gothani, annoque sequente etiam aulicis adscribi meruit, ob varias virtutes a Serenissimo Friderico Duce gratiose semper æstimatus: ac nunc etiam Serenissimo Saxoniæ Duci Henrico, cujus sedes est Römhilda, singulariter est a consiliis. Conjugem habet Mariam Elisabetham, Joh. Volckii, Phil. & Med. D. Physici Gothani, ac Mariæ Gerhardinæ filiam, D. Christiani Chemnicii, Theol. Jenensis privignam, animi non minus, quam corporis forma eximiam, ac, quod maxime æstimandum, veræ pietatis summe studiosam: ex qua aliquot liberis auctus est. Excellentissimo huic Viro multum debet Gothana hæc historia; idemque ut porro honestis conatibus meis faveat, impense voveo.

HIERONYMUS BRUCKNER. D. Junior.

Cum hoc præstantissimo viro quia per integros septendecim annos intima mihi intercessit amicitia, hospitio mutuo, aliisque officiis confirmata, dici non potest, quantopere me Coburgi adhuc agentem affecerit tristissimum de præpropero ejus excessu nuntium. Et vero quia pietas mea exigit, ut tanti, tamque doctissimi, prudentissimique amici memoriam ad posteros conservem, benevolus lector mihi dabit veniam, si in vita, studiis, ac gestis viri recensendis, paululum fuero prolixior.

Natus igitur Brücknerus Noster Erfurti, anno æræ Dionysianæ millesimo, sexcentesimo, nono & trigesimo, ἐν μεσονυκτίῳ sexti-decimi Februarii mensis diei, ac biduo post (is erat dies Lunæ) baptizatus est. De patre, ac avo, in quorum memoriam accepit prænomen Hieronymi, jam supra diximus: quibus nunc addendum, proavum quoque id habuisse nominis, eundemque Ochsenfurti in Franconia,

nia, medio superiori seculo (anno nimirum quinquagesimo) prognatum; Magdalenæ, Mauritii Steinmetzii, Prof. Lipsiensis filiæ anno CIↃ IↃ LXIII. felici matrimonio conjunctum; die V. Aprilis anni CIↃ IↃLXXXII. in nobilissima, florentissimaque illa Lipsia placide obiisse. Præterea abavum habuit Johannem Brücknerum, Ochsenfurtensem, Magdalenæ Köhlinæ maritum; atavum autem Ottonem, Heldrito-Coburgensem. Quod vel propterea curatius commemoro: quia ex B. Viri ore accepi, repertum fuisse nonneminem, qui non verecundatus asserere, Brücknerianam Erfurtensem familiam origines debere Brückio isti Cancellario, qui capta superiori seculo Gotha, atque Gimmensteinio, in quatuor partes sectus, peracerbo supplicio vitam finiverit. Licet enim, si res vel maxime ita se haberet, progenitorum crimina, ni horum vestigiis insistant posteri, nequaquam iis adscribenda sint; ac in illa Pontanorum gente de Ecclesia ac Rep. summe meriti Viri numerentur; quia tamen aliter cum Brückneris est comparatum, eorum nomen cum Brückneris nequaquam confundendum est. Puer ac adolescens publicas nullas frequentavit scholas: sed domi partim paternæ, ac avitæ; partim in Hallenhorstiana Erfurti, ac Seckendorfiana Gothæ, pietati, probitati, bonisque artibus ac disciplinis adsvefiebat. Et vero quod ad pietatem attinet, sancte asseverare ausim, a teneris usque ad hunc quinquagesimum ætatis meæ annum, in nullam me incidisse familiam, cui infucatus Dei O. M. cultus, cum sincero proximi amore, ita curæ fuerit, cordiq; ac Brücknerianæ Erfurtensi; juvenibus nō modo, virisque, verum etiam virginibus, uxoribus, ac viduis, Christiani hominis officium καδδύναμιν facientibus: ut adeo mirum nemini videri debeat, hanc ipsam quoque gentem tot tantisque beneficiis a divina bonitate auctam, atque ornatam, sed & gravibus periculis ac cladibus, plerunque miro fere modo, fuisse ereptam. Ac memini matrem Nostri, Christinam Brandiam, in lectione S. Scripturæ aliisque orthodo-
xis

xis libris tantopere fuisse versatam, ut & in ipsis Evangelicæ veritatis hostibus, de religionis capitibus cum ipsa forte privatim disceptantibus singularem admirationem conciperit. Quid? quod ex Judæo factus Christianus, Christianus Ernestus Zarvossius, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις, aliquoties mihi narraverit, hanc matronam in controversiis cum Judæis sic fuisse exercitam, ut multis etiam doctis viris palmam in eo dubiam facere potuisset. Quam in rem cum devenio, non possum non sanctum totius Brücknerianæ familiæ institutum commendare: quo non liberi modo utriusque sexus singuli, sed & servi, ac ancillæ (quorum bonus in ædibus *ad Torniamentum* avitis plerumq; erat numerus) jubebantur adesse precibus, aliisque pietatis exercitiis, quotidie, Dominicis autem diebus paulo religiosius celebratis: quem & ipsum morem hic, de quo agimus, Hieronymus Brücknerus, ad usque beatam ἀνάλυσιν, sancte observavit, eoque omnibus suis, uti doctrina & exemplo, præluxit; ita eosdem *Unicum illud necessarium* ante omnia quærere docuit. De Rudolpho, fratre Hieronymi, supra actum paucis: sed & hic de eo monendum, quod tam gravibus licet œconomicis distineretur occupationibus, nunquam tamen prætermiserit acceptum ab avia religiosum morem toti familiæ S. primum Biblia, post Megalandri Lutheri in eandem commentaria, ejusdemque geminam Evangeliorum Dominicalium interpretationem, ut & asceticos quosdam libros, prælegere, eoque auditores omnes, inprimis autem rudiorem plebeculam adversus Pontificiorum strophas præmunire. Ceterum ut ad Nostrum redeamus, is ipse ab optimi Genitoris obitu, anno CIϽ IϽC LVI. die VI. Aprilis Gotham concessit, ubi examine consueto defunctus, in supremam, eamque extraordinariam in Friedensteiniana arce, quæ tum locum habebat, classe recipi meruit: in qua tunc temporis, præter varia latini styli exercitia pleræque disciplinæ Philosophicæ, ante omnia vero studium Historicum gnaviter excolebantur: Ernesto Pio in votis nihil haben-

habente magis, quam ut juventus hic sollicite erudita, magno postea cum fructu lectiones Academicas perciperet. Quod autem laudato anno exeunte, Princeps Juventutis major, Johannes Ernestus, nec multo post sorores ejus Sophia & Johanna, variolis extingverentur, Brucknerus, ex decreto Prorectoris, memoriam Principis adolescentis oratione panegyrica celebravit: perinde ac id in Serenissimis puellis fecit Andreas Rudolphi condiscipulus. Habebantur hæ orationes in majori arcis cænaculo, die XIV. Januarii anno cIↃIↃc LVIII. illustri Cancellario Frantzkio, aliisque Senatoribus Consiliariis, ac doctioribus aulicis præsentibus, & expromptam adolescentum memoriam commendantibus. Jam animus erat Nostro, dictoq; Rudolphi, juridico studio in posterum se addicere: unde in tempore *Justinianeas Institutiones* sibi habere cœperunt commendatas, privatum in iis explicandis doctorem nacti, Danielem Richterum, præfecturæ Gothanæ Adjunctum: cujus viri non contemnendam in instillandis disciplinis, perinde ac in excerpendo methodum, ipse anno cIↃIↃc LXXV. intimius paulo perspexi. Præterea linguæ Gallicanæ rudimenta a magistro Gallo; at vitæ studiorumque præcepta longe saluberrima hausit ab generoso hospite, Vito Ludovico Seckendorfio, Consiliario impense docto, eloquente, sapiente, ac prudente: quandoquidem convictus ejus florentissimum virtutis ac omnigenæ literaturæ erat Gymnasium: ex quo tanquam ex Trojano equo tot viri doctrina & meritis excellentes, ac inter hos Brucknerus Noster, ab ipso Seckendorfio, in æterna *Lutheranismi historia* laudatus, prodierunt. Et sane quod ad Seckendorfianum illud attinet propositum, ad seram usque ætatem ab incomparabili viro, & Hallis denique, ubi nuper obdormivit, servatum, dici non potest, quantos id in publicum attulerit fructus, quamque mereatur illud non commendari modo a Magnatibus, sed & luculentis beneficiis ornari. Nam promiscua illa cibum capiendi, tum in trivio,

tum

tum potissimum in Academiis, sed & aliis urbibus & aulis clarioribus ratio, innumeris sæpe malis est obnoxia: præcipue si hospites aut sint indocti plane, atque moribus impoliti (o utinam non quandoque Epicuri de grege porci) aut rarius cum convictoribus utiles sermones misceant; aut denique ad licentiam omnem conniveant; modo sibi in numeranda pecunia, donisque adjicialibus fiat satis. Finito examine, factaque missione ex Gymnasio, Brucknerus VI. Martii anno cIↃ IↃc LVIII. in patriam reversus, mox, pro consilio Frantzkiano, in Helmstadiensem Juliam, accuratioribus doctrinis etiam ad invidiam semper illustrem, perrexit, cum civibus commilitonibus Braunio ac Sältzero: ubi Pro-Rectore (ipsi Duces Brunswico-Luneburgenses eminentem Rectorum dignitatem sibi vendicarunt propriam) Henrico Binnio, qui ex milite non incelebris JCtus evasit, inscripti albo Academico, in ejusdem convictum admittebantur. Sed statim salivam Nostro moverunt Conringianæ prælectiones in *Machiavelli Principem*, deque *Civili prudentia*: unde magna cum attentione exceptas, in museo repetebat, per omnem vitam singularis Conringii manens æstimator. Nec diffiteri possum, Conringianam illam institutionem, qua fere per sexennium usus sum, ad conciliandum mihi Brucknerum meum non parum attulisse ponderis. Ad hæc Samuelem Rachelium, *Philosophiam moralem*; Christophorum Schraderum, *artem oratoriam*; Binnium hospitem, *Instituta* docentes, audivit; privata insuper opera M. Gebhardi Theodori Meieri, in *universa Philosophia practica*, ut & Johannis Eichelii, *Aristotelis Ethica ad Nicomachum* explicantis, non infeliciter usus. Hinc ad studiosius excolendam juredicinam toto ferebatur animo, ac ob id laudati Eichelii, JCti accuratioris, in Digesta, D. Georgii Werneri, in Paratitla Wesenbecii prælectiones diligenter admodum frequentabat; nec ab anatomicis abhorrens plane. Anno cIↃ IↃc LX. XXIX. Febr. præside, quem paulo ante nominavimus, Meiero, *ad Aristotelis Politi-*

liticorum caput III. & IV. libri primi; item sub præsidio Binniano, VI. Junii, ac XXV. Julii, *de Natura & principiis Jurisprudentiæ, ut & de divisione personarum ex primo statu*; deque *servitutibus realibus & personalibus*, ad priorem & quintam Sutholtianas Exercitationes, mascule disputavit. Horas vero subcesivas, quas plures Baccho, Veneri, foroque aleatorio, proh dolor! consecrare solent, ut valetudini ad hypochondriorum dolores declinanti consuleret, in gladiatoria, saltatoria, artibusque ejuscemodi ceteris non incommode se exercuit. Relicta III. die Augusti Julia, exacto triduo, Erfurtum reversus, matre aviaque permittentibus, anno CIƆ IƆCLXI. Aprili mense, Lipsiam contendit: quo non diu ante Rudolphus frater se contulerat: cui, ut & Schottio ac Rinckio, civibus Studiosis, *Institutiones* domi prælegebat, cum ipse interim Eckoltii ac Schacheri, celebrium Juris, ac Thomasii, Moralium Professoris, *examinatorio in Pandectas*; *practico*; & in aureos *Grotii belli pacisq; Jure* libros, Collegiis nomen dedisset, ac in addiscenda lingua Gallicana majorem posuisset operam. Die XXX. Octobris, quam proprio Marte conscripsit, in XIII. & titulos aliquot sequentes *libri II. Institutionum*, præside D. Bartholomæo Leonhardo Schwendendörffero, disputationem habuit. Ex quo Lipsiæ valedixit, anno CIƆ IƆCLXII. Majo mense Wittebergam se contulit cum Braunio: ac, postquam convictu Kirchmaieriano per octiduum usi, Magdeburgum, Helmstadium, Brunswicum, & patriam meam Lüneburgum, transeuntes, VII. Junii Hamburgum pervenere, rariora urbis non perfunctorie lustrantes, statumque Ecclesiæ Reique publicæ sollicitius cognoscentes. Navem hinc ingressi XIX. Junii, favente Æolo, quatriduo post Amstelodamense emporium attingentes, die XXVIII. Lugdunum Batavorum perventum. Exin digredientes Hagam-Comitis, splendidissima, quæ in vicinia habent, Principis Arausionensis prædia, post Lausdunensem ædem, vel ob epitaphium CCCLXV. infantium, unico miroque (ut volunt)

lunt) partu exclusorum famosum, spectabant, inde per Delphos & Roterodamum, Vltrajectum contendentes: ubi eopse tempore & nundinæ & armilustrium civicum celebrabantur. Mox visis Schönhofio, & Dordraco, Roterodamum repetentes, quodque commoda affulgeret occasio in Angliam navigandi, xx. Julii solventes Roterodamo, noctu adverso agitati vento, ancorisque ad insulam quandam fixis, illucescente die Brilam secesserunt: unde fallendo tempori, ad portum Hellevo-Slusanum excurrentes, bellicas illas naves, Friderico III. Daniæ Regi superiori anno subsidio misas, quodque aliquæ harum in prælio illo Sundico vitium fecerant, reparandas, conspexerunt. Altera navigatio felicius cessit: siquidem XXIX. Julii ex Hollandia abeuntes, Kl. Augusti Londinium ingrediebantur, metropolin totius regni, ac ordinariam plerumque Regum sedem. Sexto die Augusti per Thamesin flumen Hamtoncurtinum navigantes, Lusitanicam Caroli II. sponsam cum ipso hoc Rege prandentem viderunt: at, quod in diversoriis locus superabat nullus, vesperi pedestri itinere ad vicum Anglicano inde milliari dissitum compellebantur concedere, æditimi contubernio usi. Die XIX. Julii Mittelburgensis nauta Londinio abductos, Mittelburgum in Seelandia post triduum avexit. Postridie Vlissingam petentes, cum assequi veredarium celerem non possent, tria fere milliaria pedibus coacti emetiri, ad Slusam, validum illud castrum limitaneum denique se penetrarunt. Tum Bragas, Gandavum, Bruxellas, Lovanium, ac iterum Bruxellas profecti, ibidem Colonia ad Rhenum repetiere pecuniam ex cambio ipsis debitam, eaque non multo post accepta, die IV. Septembris Mechliniam, proximoque Antverpiam se recepere. In his urbibus multa observarunt ἀξιομνημόνευτα, ac inprimis, ut Bibliothecæ ipsis panderentur, curarunt sedulo. Antverpia excedentes, Coloniam venerunt die XIII. Septembris: ubi per triduum occupati, navigatione admodum amœna, propter littora elegantissimis oppidis, vicis, ac vineis distincta, adversum Rhenum trans-

transmittentes, die dicti mensis XIX. Confluentiam, ac XX. Moguntiam, ac demum XXIII. Francofurtum ad Mœnum ingressi sunt. Hic Brucknerus, relicto, qui Argentoratum contendebat, Braunio, per Fuldam & Isenacum feliciter in patriam revertebatur, cum singulari gaudio a suis exceptus. Mense Decembri Gotham, inque convictum cognati sui Hiobi Ludolphi, Consiliarii, se contulit, ipsoque Ernesto Duce favente, varia acta juredicialia, ad cognoscendam inde praxin, impetravit perlegenda, privatim & seipsum in processu, quem vocant, & Wanslebium contubernalem in *Institutionibus* Justiniani erudiens. Quando autem constituisset Princeps, Avemannum Consiliarium ad comitia Ratisbonensia ablegare, intercedentibus Ludolpho & Heidenreichio, factum est, ut, cum elogio Secretarii, legato jungeretur. Sic itaque Ratisbonam venit Kl. Martii, ac nomine Vinariensis domus in locum admissus publicum, consiliorum quicquid proponeretur, ac ad ea responderetur, libello, quem *Protocollum* appellare solemus, inscribens, strenue fecit officium. Narrabat mihi aliquando Brucknerus, tunc temporis nonneminem novitatis avidum, haud impetrata prius licentia, reliquis assedisse Secretariis, sed re detecta cum dedecore ex conclavi fuisse dimissum. Hactenus cum legato cibum ceperat Noster: at hujus conjuge mense Majo adventante, ipsi non minus quam reliquis ejus ministris certa pro convictu numerabatur pecunia: ut adeo per trimestre spatium ex liberalitate Ernestina Ratisbonæ degeret. Quod autem avia ad certa negotia ipsum revocaret domum, per Norimbergam, Papebergam (Bambergam vulgo vocant) Coburgum, Ilmenaviam, ac Arnstadium, finiente Junio Erfurtum rediit. Mense Martio anni sequentis CIϽ IϽC LXIV. Sparta, quæ dicitur Referendarii, a Senatus patrii proceribus ipsi demandabatur in conclavi Syndicali, Lauterbrunnio in Consyndici locum evecto. Fervebant tum temporis in patria ferales illæ de publicis pro Moguntino Præsule precibus, turbæ, in nervum denique,

obsidi-

obsidionem atq; subjugationem urbis erumpentes. Quanta tum fide ac industria, una cum aliis bonis mentibus, in componendis fluctibus urbanis, ac comprimendis seditiosorum vocibus ausisque elaboraverit Noster, alibi forte, si vixerimus, cum cura enarrabimus; vindicaturi etiam ex debito famam Aviani, Syndici Erfurtensis, post ad illustriora munia evecti, cui Johannes Mauritius Gudenus in latina *Erfurtensi historia* maculam inurere voluit. Anno cIↃ IↃc-LXV. Zacharias Prüschenckius, supremus Isenacensis Ephorus (Oberauffseher) ex decreto Ernesti Pii, in studia Bruckneriana inquirens, cum solida deprehenderet ac ampla, tantum perfecit sua commendatione, ut Brucknerus Noster Principibus aliquot Juventutis, in Historicis, Politicis, privato, Canonico, ac publico jure, erudiendis admoveretur. Accepta igitur a Senatu Erfurtensi die XXV. Novembris missione honorifica, die Decembris V. novam provinciam adiit, inter convictores exceptus a Concionatore aulico Ludovici. Anno cIↃ IↃc LXVI. Alberto & Bernhardo Principibus ab Ernesto Patre in illustre Principum Collegium Tubingense mittendis, cum magistri aulici titulo Johannes Balthasar a Gabelkoven; cum Informatoris, Brucknerus Noster jungebatur; addito etiam Paulo Kunholdo, mathematicarum artium apprime gnaro. Die XXI. Maji relicto Friedensteinio, per Saltzungam, Geissam, Aschenbacum, Neuenhofium & Steinaviam, ad imperiale oppidum Geilenhusam, exin Francofurtum, & Darmstadium, hinc Heppenhemium, Hentershemium, Langenbrückam, Brettam, Philippi Melanchthonis patriam, & Freisingam profecti, Stutgardiam attigere die Maji trigesimo. Ibidem Eberhardo Duce Würtembergensi in aulam cum comitibus recepti, ac splendide habiti, Kl. Junii per Woldenbucham Tubingam iter fecerunt; in laudato Collegio more majorum recepti. Fideliter hic Principum Serenissimorum bigæ in annum usque cIↃ IↃc LXVIII. adhæsit Hieronymus Brucknerus, præter lectiones ordinarias, iisdem, sed &

 simul

ſimul Philippo fratri, & aliquot aliis Studentibus, in quibus erant nonnulli genere nobiles, Struvianum *Juris civilis Syntagma* inculcans. Ipſe autem in dialecto Gallicana exactius, ſed & in Hetruſca, ac quadamtenus Hiſpanica, addiſcendis, præeunte Dumajo, exoticarum linguarum Profeſſore, ſed & in conficiendo ſtudii juridici curriculo occupatus, poſtquam matriculæ Academicæ die XIII. Decembris anno LXVII. nomen dediſſet, facta ſolenni petitione, XVIII. & XIX. jam dicti menſis diebus privato publicoque examinibus defungebatur. Anno cIↃ IↃc LXVIII. die XX. Martii, præſentationem, quam appellant, Candidati ad Cancellarium Academiæ D. Wagnerum, nomine Facultatis Juridicæ, inſtituit celeberrimus ille JCtus Lauterbachius, tum temporis Decanus: unde impetrata licentia XXX. Martii Inauguralem *de SCto Macedoniano* diſputationem, doctam utique & laborioſam, in frequenti etiam Principum Juvenum panegyri, præſidente D. Frommanno, ſumma cum laude habuit: ac memini, nuper admodum Sereniſſimum Saxoniæ Ducem, Dominum Albertum hujus diſputationis recordatum, locuples exquiſitæ doctrinæ, ac diſerti eloquii teſtimonium B. Auctori reddidiſſe. Interea temporis Principes duo Saxones anno cIↃ IↃc LXII. Tubinga ad affinem novum Lodovicum Haſſiæ Landgravium ſororemque ſuam Eliſabetham Dorotheam Darmſtadium digreſſi, a XX. Aprilis, in XVII. Maji diem ibidem commorati, triduo poſt Tubingam reverterunt. Menſe Auguſto in thermis ferinis (Wildbad) itemque ad Acidulas Deinachinas egerunt. Per Octobrem, novum Würtembergici Ducatus caſtrum Freudenſtadium; inſequentis anni menſe primo, imperialem urbem Reutlingam; altero, Zollerianam principalem ſedem Hechingam; quarto, famoſum *antrum nebuloſum* (das Nebel-Loch) itemque arcem ſuperioris Auraci (Hohen-Aurach) contemplati ſunt. Accepto dein mandato paterno, Genevam perrecturi, cum Eberhardo antea laudato Duci Stutgardiæ valedixiſſent,

Tubin-

Tubingam rediere XV. Maji. Qvo brevi post quartus Principum fratrum Henricus adventabat, Gotterum adducens juniorem, Antistitis sacrorum in Ducatu Gothano supremi filium, trigam illam Principum Saxonum tam in Theologicis informaturum magis, quam sacra (quibus per ordinationem Ecclesiasticam fuerat initiatus) in itinere ad terras exteras obiturum. Dies erat Maji XXIII. quo a Tubingensibus Musis recedentes, postridie Rotwilam, celebri Dicasterio nobilitatam urbem Imperialem attigerunt. XXV. Maji ad Eschingam Danubicam (Don-Eschingen) fontibus Danubii proxime ibi scaturientibus memorabile oppidum, pergentes, inde in Hohentwilanam arcem Wurtembergicam, natura ac arte valde munitam, admissi sunt. Jam fines attigerant Helveticos, perque Scafhusium, Tigurum, Badenam, Solodurum, Murtam, Peterlingam & Lausannam, V. Junii Genevæ appulere: ubi in Alexandri de Harsy, Nobilis Galli ac Advocati ædibus & convi[illegible] in usq; Aprilem anni proximi egerunt. Interea Brucknerus singulari industria excolendæ lingvæ Gallicanę incubuit; ac insuper ab homine Britanno, in Principum ministerium recepto Anglicanæ etiam fundamenta hausit. Mense Septembri cum toties laudatis Principibus per Sabaudiam, in Delphinatum profecturus, perlustrato Montemeliano, obsidione ac expugnatione nupera nobilitato magis castro, Gratianopolin, ac porro per præruptos montes ad grandem illam Carthusiam (*Grande Chartreuse*) ubi supremus hujus ordinis Antistes (Generalem vocant) residere solet, pervenit. Aliquoties mihi, sed & in scriptis publicis, deprædicavit Brücknerus, commodum illud, & tantum non lautum vitæ genus quod viverent ibidem Carthusiani, quorum secta alioquin pro strictissima inter Pontificios habetur. Carne quidem, pro more, abstinuerunt: sed hunc defectum aliis delicatis cibis resarcivere. Die XVIII. proficiscebatur cum Ducibus Camerinum (*Chamberi*) ac denique XX. Genevam feliciter reversus est. Mense Aprili locum

cum petebant, ubi Rhodanus, per petram ad humum ſe transmittens, ac ſupra centum paſſus in adyto provolutus, iterum ſe conſpiciendum præbet. Quæ res naturæ mira anſam dedit ænigmati, de vaſto quodam ponte, in quo multa armentorum millia paſcere ſoleant. Hinc digreſſi ad famoſum Ripaglianum monaſterium, propter quod eremus valde amœna, & ſaltus circumretitus oculos animosque afficiebant. Eodem adhuc menſe, pro Erneſtino mandato, Genevenſibus valedicentes, Lauſannam devenerunt die XXIV. perque Miltenam (Mouton) Murtam, & Arbergam, Solodurum usque; Argentoratum autem adventarunt die Aprilis XXIX. relinquentes eam die Maji tertio. Sic ſecundo Rheno Spiram navigantes, interim natum ex Vdenhemio, ſed toti pridem Germaniæ ferale Philippiburgum haut perfunctorie colluſtrabant. Zvetzingæ in Carolum Ludovicum Palatinum ad Rhenum Electorem incidentes, juſſu ejus deducti Heidelbergam, ac per triduum benigne admodum in arce cum comitibus habiti, per Heppenhemium contendebant Darmſtadium. Hic per integros undecim dies commorati, ac pro affinitatis vinculo tractati ſplendide, XVIII. Maji Francofurtum venere. Jam ipſe eos comitatus erat Ludovicus Landgravius, ac in aulam Darmſtadinam Francofurti receptos, die ſequenti Butzbacum deduxit: ubi in feſto Aſcenſionis Dominicæ celebratis ſacris, Merlaviam deinceps & Rumrodam conceſſere, una cum laudatiſſimo Landgra io, qui exin Darmſtadium regrediebatur. XXI. Maji A æ pranſi, Fachii in diœceſi Fuldenſi cœnarunt: poſte die Schwartzbacum tranſeuntes, ad veſperam incolum s Gotham reverſi ſunt. Anni proximi cIɔ Iɔc LXX. menſe Majo, Erneſtus Pius, Alberto filio in Daniam ac Sveciam iter facturo comitem iterum dabat Brucknerum Noſtrum: qua occaſione regias Hafnienſem ac Holmenſem; ſed & Wolffenbütttelanam, Gottorpienſem, Plönenſem, ac Guſtrovienſem, utpote Ducum Brunſwico-Luneburgenſium, Sleswico-Holſati-

corum,

corum,& Meklenburgensium primarias sedes spectavit, ac insuper rudimenta linguarum Danicæ ac Suecicæ hausit. Plura dicerem de hoc itinere, nisi spes me haberet non modica, fore, ut quæ in scriniis B. Auctoris superant ephemerides, vel integre, vel carptim aliquando edantur, aut earum summa alibi a me exponatur. Sextus agebatur dies Martii anni cIↃ IↃC LXXI. quo hac etiam profectione defunctus Noster, paulo post (XXVI Martii) luculenta Secretarii rerum feudalium Sparta ab Ernesto Saxone ornaretur. Exeunte anno, matre ac avia consentientibus, cum Clara Elisabetha, Melchioris Schmidii, Consulis Erfurtensis edecumatæ virtutis virgine filia, Johannis Jacobi Schmidii, nunc intimi Consiliarii Saxo-Isenacensis sorore, sponsalia, annique proxime insequentis finiente Januario, nuptias Erfurti celebravit. Sed ecce rerum humanarum sortem summopere instabilem! Dum de pulchra, sibique morigera uxore; dum de nato VII. Martii Hieronymo filiolo lætatur, maligna febris uxorem puerperam subito exstingvit Gothæ XIX. Martii anno cIↃ IↃC LXXIII. eoque animum mariti vehementer percellit. Postquam autem per integrum, & quod excurrit, annum, Schmidiam suam in cœmeterio avito ad portam Bruletanam sepultam, luxerat Brücknerus, anno cIↃ IↃC LXXIV. altero die Junii, Annæ Benignæ, filiæ Georgii Friderici Breitenbachii, celerum Cæsareorum magistri (Keyserl. Postmeisters) Consulisque Erfurtensis primarii, Viri reformatæ licet religioni, nec tamen cum Evangelico-Lutheranæ (id quod liberorum omnium in hac ipsa educatio commonstravit) odio, addicti, ac vere antiquæ virtutis ac fidei, per matrimonium conjungitur. Ex hac nati, I. *Georgius Fridericus* Kl. Aprilis, anno cIↃ IↃC LXXV. die ab natali vigesimo Erfurti demortuus, propter ædem sacram Prædicatorum (im Freyheithoffe) quiescit, una cum *Georgio Friderico* altero, qui XIX. Aprilis Gothæ quam conspicere cœpit lucem, XXV. Junii in avi domo amisit. III. *Anna Christina* anno cIↃ IↃC LXXVII. III.

Augusti, Gothæ, ac postridie baptizata, una cum Avemanni Cancellarii conjuge, avia paterna, & Joh. Henrico Ziegiero, maternæ aviæ patritio fratre, me quoque sponsorem in baptismo habuit, jamque virtutibus virgineis magis magisque exculta, ad meum quoque singulare efflorescit gaudium. IV. *Regina Elisabetha* anno cIↃ IↃC LXXIX. XIX. Septembris Gothæ, in novis e regione curiæ ædibus. V. *Magdalena Sophia*, Gothæ cIↃ IↃC LXXX. III. Febr. eodem anno Meinungæ exstincta XXIX. Junii. V. *Eleonora Dorothea*, Meinungæ, XXVIII. Febr. an. cIↃ IↃC LXXXI. VI. *Sabina Sophia*, Meinungæ cIↃ IↃC LXXXII. XXIII. Aprilis. VII. *Eva Maria*, Meinungæ anno cIↃ IↃC LXXXIV. XIX. Januarii, XXIV. Februarii demortua. VIII. *Maria Salome*, Gothæ VII. Maji an. cIↃ IↃC LXXXVI. IX. *Magdalena Barbara*, Gothæ an. cIↃ IↃC LXXXVIII. I. Junii. X. *Wolfgangus Henricus*, Gothæ anno cIↃ IↃC XC. XX. Aprilis. XI. *Martha*- XCII.

Ceterum ut ad seriem vitæ Brücknerianæ redeam, anno cIↃ IↃC LXXV. Viro optimo doctissimoque per *Nucleum meum Historiæ Germanicæ* innotui: unde literis XVIII. Novembris perhumaniter scriptis, amicitiam suam mihi obtulit: cui cum libens meritoque respondissem, proque hoc affectu singulari debitas egissem gratias, ita brevi coaluit nostra amicitia, ut per tot annos inconvulsa perstiterit, &, nisi totus fallor, Ecclesiæ, Reiquepubl. inprimis literariæ, nequaquam fuerit damnosa. Et vero quoniam ex responsione mea certior fiebat Brücknerus, in historia Thuringiæ universa non minus, quam pluribus specialibus strenue me elaboraturum, multos ad hunc scopum facientes libros, scripturasque rariores, ac in his non pauca mss. liberaliter mecum communicavit. Quo nomine quantum me sibi devinxerit, itemq; de egregio publico fuerit comeritus, dici scribive nequit satis. Hoc tempore inter Serenissimos Salanæ Academiæ Nutritores de coemenda Joh. Andreæ Bosii, celeberrimi Antecessoris mei Bibliotheca in usum Academicum

cum

cum agebatur: quam rem, pro desiderio meo, per communes Patronos in aula Gothana diligenter promovit: siquidem non diu factum postea, ut a Serenissimis Ducibus Illustri Struvio mihique demandaretur cum vidua Bosiana hac de re agendi sollicitius: id quod etiam, intercedente Bibliothecario, Joh. Georgio Kummero, laudatæ viduæ fratre, diligenter fecimus: unde post aliquot mensium decursum florentissima illa Bibliotheca bis mille imperialibus redemta, publico illata, & ab aliquot Proff. in quibus & mihi erat locus, ad normam Catalogi recepta, grande decus manet Academiæ, æternumq;, ceu spero, ac opto, manebit. Anno CIↃ IↃC LXXVI. mense Februario, & sequentibus, magna cum industria Erfurti agebatur de Bruckneros in Syndicum urbis vocando: cumque qualecunque consilium meum etiam expeteret amicorum consummatissimus, variis gravibusq; de causis id dissvasi. Etsi autem re diu deliberata, ad recipiendam, legitime si offerretur, Spartam inclinabat animus, factum est tamen per singularem (ceu equidem existimo) divinam providentiam, ut Moguntinis nonnullis reluctantibus, spes Senatus populique Erfurtensis in impetrando Bucknero decollaret, isque postea pro re nata majorem afflictæ patriæ opem præstare posset absens, quam forte in præsenti potuisset facere. Interim quamvis ipse non minus, quam omnes boni ferrent ægre, si Pontificii, ac Jesuitæ inprimis, longius, ac postularent pacta, procederent; nunquam tamen vel plebeculæ immodicum adversus adversariam religionem odium: vel dentatos Ecclesiastarum sermones approbare potuit: certus nimirum, nihil eo ipso boni, contra multa mala promoveri. Atque o utinam Brucknerianam moderationem, cum summo tamen veritatis Evangelicæ amore conjunctam, secuti fuissent alii! nunquam tum vel ad literarias illas domesticas concertationes, (foris hæc majori cum fructu agitantur) vel alia incommoda res devenisset. An. CIↃ IↃC LXXVII. multus eram in contexenda Comitum Glichensium historia, de qua in

 Epistola

Epistola *de antiquo Thuringiæ Statu* spem injeceram. De hoc igitur per Johannem Jacobum Avianum, Consistorii Ducalis Præsidem edocti secretioris Consilii assessores, ipsi Serenissimo Duci Friderico rem omnem exposuere: qui quidem Avemanno Cancellario in mandatis dedit, ut Gotham ad perlegenda Acta Glichensia, aliaque scripta ad propositum meum facientia quamprimum evocarer. Quamobrem una cum Jacobo a Mellen Lübecensi, optimarum artium Studioso summe industrio, ac insuper in affabre delineandis antiquis nummis & sigillis feliciter expedito, nunc in urbe patria ad ædem primariam S. Mariæ V. D. Ministro bene merito, Gotham profectus, in hospitium ac convictum Brücknerianum recipiebamur. Quo tempore quantum non Glichensi modo, sed & pluribus aliis historiis Thuringicis, per sollicitam Archivi & Bibliothecæ Ducalis scrutationem accesserit commodi, alibi fusius explicui. Hic tamen non possum non deprædicare maximum in me juvando ornandoque dulcissimi Hospitis studium, tot luculentis testimoniis comprobatum: ut adeo si vel horum (ne de reliquis dicam) beneficiorum mihi excideret memoria, ingratissimus forem mortalium. Supra reliqua autem benefacta æstimo, quod Johannis Friderici Bachovii, Consiliarii intimi, Viri jam tum magni, singularem mihi favorem ac patrocinium, abhinc stabile, ac porro Tobiæ Pfanneri, Viri exquisite docti, tunc temporis Collegæ Secretarii amicitiam ad hanc horam usque fidissimam mihi comparaverit. Habitabat tum temporis Noster in Ludovicianæ, eloquentissimi Concionatoris aulici viduæ ædibus: verum paulo post in novam a D. Weitzio Cos. Gothano emtam domum concessit: quam olim Britannum quendam inhabitasse, inque memoriam insignium Anglicanorum, Rosam deauratam foribus præfixisse, fama est. Cum anno cIↃ IↃcLXVIII. die XIV. Maji (qui in quibusdam fastis Felici, in aliis Hiobo sacer) nuptiæ meæ cum Anna Barbara Kummeria, antecessoris mei Bosii vidua præstantissima

tiſſima, itemque Doctoralia mea Theologica celebrarentur, a Sereniſſimis quibusdam Saxoniæ Ducibus, Erneſti Pii filiis, Brücknerus meus ad gemina hæc ſolennia legatus Jenam miſſus, honorifica hac præſentia&actus decoravit peregregie, ac me, ſponſamque meam ſummopere exhilaravit. Eadem tempeſtate in L. Flori verſione Germanica, quã olim ipſius ductu, Albertus Juventutis Princeps haud infeliciter cœperat, perficienda, expoliendaque admodum erat occupatus: perbene ſcilicet intelligens, quantum eſſet ſitum in Panegyrici ſcriptoris, brevitatis tamen non minus obſcurioris, quam hyperboles variæ amantiſſimi, legitimo ſenſu aperiendo, commodaque dictione exprimendo. Et judicet lector benevolus, annon hæc ipſa verſio Brückneriana omne ferat punctum, ac alias reliquorum ex Latio ſcriptorum in tantum ſuperet, *quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.* Inſcripſit Florum hunc Germanicum, cuj9 frontiſpicium eleganti icone, ab ingenio & penicillo Mellenianо profecta, reſplendet, ipſi Sereniſſimo Saxoniæ Duci Alberto: nec dubium eſt, quin devotam hanc inſcriptionem clementer ac gratioſe acceperit. Novam porro & exaſcitatam moliebatur Flori editionem, quæ ſupra dotes reliquas, etiam tabulas quasdam hiſtoriarum Romanarum indices contineret: verum aliis gravioribus diſtentus, ac denique præventus morte, vel hæredibus, vel mihi, has curas videtur reliquiſſe. Ceterum non poſſum non hoc loco Zitterianæ virginis, ex parthenone Erſurtenſi profilientis, noſtræque poſtea religioni dantis nomen, fata ſingularia vel ob id enumerare: quod iis etiam quodammodo implicitus fuerit Noſter: certe uti primum pro virili juverit afflictam, ita poſtea ad vomitum reverſæ ſcriptiunculam pio, doctoque libello caſtigaverit. Martha Eliſabetha, patre Zitterio nata, Roſenbergii cujusdam privigna, vix annum ætatis undecimum egreſſa, Vrſelitanis Nonnis (hoc cœnobium Domini Johannis Philippi, Archiepiſcopi Electoris Moguntini auſpiciis in hanc formam mu-

tatum) adscribi, ac ad ignotum sibi monasticum vitæ genus anhelare cœpit. At mater de proposito filiæ edocta, in præsenti eidem contradicit, monasterio alioquin educendam minitans. Verum Nonnæ, ac præcipue capularis senecio Marcus Schönmannus, qui iis ab exhomologesi sacra erat, post longam altercationem a matre impetrant, ut finito demum biennio (id explorationi ejus erat destinatum) domum repeteretur. Hoc exacto, Deus bone! quam desudant cum Marco suo Abbatissa & sorores, ætatis inprimis provectæ, quo retinerent hanc oviculam, ac sub sancta religionis persona sæpicule eam tonderent, hoc est, nunc hæc nunc illa bona ejus ad se pertraherent. Tam confidenter hac in causa non scriberem, nisi perspectus foret mos communis, ab ipsis etiam Romano-Catholicis, ac in his a Petro Ærodio JCto, summe improbatus. Sic igitur Zitteria partim pollicitationibus de vitæ vere Angelicæ svavitatibus, ac indubitato secuturis gaudiis Paradisiacis, æternumque duraturis, illecta; partim minis de suo ipsius, si manum aratro subduceret, deque monasterii exemplum abominantis probro, territa, resecto crine, delibuta chrismate, assumit peplum, anno ætatis quarto decimo, matre quantumvis invita, & ringente. Post aliquot annorum defluxum, forte fortuna incidit in Catechismum, aliosque libellos orthodoxos, quos puellæ Lutheranæ, quæ in hoc monasterio nere, torquere fila, atque ejuscemodi addiscunt alia (nescio quam pie atque provide) attulerant: cumque doctrinas quasdam Pontificias, de S. Cœna nimirum, Sanctorum Invocatione, Indulgentiis, Purgatorio, S. Scripturæ minus convenire putaret, quos conceperat scrupulos, Schönmanno per sacram confessionem semel atque iterum aperit, ab eodem pro captu suo edocta, proque regulis suis, tum a reliquis, tum etiam ab his peccatis absoluta. Recurrentibus autem dubiis, tertium confessa, gravem reportat increpationem, cum comminatione repulsæ, si denuo hæreticis istis indulgeret opinationibus.

Illa

Illa& tædium ex correptione conceptum,ac multo magis angores mentis de imbecillitate religionis ſuæ in rebus fidei diſpulſura,ad contexendam comœdiam,quales ſolebant quandoque dari in cœnobio,animum applicat: verum,ut eſt in proverbio, laterem lavat, ac dealbat æthiopem, ſcrupulis illis ſemper revertentibus,aculeosque relinquentibus. Hæc res effecit tandem, ut accedente cum primariis matronis virginibusque Evangelicis,moniales interdum inviſentibus,converſatione, conſtitueret Zitteria, una cum monaſterio Papalem,religionem deſerendi,ac Evangelicam profitendi. Quid faceret itaque virgo ab omni ope humana in clauſtro deſtituta, ac inſuper ob nimium cum hæreticis converſandi ſtudium acerbe virgis cæſa? Quando Epiſtola mea, laudati Schönmanni *Invicto* (ſi Deo placet) *Armamentario*,quod *ex Columna Eccleſiæ* (ſic opinabatur Auctor) transfiguratum, oppoſita, Erfurtum, inq. ipſius adverſarii mei perveniſſet manus(nam una cum breviculis literis exemplar compactum ei transmiſeram) ſub cuculla in Vrſelinitanum deportat monaſterium, ac Abbatiſſæ vel eo nomine commonſtrat, ut a ſermone ſacro dialecto Gallicana habenda liberaretur. Quo tempore Zitteria una cum monialium alia, novitatis avida fugitivo oculo perluſtrat libellum,nihil optans magis,quam ut remotis arbitris integrum haberet cognoſcere. Verum nimia quorundam Lutheranorum de hoc ſcripto præſumtio, ac inde nata intempeſtiva gloriatio, Abbatiſſæ ſeverum extorquet mandatum, ne afferatur,neve legatur in clauſtro. Eo ipſo tamen in Zitteria majus excitatur legendi ſtudium: quæ neſcio ubi acceptum, furtim bonam partem pervolutat, ac ſcrinio ſubter menſam in cella(quam vocant) ſua recludit. Sed ecce Abbatiſſa, die feſtum Circumciſionis CHRISTI, ſecundum noſtrum computum, præcedente, dum Zitteria erudiendis puellis diſtinetur, perluſtrat curioſe cellam, apertoque, pro ſua, qua pollet, poteſtate,ſcrinio, Epiſtolam meam aufert. Po-

ſtridie

ſtridie ad Patrem Schönmannum & D. Hunoldum (Zitteria plerumque Vnholdum vocare ſolebat poſtea), incitata, dum nimium ſibi timet, circumſpicit, ac reperit latibulum in canali camini, per quem porro ad laqueare tranſit, cujus gradus pridem fuerant confracti. Hic tecti lateribus aliquot retectis, acclamat Lutheranis e regione habitantibus, ut ſcalam ſibi afferant præpropere. Verum quod id non poſſet ſine præſenti multorum periculo fieri, fuſis ad Deum precibus, animo plusquam virili in aream plateæ deſiliens, ſpatium undecim cubitorum emetitur, tanto cum ſucceſſu, ut pro tempore nec leviſſimum dolorem pedum, nec majus infortunium ſentiret : quamvis tamen poſtea & crus utrumque intumuerit, ac in humeris ægritudinem deprehenderit: quæ brevi a ſumtis medicaminibus evanuere. Sic mutato repente habitu, ex una in aliam tranſfugienti domum divina providentia mirifice conſulit: biga illa virorum cum Abbatiſſa Zitteriam fruſtra præſtolantibus, reliquis autem ſororibus, non in cellarum obſoletarum modo ruderibus, ſed & ſtabulis, aliisq; locis ſecretioribus, necquicquam ipſam quæritantibus. Saltus ille factus eſt ad horam meridianam duodecimam: at demum poſt bihorium, bona ambigo an mala crux, ſtipem flagitans, cœnobitis nuntiat, ſuis ſe oculis ſpectaſſe viraginem per aera in humum devolantem. Quamobrem miſſis exſpectatione ac ſcrutinio, res ad Proprincipem defertur: qui per ſclopetarios inveſtigandam curat Zitteriam, ac apud Baronem Schützium, præſidio præfectum, inſtat, ut in portis procuret, ne per fugam fœmellæ ſacræ aliquid detrimenti capiat Eccleſia Catholica. Verum enimvero Zitteria abiit, exceſſit, erupit, & ſalva Gotham evaſit, ubi, ex ſingulari decreto Sereniſſimi, in domum Brücknerianam recepta, non modo ibi innocenter vixit ; ſed & ſuopte Marte aliquot ſcripta conſcripſit, Jeſuitis Erfurtenſibus ſumme odioſa, ut & arcana Vrſelinitana manifeſte exponentia, multisque ruborem incutientia. Poſtquam autem

tem in gyneceum admissa aulicum, variis ornatur Domini Dominæque gratiis, livori ac invidiæ exposita, ac forte etiam deliciis aulicis irretita, & nescio quibus procationibus delusa, mentem ceteroquin ad cœlestia erectam, atque divina bonitate singulariter coronatam, ad terrena sensim convertit. Vnde Coburgi, quo cum reliquo gyneceo devecta, eopse die, quo Bachovianæ celebrabantur nuptiæ, licentia ex Ehrenburgo ad concionatorem aulicum digrediendi a magistra gynecei impetrata, urbe excedit, ubi servulus ex compacto eam præstolatus, per vineas, aliaq; avia, ad usq; vicum abducit Pontificium. Hic a matre, quæ cum carpento adventarat, excepta, Cronacum primo proficiscitur, ac mox Bambergam deducta, judicio sacro sistitur, ac denique Vrsulinarum parthenoni Kitzingensi includitur, extremum per aliquot annos locum habitura. Hic pœnitentiis & satisfactionibus macerata, aliisque (ut ipsa putabat) affecta injuriis, ex claustro se subducens, in cauponam se proripuit: unde ad Episcopum Würtzburgensem scribens, id unice petiit, ut Vrsulino missa ordine, cujus duritiem perferre nullo modo posset, alii adscriberetur. Sed quod habito cum potioribus Clericis consilio, Episcopus rem censuisset plenam scandali, in monasterium suum retrusa, tam arcta fuit custodita, imo tetro carcere excruciata, ut tandem anno cIↃ IↃc LXXX. Septembri mense præ mœrore vitam finiret: ipso Johanne Friderico Kargio (de quo postea dicemus) non multum dissimulante, quod post illa sacris Romano-Catholicis nunquam ex animo fuerit addicta. Id quod me facit credere, Zitteriam ὁλοκαρδίως primum veritati Evangelicæ dedisse nomen, suamq; constantiam scriptis piis & ingeniosis comprobasse; post pro mutabili genio fœmineo, nunc his, nunc illis, fortunæ partim arridentis, partim adversariæ, casibus expositam, ac cœlibatus pertæsam, quando, quod cuperet, non inveniret statim, spesque non impunitatis modo, sed & majoris emolumenti a matre ac cognatis ei fieret, ad Pontificia-

ficia castra regressam: verum hic habitam pessime, serio doluisse novam mutationem, cumque dictis factisque offenderet multoties, in carcerem conjectam, in vera pœnitentia, fideque in CHRISTVM certa obdormivisse. Quod primum non egerit ex fuco, indicio etiam sunt literæ ad me perscriptæ, quibus, *ut Deum pro ea obsecrarem, ne perinde ac M. Hoffmannus* (is eo fere tempore a nostra ad Pontificiam religionem erat relapsus: dubium, an magno suo cum commodo:) *caderet*, religiose, ac humaniter rogabat. Tantum de Zitteria: cujus novam professionem fidei Romano-Catholicæ, magna cum doctrina ac prudentia refutavit Brucknerus. Quantum ipse Joh. Fridericus Kargius, SS. Theol. & J. V. Doctor Pontificius, Consiliarius Episcopi Bambergensis (is inter Zitteriæ judices fuerat Bambergæ) hoc scriptum æstimaverit, sequens humanissimi viri docet epistola.

Nobilissime & Clarissime Domine, Patrone Observandissime.

ACcepi hoc vespere gratissimas tuas, una cum adjuncta Operis Zitteriani refutatione; a cujus lectione non destiti, donec opus universum evolverem: ita me quippe vel a primo obtutu delectavit effulgens in eodem tum maxima juris utriusq; peritia, tum plus quam miranda in viro seculari, publicis distento, S. Scripturæ, Sanctorum Patrum, ac insigniorum Historiarum cognitio, ut secreta quadam vi & operis adeo multijuga eruditione referti concinnitas, & celeberrimi Authoris facundia, nullum in tanta prolixitate mihi tædium aut somnum obrepere siverint. Quoniam verò per adjectas litteras, ad amicum congressum, sub delatæ mihi censuræ seu privatæ s. publicæ nomine, me provocari adverti: insolitâ hactenus inter utriusq; Religionis nostræ asseclas methodo, non Hostem (ecqvis enim Te odisset?) sed Pacificatorem, h. e. Fridericum agere constitui, si Deus vitam, vires & gratiam dederit, sepositis procul amarulentiis, quas nec Tu mereris, nec ego spargere didici; soloque studio Veritatis ac Vnitatis,

tis, quam Tibi & Bonis omnibus in Domino auguror, atque sincerè permaneo

Clarissimæ D. T. quam cum Serenissimi Ducis Aulâ proximè huc venturam spero

Herbipoli in Castro Montis Mariani 5. Martii 1679.

Observantissimus

Johannes Fridericus Karg.

Nobilissimo & Clarissimo Dn. Hieronymo Bruckner J.V. Licentiato, Serenissimi Ducis Saxo-Gothani Secretario Feudorum &c. Domino ac Patrono meo Observandissimo,

Idem autem Kargius novam controversias religiosas conciliandi methodum, quam *Cogitationes Pacificas* (Friedreiche Gedancken) inscripsit, lingua edidit Germanica: qua in licet communibus fere Pontificiorum hypothesibus erroneis insistat, in eò tamen ab aliis discrepat, quod ab omnibus conviciis abstineat, ipsarum rerum summam magna cum modestia proponens. Quæ virtus etiam in hoste merito laudari debet atque celebrari. Jam miserat Kargius Bucknero mihique geminum exemplar libelli: qua occasione aliquoties ab amicissimo Viro expetii, ut eum integrum sibi confutandum sumeret. Hoc etsi per occupationes, aliasque causas primum declinabat magnopere; postea tamen tanta cum sollicitudine perfecit, ut, an solidam Scripturæ Sacræ, ac dogmatum Theologicorum in viro politico scientiam; an lectionem Doctorum Ecclesiasticorum, aliorumque bonæ notæ scriptorum diffusam; an purum tersumque scribendi genus, magis admirere, nescias. Sed factum nescio quomodo, ut hoc egregium, ac publico utilissimum opus inter ἀνέκδοτα manserit Viri, sua non perinde, ac merebantur, æstimantis: unde nihil magis mihi est in votis, quā ut tam exquisite pia ac erudita scriptio brevi in dias luminis auras prodeat. Scio quidem Joh. Ludov. Hartmannum, Superintendentem Rotenburgo Tube-

anum in refellendo libello Kargiano fuisse occupatum: sed & id scio, quod si vixisset Hartmannus, ac Brücknerianum laborem mss. vidisset, sponte sua Auctorem doctissimum induxisset, ne publico eundem invideret: imo tam certus sum, quam quod certissimus, manum de tabula abstinuisse, si prius de instituto Bruckneri fuisset edoctus, quam sua *μελετήματα* publicasset. Et nec sic tamen cavere potuit optimus, meique amantissimus Hartmannus, quin a nonnullis accusaretur, quod in excerpendis describendisque Bruckneri Antizitterianis interdum fuerit nimius. Mense Septembri finiente, & deinceps, spectrum quoddam tumultuari in ædibus Brücknerianis; mox Johannem Paulum Henstreitium (is ab informatione erat filii Hieronymi) noctu inclamans, nunc alia ridicula & phantastica suscipiens: quod cum VII. Novembris mihi renunciaret Brücknerus, hoc claudebat sermocinationem sacro epiphonemate: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Die XXVI. Octobris, postquam uxor Bruckneri puerperio egressa, sacris publicis interfuerat, noctu circa horam duodecimam infans recens natus, nutrice ac ancilla somno sopitis, ex cunis raptus, ad cubiculi ostium deponitur, cumque ab evigilantibus muliercuIis anxie quæreretur, altum dormiens illæsus reperitur. An eo ipso male-sapiens dæmon terrere voluerit Virum, ne in refellenda Zitteria occuparetur, novit is, qui omnia. Id novi, nec hæc, nec alia revocare potuisse a sanctiori proposito virum: cui, una cum Sparta primaria, Ecclesiæ Evangelicæ salus erat cordi, ac ante omnia divinum auxilium respiciebat: tum ludibria dæmoniaca, tum sinistros invidorum aliorumque homuncionum sermones floccifaciens. Mense Januario anno CIↃ IↃC LXXIX. nova cura literaria habuit Brucknerum nostrum: tenebrione quodam sub initalibus literis *G. W. J.* ac *Philogermani* persona latente, occasionem subministrante. Nimirum hic ipse, quisquis fuit, homo sacer, scriptum publicavit lingua vernacula, *de Ortu & Interitu Lutherici primi Evangelii:* loco, ubi expressus

pressus typis, omisso, sed Imperatrici inscriptum, in cujus calce hujus se sacellanum profitebatur. Virulentus hic calumniator (aliud elogium utiq; non meretur) ab anno Megalandri natali clↃ IↃ LXXXIII. incipiens, perque continentem temporis seriem progressus, incredibilibus convitiis religionem Evangelicam incessit, ac inprimis Sleidani *Historiam*, & Johannis Ludovici Gothofredi *Chronica*, ex Cochlæo, Surio, Ræmundo, aliisque hujus farinæ hominibus refellere conatur. Inter cetera autem ingens & horribile mendacium ab Vngersdorfio anno clↃ IↃc x. primum allatum, sed mox a D. Wilhelmo Zæmanno rejectum, post a Jodoco Keddio Jesuita recoctum, denuo produxit in scenam: videlicet Johannem, Saxoniæ Electorem, Friderici Sapientis fratrem, inclytum illum Evangelii Confessorem, paulo ante excessum ex hac vita, religioni Evangelicæ nuntium remisisse: atque id ipsum Johannem Fridericum filium successorem compluribus Imperii Romano-Germanici Statibus, ac nominatim Ducibus Bavariæ nuntiasse. Primus inter Ernesti Pii filios malignum illum librum acceperat Albertus Dux, eundemque tradidit Brucknero, ut de refutando, vel integro, vel parte, mecum communicaret: id quod postea per complures factum est epistolas. Optabat quidem Amicus meus, ut in integra totius libri confutatione elaborarem: verum quod non tantum aliis distinebar negotiis, sed & D. Joh. Fridericum Majerum, ex Proto-Synedrii Dresdensis decreto id facturum edocebar, ipse potius Brucknerum monui, ut, si non alia, certe fabulam illam de Johanne Electore cum cura refelleret. Id quod etiam, accedente singulari Friderici Saxoniæ Ducis mandato, peregregie ab eodem præstitum: cumque loco responsi nihil solidi afferret obscurus auctor, novis modo cavillis certans, & convitiis, dignam a Bricknero mercedem retulit. Licet autem idem saxum alii in Electoratu Saxoniæ volutarint, ac infrunitam hominis malitiam publicis scriptis retu-

retuderint; clare tamen apparet ſatis, quod hodego fuerint Brücknero uſi: quem & interdum dignis ob id laudibus extulerunt. Ceterum quando publica Auguſtanæ Confeſſionis in Academia Erfurtenſi Profeſſio ſudes in oculis eſſet Ieſuitarum, & quorundam aliorum capitum turbulentorum, ſic etiam ut de eadem abroganda nefaria agitarentur conſilia, Nicolao Stengero Theologo & Paſtori veterano de titulo primum per publica programmata lite mota; tam male hoc me habuit, ut tacentibus aliis, aut cauſam optimam nimis molliter tractantibus, ſchediaſma meditarer hiſtoricum, de profeſſionis illius originibus, incrementis ac præſenti ſtatu: eoque ſimul demonſtrarem, contra divina æque ac humana jura, itemque deditionis ceteraque pacta agere, qui hoc ſacratum munus convellere laborarent. Sic itaque paulo quietioribus eſſe licuit ceteris Aug. Confeſſionis Profeſſoribus, ac iis præſertim, qui ſingularibus docte docendi ac concinne ſcribendi dotibus excellerent: cumque denuo D. Johanni Juſto Breithauptio novas novi homines darent turbas, illorum machinationes in prima herba ſuppreſſæ ſunt. Quod vel propterea hoc loco volui monere, quia codices Brückneriani de rebus Thuringicis ac Erfurtenſibus pridem transmiſſi magno ad has concinnandas philyras mihi fuerunt uſui. Cum anno LXXIX. menſe Majo, Avemannius Cancellarius, & Bachovius Conſiliarius intimus, ſubdelegati Cæſarei ad componendos motus civiles, Mulhuſium ſe conferrent, Secretarium adſumſere Brücknerum: qui ſupra quam dici poteſt, in veteri novoque urbis ſtatu cognoſcendo curioſus, a potioribus liberæ Imperialis urbis proceribus impetravit, ut, ſi quando vellem me conferre Mulhuſium, ad antiquitates urbis non minus, quam alias Thuringicas excutiendas, ſecretiora Senatus ſcrinia mihi panderentur. Ex quo tempore etiam cum conſultiſſimis aliquot hujus Reip. viris, ac de patria optime meritis literarium mihi interceſſit commercium. Hoc ipſo anno-

LXXIX,

LXXIX. comuni, quod hactenus a Serenissimo Duce Friderico, suo & reliquorum fratrum nomine, ex decreto testamenti Ernestini gestum, sublato regimine, Bernhardo Duci Meinunga in novam sedem cessit. Prius autem hoc quam fieret, laudatus Dux Bernhardus suapte manu ad Brucknerum in hanc scripsit sententiam, die Novembris secundo: *Instantem hæreditariam provinciarum divisionem ansam dedisse Sibi, de propriis consiliariis ac ministris curas suscipiendi, eosque in tempore Sibi conciliandi. Cum igitur ob fida toti hactenus Ducali Domui præstita servitia cum aliis quibusdam ipsum designarit, quo, si res ad plenam deveniret divisionem, pro Consiliario Aulico ac jurediciali inposterum uteretur, ea fini nonnemini in mandatis dedisse, ut hoc significaret ipsi, & ad Se responsum ejus referret. Itaque sibi gratum esse perceptu, quod oblatam hanc Spartam suscepturus esset; ac nihil se porro omissurum, ut de salario, ædibus, aliisque commodis ei sic prospiciatur, ut sibi suisque honeste valeat consulere.* Ad quam epistolam cum respondisset humillime, brevi post Hieronymus Brücknerus, Secretarii rerum feudalium munus resignans, inter Serenissimi Bernhardi Consiliarios referri, menseque Decembri novo Domino diligenter cœpit assistere, in ipsis illis de plena divisione, ac futuro Regimine consiliis, non raro ob id Ichtershusam, ubi hactenus aulæ Bernhardinæ sedes fuerat, excurrens. Mense Junio anni LXXX. cum conjuge mea proficiscebar Erfurtum, ad salutandam potissimum Brücknerianam familiam. Gothæ autem cum non reperissem Brücknerum, ac mea anhelaret Arnstadium, & Ilmenam, cognatos & affines invisura, iter eo fecimus per Ichterhusam: ubi uxore Arnstadium digressa, pernoctavi, ac postquam Serenissimum Ducem Bernhardum, dulcissimæ conjugis suæ, Mariæ Hedwigæ, Landgraviæ Hasso Darmstatinæ obitum lugentem humillime fueram solatus, Bucknero meo brevi Meinungam concessuro valedixi. Ipse quidem una cum uxore liberisq; singulis salvi & incolumes excedebant Gotha, die XXV. Iunii: at mox filiolarum media, Re-

gina

gina Elisabetha tam male se habere cœpit, ut Tambaco (vicus est vel ob restitutam ibi B. Luthero valetudinem, non incelebris) digressuri, variolis obsita undique, de vita actum crederent Parentes. Postquam Meinungam ventum, reliquæ etiam puellæ in summam prolabebantur ægritudinem, una paulo post exstincta: id quod acerbius in nova Sparta fatum, magna tamen cum animi sibi constantis, Deoque vias suas commendantis, religione, pertulit. Ineunte Octobri, ipse, & Künholdus, qui a consiliis ærarii Bernhardo Duci erat, Gotham mittebantur, ad scrupulos tollendos, qui ex primario trium Fratrum seniorum Capitulo (dem Haupt-Recess) erant suborti. Anno CIↃ IↃCLXXXI. II. Martii absens in Doctorem promotus est Tubingæ, idque sumptibus Serenissimi Domini sui Bernhardi, competitores habens Balthasarem & Jacobum Schröderos, Stetinenses, ut & Albertum Blockium, Hamburgensem. Mense Junio conventui inter Domum Vinariensem ac Gothanam, Erfurti indicto, Domini sui nomine adfuit: sequenti autem Augusto Würtzburgum ad Circuli Franconici comitia, tum Domini sui, tum aliorum Saxoniæ Ducum loco, legatus ivit; ubi etiam cum Kargio locutus, de Zitteriæ obitu, (quem antea retulimus) edoctus fuit. Eo ipso die, quo Noster intrarat Wurtzburgum, exierat inde famosus ille P. Marcus de Aviano; de cujus miraculosis (uti credunt Pontificii) gestis, non pauca ad me perscribens, S. Pauli effatum *II. ad Thessalonicenses cap. II. v. 9.* in memoriam mihi revocavit. In his comitiis, ipse Würtzburgensis Episcopus aliquoties clementer affari Brucknerum, convivio excipere, ac denique una cum primario ad Francofurtenses tractatus legato Cæsareo, Stratemanno forte Wurtzburgum transeunte, operam dare, ut ad castra Pontificia pertraheretur. Verum quod hunc virum S. Scripturæ atque Ecclesiasticarum antiquitatum tam insignite intelligentem, ac porro præ cœlestibus mundana omnia spernentem deprehenderet, oleum atque operam se perdi-

perditurum, facile subodoratus est. Quid? quod Meinunga XXI. Augusti ad me scriberet vir amicissimus, nisi totus falleretur, aliquos forsan in generoso pectore Stratemanniano se reliquisse aculeos. Ceterum hic ipse conventus Circularis ansam dedit Nostro, non modo in Franconici, sed & aliorum Circulorum constitutionem, ac in consessibus agendi modum inquirendi, ac varia ad hunc scopum facientia scripta colligendi: sic quidem ut in literis Kl. Sept. ad me perscriptis fateretur, tantum se brevi tempore apparatum congessisse, ut non mediocri volumini, si in lucem vellet edere, suffecerit. Septembri mense cum amico meo, de Comitum Palatinorum, Doctores, Licentiatos ac Magistros in ipsis etiam Academiis creandi, licentia, per mutuas literas fuit actum: cumque ipse non modo, sed & illustris quidam in aula Saxonica Palatinus Comes id improbaret, apud Serenissimos Academiæ Jenensis Nutritores singulos, me Decano, Palatinum quendam, qui Jenæ Magistrum creare voluerat, in jus vocavit Facultas Philosophica. Quæ res, postquam ex decreto Serenissimorum ad Lipsiensem, Helmstadiensem, ac Giessensem Academias, delata, cum nequaquam Palatinis Comitibus hoc apud se licere, demonstrarent; eo devenit, ut non modo huic, qui id facere præsumserat, sed omnibus inposterum Palatinis Comitibus id ipsum interdiceretur. Novembri mense nova comitia Franconica Bambergæ habita Brucknerus noster legatus ornavit, medio Decembri domum reversus. Cum anno LXXXII. tertia feriarum Paschalium Regina Iungeria, Nostri avia, anno ætatis nono & octogesimo decessisset, ac funere maxime solemni in summo Prædicatorum templo fuisset sepulta, paulo ante festum Pentecostes hæreditatis facta est inter nepotes fratres, ac sororem neptem, divisio, tanta quidem cum moderatione & concordia, ut res miraculo esset propior. Paulo ante autem quam Noster ob id Meinunga Erfurtum proficisceretur, Johannem Prettenium, S. Theol. Lic. singularem a pluribus annis amicum

cum meum, nomine Saxoniæ Ducum, Gymnasii Sleusingensis Ephorum in præsenti constituit. Mense Julio & sequentibus mira quædam lues varii generis pecora corripuit. Hoc cum mihi nunciaret Brucknerus, eam pro certo pestis secuturæ prodromo habuit: id quod tristis eventus nimium confirmavit, ipsamque etiam Brucknerianam familiam Erfurtensem graviter concussit: ceu supra in Hieronymi Brcukneri senioris vita recensuimus, atque mox ex literis Brucknerianis fusius enarrabimus. Hoc tempore Johannes Caspar Kirchmaierus, celebris Prof. Wittebergensis, novos moliebatur universæ Franconiæ Annales, eumque in finem jam multos mss. codices, aliaque scripta rariora collegerat. Quod autem, ut a Serenissimo Bernhardo Duce ex tabulariis Meinungensibus ad propositum facientia secum communicarentur, per supplices humillime expeteret, jussu Ducis ad me perscripsit Brucknerus, nunciarem Kirchmaiero, quod si ipse ad perlustranda atque excerpenda tabularia Meinungam se conferre vellet, non modo voti damnatum, sed & de liberali hospitio ac convictu ei prospectum iri. Qua occasione meus mihi suasit Brucknerus, ut Kirchmaierianum exemplum imitatus, circulares ejuscemodi literas ad singulos totius Thuringæ Status, quin & ad Nobiles quosdam, ut & ad urbes municipales perscriberem, nullus dubitans, quin multos patronos, fautores, ac Operum Historicorum promotores essem reperturus. Neque vero negaverim, pridem id me habuisse in animo: sed quia jam tanto auctus sum variarum rerum Thuringicarum thesauro, satius fore credidi, si ex illo prius potiora in lucem darem, quam infinita alia, & quibus dirigendis vix otium esset, aut facultas, undique conqvirerem. Interim vel ex eo elucet satis mirificum Nostri studium in excolenda Thuringicæ gentis historia: meque in illa laborantem consiliis & ope juvando: absque quibus si fuisset etiam, parum in hoc genere tentare, ne dum feliciter potuissem perficere. Anno

cIɔ Iɔc

cIↃ IↃc LXXXIII. a Februario in Augustum mensem dum Rectorem Academiæ Salanæ agebam, variis gravissimisque internis externisque casibus exercitum, non raro me erexerunt ac confirmarunt saluberrima consilia Brückneriana. Atque o utinam (quod toties, præsertim a sancto Ascensionis CHRISTI festo, quo magnæ spei Studiosus juvenis subito miserrimeque confodiebatur, optavi, anxieque desideravi) ad eradicanda stirpitus Satanica illa duella, tam potuisset aliorum Principum, ac Domini sui animum concitare: certe ad sistenda sanguinum profluvia indesinenter ad cœlum clamantia nihil reliquisset intentatum. Interea per partem Februarii Martiique mensium, in Norimbergensi a Franconici Circuli Statibus conventu instituto, multum occupatus fuit Noster, sed & eo ipso Opus illud, de Imperii rebus Circularibus non parum locupletavit. Finiente Majo cum Ruhlæ convenissent legati aliquot Saxonicorum Principum, & in his quoque Bruckne-rus, Johannis Ernesti Saxo-Vinariensis Ducis obitus cœpta turbavit, Isenacensibus legatis ad disponendam Joh-Wilhelmi, Principis Saxo-Jenensis, tutelam abeuntibus. Kl. Augusti mihi nunciabat Meus, se in *Jurisprudentia Consistoriali* concinnanda occupari: quod opus quia nondum publicatum, magnam partem in scriniis B. Viri superesse existimo. At vero epistola eodem die perscripta, quæ peracerbum familiæ suæ fatum paulo prolixius enumerabat, non modo tum temporis, cum acciperem, sed & diu post lacrumas & gemitus complures mihi expressit. Et ut videat lector benevolus, judicia divina nequaquam a suorum domo exulare, Deumque O. M. sanctissimas, utut nobis ignotas, habere rationes, cur pios probosque gravibus interdum calamitatibus exerceat, summam literarum repetam. *Incipiente Junio, Rudolphi fratris, Præfecti Moguntio-Vippachiani ancilla quædam repente fuit mortua Vippachii, ipso putante, quod ex interno vulnere ulcus & febrem concepisset: aliis deteriora ominantibus.* Sic elapso fere mense reliquarum

trium servularum una post alteram occumbit subito. Bajulis primi secundiq; funeris mox morbum contrahentibus, qui tertiam antillam collocet in sarcophagum, nemo reperitur: ut adeo ipse frater id necessum haberet facere, matre, quæ tum apud fratrem se continebat, præsente, ac dubio procul filium juvante. Sed cum hic & dictis bajulis ab omni alia humana ope destitutis præsto esset, ac si nemo forte qui illorum curaret funus, advocari posset, sese id facturum, in se reciperet; paulo post & ipse & mater inficiuntur peste, ac a se invicem separati decumbunt. Præter scribam præfecturæ, ac matris servam, nemo erat, qui ægrotos quomodocunque juvaret: at postquam hanc quoque morbus invaserat, miseriæ illæ Erfurti innotuerunt. Quamobrem Regina Adamiæ soror Vippachium misit Rudolphum filium, Studiosum octodecim annos natum, ut percognito ægrotorum statu, medicamina, & si quæ desiderarentur alia, eo deferret. In his extremis, minimus fratrum Wilhelmus Hieronymus, singulari pietate motus, cognatum Adami comitatur Vippachium: verum ante eo quam venere, mater optima XII. Julii circa decimam vespertinam, frater Rudolphus biduo exacto (XIV. Julii) *paulo post meridiem decessere, quodque alios permovere non possent, ipsi composuere demortuos, & ut in æde sacra reconderentur, operam dederunt sedulam. Vix regressi erant Erfurtum, cum uterq; contagio laborare inciperet, Adami magnæ spei juvene in maternis ædibus animam exhalante; Brücknero autem a carbunculo poplitis, & gemino tubere alio vehementer vexato. Huc accessit obitus Wolffgangi fratris, qui ducta ante semestre uxore, in hujus agnata Weissbachia domo se continuit: sed conjugem ante tres hebdomadas peste amissam, cum XXI. Julii sic satis salvus testamentum condidisset, concepta mox lue XXIV. Julii propropera morte consequitur, in S. Michaelitana æde humatus. Fratris præfecti unica filiola a nutrice in campum delata, & compacta sub casa straminea ab avo Kelnero, ex Marck-Vippachio, cibo, potu & medicaminibus fota, tamdiu ibidem delituit, donec de meliori mansione iis prospiceretur.*
Epistolam denique vir pientissimus claudit solatio Paulino ex I. ad Corinthios X. v. 13, fore scilicet, ut hæc quantumvis per-

peracerba tentatio eum habitura egressum, ut sufferri potis sit. Id quod etiam factum est: quando non modo intacta maneret D. Georgii Henrici Prof. Erf. in area patria (auff dem Juncker-Sande) habitantis familia; sed & laudatissimus frater Wilhelmus Hieronymus pristinæ valetudini restitueretur, itemque relicta illa Rudolphi fratris filiola conservaretur. Quomodo tum temporis commercia peregrinantium, ipsorumque adeo tabellariorum passim fuerint coarctata, ac tantum non coercita, unicuique notum esse arbitror: ut mirum adeo non sit, literarium quoque nostrum intercapedinem sensisse. Attamen XXIV. Novembris nunciabat, salva Meinungæ omnia, rumoremque de illa quoque infecta confictum esse. Anno cIↃ IↃc-LXXXIV. mense Februario, & sequentibus, Brücknerus Noster cum amicorum nonnemine *de Sortitione, & an illa etiam apud Christianos locum habere possit*, per varias literas amice disceptavit. Aprili ineunte Wurtzburgum abiit, ubi collatio quædam inter nonnullos Status Circuli Franconici habebatur. Mense Majo, Johannes Fridericus Kargius, jam Electoralis Consiliarius Bavaricus, Brucknerum, ejusque conjugem (de qua benigne semper locuta fuerat Zitteria, ejusque in se προθυμίαν prædicaverat) Meinungæ invisit, ac multa de statu suo familiariter exposuit, inprimis, quomodo ab ultimi Bambergensis ac Wurtzburgensis Episcopi excessu, a Collegio Canonicorum Wurtzburgensium fuerit detentus, eo quod semel atque iterum ob Domini cum utroque Collegio dissidia, ad Ponticem Romanum iter fecisset. Contendebat is hac tempestate ad Electorem Brandenburgicum, celeribus usus equis: sed cum quot desiderabat, illico non posset impetrare Meinungæ, carpento Ducali Smalcaldiam fuit avectus: menseque Junio reversus, cum Bucknero, de fictitia illa Johannis Friderici Electoris epistola, amice disputavit. Licet autem pro genuina illam haberet, non diffitebatur tamen, subscriptionem novi istius Electoris in ea desiderari. At enim

postquam pluribus argumentis νοθείαν harum literarum Brucknerus commonstraverat, quod reponeret Kargius, non invenit: divinante tamen meo, non defuturos pessimæ licet causæ in Papatu patronos: certe cum Nostros, ut credant, plane nequeant adducere, suis tamen hæc ἀσύστατα perpetuo inculcaturos. Non multo post in conventu Circulari Norimbergensi, & Domini sui, ac aliorum quorundam Ducum loco, legatus fuit valde occupatus. Septembris mensis domui Brucknerianæ ita fuit infestus, ut liberi prope omnes dysenteria correpti graviter decumberent, amisso tamen, nutu Dei, nemine. Atque hoc eodem mense mihi nuntiabat, iterum se *in Jurisprudentia Consistoriali* expolienda desudare. Anno CIƆ IƆC LXXXV. XXII. Aprilis Erfurto de variis antiquitatibus Thuringicis, præcipue ad historiam pro sancto habiti Bonifacii ad me scripsit, occasione libri mei recens editi, *de Antiquitatibus Gentilismi & Christianismi Thuringici.* Eodem anno cum in aula Serenissimi Ducis Bernhardi insignes aliquot mutationes contingerent, Noster, una cum Regiminis Directore Gabelcovio, & Consiliario Quæstorio Kunholdo, in pristini Domini Friderici Ducis ministerium rediit, iisdem quibus Meinungæ gavisus fuerat, honoribus, ac salario gavisurus. Solennis receptio in Collegia Consilii Aulici, ac Consistorialis, Gothæ facta est Novembri mense: quo ipso tamen (ne quis putet Brucknerum Bernhardina gratia excidisse penitus) ad Circuli Franconici comitia a laudatissimo Duce Bernhardo ablegabatur: cumque inde reverteretur Meinungam, clementissime ab Eodem habebatur. Jam in singularem Amici mei vertit fortunam, quod, quam ante annos non adeo multos Gothæ coemerat domum, adhuc haberet in manibus, atque in eandem postliminio reverti liceret. Anno - LXXXVI. ad calcem Junii, ad acidulas Grumbacenses, tribus milliaribus Gotha dissitas, cum Magno Saulio, sacri Synedrii Præside, se conferens, in valetudinis commodum singulare hoc propositum sibi cessisse, a re-

ditu ad me ſcripſit. Idem ille Saulius brevi poſt cum Henrico Fergio, Concionatore Aulico, ad Academicam (ut vocant) Reviſionem miſſus, reapſe demonſtravit, vel ob Brücknerum Collegam ſe non male mihi velle; imo non in præſenti modo, ſed & poſtea aliquoties teſtatus eſt, honeſtos meos in promovenda pro viribus ſalute Academica conatus ſibi aliisque bonis non improbari: id quod magno in difficilibus caſibus mihi ceſſiſſe ſolatio, nequaquam negaverim. Auguſto menſe Brucknerus meus de Glichenſis Comitis bigamia, a Johanne Mauritio Gudeno in Hiſtoria Erfurtenſi negata, per literas mecum egit, eaque fini ſingulare hac de re ex Glichenſibus meis caput ad eum miſi: ad quod poſtea in publico ſcripto provocare non dubitavit. Per Novembrem cum tertium catarrhalis febris eum cœpiſſet infeſtare, a ſalubrium medicaminum uſu radices agere nequivit. Anno cIɔ Iɔc LXXXVII. menſe Aprili per aliquot hebdomadas egi Gothæ, ſuppleturus, quas editioni parabam Antiquitates Thuringicas: quo tempore novis me ſibi beneficiis devinxit hoſpes optimus. At vero quando ſuam, de bigamia in certis quibusdam caſibus etiam apud Chriſtianos licita, opinionem, mihi proponeret; eandemque nec S. Scripturæ Novi fœderis, nec praxi Eccleſiæ Chriſtianæ convenire, quin gravem offenſam cum tempore ex illa orituram, oſtenderem; diſſentientem me quidem æquo tulit animo, ſic tamen ut ſemel conceptæ inhæreret ſententiæ, eandemque demum non in literis modo ad D. Joh. Wilhelmum Baierum, Theologum, Johannem Philippum Slevoigtium, JCtum Profeſſores noſtrates, ſed & ſcriptione publica propugnaret. Nunquam quidem is promiſcuam bigamiæ licentiam probavit; aut Magnatibus alioqui ad hunc lapſum pronis peccandi fores aperire voluit; aliis etiam gravibus ſtrictisque cautelis circumſepiens opinionem ſuam: attamen quia Patriarchas, ut & Judæos, temporibus antiqui fœderis, in Polygamia nequaquam hallucinaſſe, nec CHRISTUM ad pri-

mævum matrimonii inſtitutum ſatis clare ſuos revocaſſe, credebat; fieri utique non potuit, quin minimum in aliquibus iis conſentiret, qui partim in Palatinatu ad Rhenum, partim alibi de defendenda etiam Chriſtianorum, polygamia fuere ſolliciti. Atque hæc vel propterea hoc loco monenda duxi, ne quis putet, me ita Brucknero fuiſſe addictum, ut & in eo illi conſentirem: perinde uti ſcio, etiam in meis ſcriptis geſtisque aliqua fuiſſe, quæ ipſi diſplicuerint. Hoc eodem anno cum Erfurtenſes in Haberkornii ad Meklenburgenſem terram concedentis locum, Meinungenſem Concionatorem Aulicum, D. Joachimum Juſtum Breithauptium, Miniſterii Seniorem delegiſſent, Noſter etiam hanc rem καδδύναμιν per literas promovit, ac ſæpius mihi poſtea vitam Breithauptianam, illibatæ doctrinæ puritati conjunctam, ac ob id ab ipſis Pontificiis æſtimatam, deprædicavit. Et ſane cum, θεοφιλέστατος Spenerus Francofurto Dresdam perrecturus, Breithauptium adhuc dum Meinungæ agentem, iisdem nominibus mihi celebraſſet, non potui non tam pii, docti, ac vere orthodoxi Theologi ambire, atque exoſculari amicitiam, familiaribus colloquiis, ac frequenti literarum commercio poſtea corroboratam. Haut equidem ignoro, non defuiſſe & Erfurti, ac alibi locorum, qui ſanctam Breithauptii doctrinam de Chriſtianorum perfectione infamare ſunt conati: ſed bene eſt, quod ab omni heterodoxias ſuſpicione, per clariſſima S. Scripturæ loca primum, dein per Proto-Synedrii Friedenſteiniani, ac Facultatis Jenenſis Theologicæ (ne de aliis nunc dicam) reſponſa liberatus, neminem amplius habeat adverſarium, niſi qui ipſi veritati bellum velit indicere, aut nodum etiam in ſcirpo quærere. Verum uti Breithauptianam, ita ni fallor, Winckelmannianam quoque amicitiam Brucknero meo debeo. Quia enim ex hoc intellexeram, Johannem Juſtum Winckelmannum, JCtum & Hiſtoricum ſumme nobilem, in Hiſtoria Haſſiaca opus conſcribere elegans

&

& eruditum, ac facile prævideren, alicubi nos in gemino argumento (notum est Hassiam Thuringiæ olim computatam) elaboraturos, scripsi ad Virum excellentem, meamq; amicitiam ei observanter obtuli. Nisi forte id sponte mea factum prius, quam Brucknerianam de Winckelmanno opere epistolam II. Augusti accepi: nam quia Winckelmannianas literas per hanc opellam excutere, certa etiam definire nequeo. At enim uti novis amicis in Breithauptio, & Winckelmanno fui auctus, ita veterem, eumque summum maximumque, in D. Adamo Tribbechovio, Antistite sacrorum Gothanorum supremo amisi: cujus præmaturum obitum (nondum enim quinquagesimum annum attigerat) cum συμπαθείας significatione singulari XXIII. Augusti mihi renuntiavit Brucknerus. Per mensem Septembrem difficiles catarrhi, aliaque sinisterioris valetudinis incommoda afflixerunt Meum, ut nec caput, nec pedes officium ex debito facere, ac deteriora se præsagire, moneret. Et certum utique, quod ab ea usque tempestate, cum variis gravissimisque morbis conflictans, de plena sanitatis restitutione addubitare cœperit: ac fortassis etiam citius decessisset de vita, nisi supra jugem medicamentorum receptionē, temperanti vitæ ratione, ac diæta stata, sibi consuluisset. Mense Novembri D. Adriani Baieri, JCti Jenensis scripta, de varii generis opificiis, opificumque servulis, magnopere sibi probari testatus, ut singula in ipsius gratiam coemerem jussit. XIII. Decembris valde me exhilararunt Brucknerianæ literæ, quibus me certiorem faciebat, inter arcani consilii, ærariique Ducalis assessores convenisse, ut si, prout cœpissem, in conscribendis historiis Thuringicis pergerem, icones eo pertinentes omnes ac singulas impensis ærarii, æri incisum, ac pro re nata etiam excusum, nec minus jam confectas, meoque proposito convenientes liberaliter mecum communicatum iri: pro quo tergemino insigni beneficio, ut hic etiam publice devotas agam gratias, æquissimum esse judico. Neque diffiteri possum, insignem

hanc liberalitatem studium provocasse meum in Gothana historia aliquid tentandi singulariter, eoque omnibus ac singulis Mæcenatibus ac Patronis meis Gothanis εὐχαρισίας testimonium relinquere. Faxit Deus, ut hoc exemplum reliquarum etiam aularum Proceres permoveat, non tam me, quam patriarum historiarum publico tam necessarium ac salutare studium augendi ornandique. Quandoquidem autem laudatorum, aliorumque benefactorum pararium benevolentissimum nactus sum Brucknerum meum; ut etiam post fata ei habeam gratias, ac viduæ liberisque locupletissimam remunerationem divinam apprecer, mea me jubet pietas. Quid? quod ejusdem quoque commendatione quadamtenus debeo insigne illud donativum, quo illustres Provinciales Status Saxo-Gothani inscriptionem Antiquitatum Ducatus Thuringici clementer ac benevole mactare, eoque ad majora in his talibus tentanda me erigere voluerunt. Interea necessitas quædam mea perfecit, ut per absentiam Friderici Ducis, a secretiori Consilio Gotham evocarer mense Februario anni LXXXVIII. ac tamdiu ibi manere, & in Gothana æque ac aliis historicis Thuringicis elaborare juberer, donec moti fluctus componerentur. Hæc ipsa mansio Gothana in singularem boni publici fortunam vertit: dum sepositis curis reliquis, tantum in rebus præcipue Gothanis apparatum poteram conquirere, quantus justo volumini sufficeret. Ac plura fortassis, faventibus Collegiis omnibus, & in his quoque Consulari & Senatorio, congessissem, nisi me lentus hemicraniæ morbus invasisset, ac dolores capitis, & in dextro lumbo creasset incredibiles. Factum tamen est per providam Medici Doctoris Bachovii curam, ut pristinæ redditus valetudini, ad mutandum aerem Isenacum proficisci, ac cum D. Paullini de conscribenda etiam historia Isenacensi sermonem conferre possem: quamvis hic mutata brevi mente, ipse in se recepit illam provinciam, ac, ut ab aliis accepi, non incommode ornavit.

ornavit. Interea excursus ille Isenacensis tantum aberat, valetudinem ut erigeret, ut eam potius prosterneret magis: unde Gotham citius reversus, per aliquot adhuc hebdomadas ægrotavi: sed & incredibilem Hospitis ac Hospitæ pro me sollicitudinem deprehendi. Jenam reversus, a Serenissimis Academiæ Nutritoribus Historici Saxonici munus in publico Revisionis decreto mihi confirmatum nova Deus ornavit vereque luculenta gratia. Nam dum ob historiam Salfeldensem, in quam a pluribus retro annis multum operæ oleique consumseram, iter necessum habebam facere Salfeldium, ecce in summo curiæ laqueari in incredibilem scripturarum veterum molem incido: quæ maximum lumen non tantum Salfeldicæ, sed universæ historiæ Thuringicæ, præcipue autem Ecclesiasticæ fœnerari poteram. Postquam nimirum Johannes Dolsckius, trium Electorum Saxoniæ Marschalkus, tempore captivitatis Johannis Friderici Electoris, Lipsiæ excessit vita, ac bona ejus Salfeldica (nam castri veteris Sorabici, des hohen Schwarms, possessor fuerat) distraherentur, mira fortuna scripturæ ejus multijugæ in curia ita fuere repositæ, ut post tantam temporis intercapedinem pulvere ac situ obruerentur, & nemo amplius de iis esset sollicitus. At ex quo, supra tot Regum, Electorum, Ducum, Comitum, scripta, Spalatinianarum literarum plusquam centum, ac multas Lutheri, Melanchthonis, Bugenhagii, aliorumque excellentium tum temporis virorum epistolas valde memorabiles in illis reperi, ac insuper in alio curiæ angulo innumera prope veterum Thuringiæ Landgraviorum, quibus Salfeldium paruerat, diplomata invenissem, atque de hac insolita fortuna mea certiorem fecissem Brücknerum, mirifice de ea mihi gratulatus est: ac porro, quæ a Serenissimo Duce Friderico in feliciter quondam inventi ac operose dispositi Archivi Glicha-Tonnensis memoriam, clementissime dono mihi nuper data, imaginem, quam appellant, pectoralem, auream, adamantibus distinctam submisit.

 Mense

Menſe Octobri Brucknerus Noſter denuo ad conventum Circuli Norimbergæ habendum legatus proficiſcebatur; at Meinungæ edoctus, perpaucos legatorum adeſſe, ac reliquos propediem abituros, re infecta Gotham revertebatur. Quo ipſo die ad me ſcribens, varia nuntiabat nova, ac inter hæc, quam importune legatus Gallicanus ſe geſſerit Wurtzburgi: Epiſcopo tamē maſcule nō modo loquente ad ipſum, ſed & armatum militem ſubito collectum ei commonſtrante. Ineunte Decembri in oppido Cahla, uno cum Collegis aliquot in intricatis quibusdam negotiis extricandis occupatus erat Brucknerus: quo cum me evocaret perhumaniter, in alterum diem ibi egi, tam ab ipſo, quam a laudatis Collegis benigne & liberaliter tractatus. Ceterum, nequaquam transmittendum eſt ſilentio, quod hoc ipſo anno octavo & octogeſimo Brucknerus Noſter memorabilia illa cum Teffereccanis acta magno ſtudio collegerit, inque lucem publicam ediderit. Teffereccani ſcilicet ita dicti a valle Teffereccia (quæ & Puſteriana audit) per duo milliaria in archidiœceſios Saltzburgenſis præfecturam Windico-Matterenſem protenſi, ut & in Tirolenſem montanam partem diffuſi, ſub Pontificia quidem perſona latentes, per integrum & quod excurrit, ſeculum, ſcriptis ſunt uſi Evangelico-Lutheranis, ac nominatim, verſione Bibliorum, & *Poſtillis*, uti vulgo inſcribuntur, Lutheri, *Confeſſione Auguſtana*, Spangenbergii *Expoſitione Evangeliorum*, & Habermanni *precationum* libello. Et hos quidem diebus dominicis ceteriſque feſtis domi legerunt, vel prælegi fecerunt, diligenter, & partim ex iis Pontificiam religionem confutarunt; ſed & proceſſionibus, aliiſque inſtitutis Papalibus, quantum licuit, ſe ſubduxerunt: id unice dolentes, quod ſacra Euchariſtia ſecundum primævam CHRISTI inſtitutionem uti fruique non potuere. Scholarum Præceptores non habuere nimis rigidos, cumque tales demum accepiſſent, maluerunt ipſi ſuos informare: tum duo, qui præ ceteris in Evangelica religione eruditi, informandi munus

suſceperant: quod ipſis tamen, ut & piſtori, qui idem fecerat, interdictum a præfectis novis, Jeſuitarum aſſeclis. Hi cum acerbius Teſſereccanos cœpiſſent & in aliis de religione rebus tractare, novasque doctrinas & cerimonias imperare, res ad Evangelicos delata Status, eosdem permovit, ut Archiepiſcopo Salisburgenſi miſerorum cauſam de meliori nota commendarent. Et primo quidem Elector Brandenburgenſis ad laudatum Præſulem, Potsdamo XII. Februarii anno LXXXV. ſcribens, monuit, quosdam Teſſereccanos perſecutione nova impulſos, Auguſtam, Norimbergam, Vlmam, & aliorſum in exilium conceſſiſſe, quorum partim liberi inter Romano-Catholicos diſtributi in ea religione educantur. Ad hæc ab Archiepiſcopo reſponſum XIV. Aprilis, Teſſereccenſes illos non Reformatæ, cui ipſe Elector, at Aug. Confeſſioni, nec in omnibus articulis tamen, addictos, cumque ad frugem revocari nollent, facta de bonis diſpoſitione, emigrationem indictam, relictis, qui nondum duodecennes eſſent, liberis, ad annos usq; diſcretionis. Verum quod ultimum illud, quo liberi a Parentibus divellebantur miſere, peracerbum fuit viſum laudatis Statibus Evangelicis, eo tandem res devenit, ut, ſedulam inprimis operam navante regente Duce Würtembergico, Teſſereccani plerique liberi Parentibus redderentur. Hujus rei, miraculo non abſimilis (nempe quod in medio Papatu Eccleſiæ Evangelicæ tamdiu locus fuerit) pleraque acta collegit, diſpoſuit, ediditque, ſub Gotfridi Wahrliebii nomine, Brucknerus, digniſſima utique, quæ cum cura legantur, utpote multis rarioribus obſervationibus diſtincta. Cum anno cIↄ IↄcLXXXIX. menſe Junio, ad orationem in funere B. Avemanni Cancellarii habendam, vocarer Gotham; Brucknerum meum non offendi: utpote nondum ex acidulis Grumbacenſibus reverſum: id quod utrique noſtrum vel ob id moleſtum erat, quia multa invicem de prima hiſtoriæ Gothanæ editione colloqui voluimus. Exſpectabam quidem illum menſe proximo in ſolemnibus Magiſterii heic me Brabeuta celebrandis: ſed & illa

illa ſpes ob varia Viri negocia evanuit. At quia Ampliſſima Facultas Juridica ab obitu D. Joh. Voclkmanni Bechmanni, juniorem Noſtri fratrem D. Wilhelmum Hieronymum in ſucceſſorem illius commendaret Aulis, magno id mihi gaudio ceſſiſſe, non diſſimulaverim. Exordiente Auguſto Brucknerus mihi ſubmiſit *Notas* ſuas, & *Animadverſiones* in Gvilielmi Ignatii Schützii *Manuale Pacificum*: quæ tamen fictitium, ſive potius anagrammaticum *Heydeni Borromei Riccrunti* præ ſe ferebant nomen, ab Auctore Colloquiorum menſtruorum non incelebri, ex re & vero celebratæ. Parvus quidem libellus eſt: ſed in quo repereris, quæ in magnis etiam voluminibus fruſtra quæras. Mox ex Papatu ad Nos converſum Hubertum Royenium de meliori nota mihi commendabat: qui anno inſequenti acerbum hic incurrit fatum, ab ignoto homine Pontificio, in muſeo, quod in ipſo Collegio habebat Academico, ſica graviter vulneratus; ſed per divinam gratiam, Chirurgorum ope ſervatus. Percuſſor nebulo illico evaneſcens, ἔκδικον θεȣ̃ ὄμμα non effugiet. Menſe Decembri domi Brücknerianæ ancilla febre petechiali ſublata, non leve toti familiæ periculum minitari videbatur: verum etſi eopſe tempore quadriga minorum natu filiarum ex variolis graviter decumberent, ſenſim tamen convaluerunt ſingulæ: cum contra aliquot Proceres Gothani liberos amitterent dulciſſimos, & in his Gabelkovius & Witzlebius filios ſedecennes magnæ ſpei. Anno XC. die XXII. Januarii Brucknerus Noſter Arnſtadium conceſſit: ubi de ſucceſſione Saxo-Lauenburgica colloquium habebatur inter legatos Ducum, filiorum Erneſti Pii: a quo tempore & ipſe non parum curioſus fui in hiſtoriis ad hanc cauſam pertinentibus variis: &, ut verum fatear, non ſemel faſſus ſum Bucknero, ſi modo res ad concertationem deveniret literariam, innumeras antiquitates Saxonicas detectum iri. Bene autem eſt, quod Vir, rara doctrinæ ſolertia, judicii mira perſpicacia, aliisque præclariſſimis dotibus præditus, Johannes Ludovicus Zollmannus,

mannus, Consiliarius Ducalis Saxonicus, non modo de omnium ac singulorum competitotum, sive veris, sive putatitiis juribus, tam accurate me erudiverit, verum etiam tum lectissima sua, tum aliorum scripta huc spectantia mecum communicaverit. Mense Martio consilio Brückneriano utebar in causa quadam pecuniaria. Postquam enim ante complures annos apochæ Studiosi, qui certam mercatori debebat summam, in majorem fidem una subscripseram, mercator, relicto Patre (is scripta graviter epistola me jusserat pro filio vadimonium præstare; nunc autem Sctum Macedonianum, mox alia prætendens, oneri solutionis se subtrahebat) me in jus vocavit, atque a nonnemine adjutus, eo rem redegit, ut mihi imponeretur necessitas solvendi summam capitalem integram, &, quod mihi videbatur iniqvum, fœnus quoque ipsam jam summam supergrediens : cum tamen paratus essem ostendere, non modo multa ad luxum pertinentia, sed & ipsum fœnus in mercibus haberi. Dignam equidem hanc rem existimabat Brücknerus, cui lata etiam lege in posterum iretur obviam a Nutritoribus singulis : cur tamen nec ipse, nec Advocatus, ceteroquin diligens & accuratns, voti fierent compotes; sed adversario permitteretur processum ordinarium in executivum permutandi, singularis forte fecit ratio, alibi aperienda ac insuper demonstrandum, quam facile rimas elabendi reperiat mercator, legum Academicarum conscius, si magis de augendis rebus suis, quam de paterna, ut & Academiæ Patrum voluntate sit sollicitus. Tandem tamen Pater rei indignitatem, suamque scriptionem considerans, ipsam summam capitalem fecit solvi, non nisi fœnore, ut, & impensis processus mihi relictis. Interim vel ex hac causa miras fortunæ juredicialis vicissitudines, ac artes quoque hactenus mihi incognitas didici non paucas: sic quidem ut nunc Studentes æque ac illorum Parentes, sive tutores, aut cognatos, occasione ita postulante, salutaribus quibusdam mo-
nitis

nitis liceat instruere, Eodem mense Martio tam graviter ægrotabat Brucknerus meus, ut ipse, & Medici etiam de vita desperarent. Post illa mihi ex improviso, & (quod sancte contestor) nihil tale cogitanti enata de publicis in *Historia sacra* lectionibus controversia: cui ansam dederat elegans compendium Historicum Sulpitii Severi, scriptoris latinissimi, ac Sallustianæ brevitatis æmuli: qua de re variis inter nos actum literis: cujus negotii, quod miro Dei nutu, in longum protrahebatur, ac innumeris prope involvebatur nodis, causa, non semel Gotham habui excurrere. Et sane, si semel ante unicam horulam pervenissem Gotham, res longe, ac postea factum cecidisset aliter: certe tamdiu ut a publicis lectionibus feriarer, nunquam imposita mihi fuisset necessitas. Quæ res licet in hac Academia nō minus, quam Aulis singulis sit pervulgata, malo tamen tam ab ejus abstinere meritis, quam, quæ exin enata sunt, adversis recensendis: cum præsertim omnia nuper partim feliciter composita, partim brevi componenda sint. Interea dum jussu Serenissimi Domini Alberti, Saxoniæ Ducis laudatissimi, & ab excessu Friderici, fratrum Senioris, totiusque Ducalis lineæ Directoris florentissimi, singulari jussu, semel atque iterum Gotham necessum habebam iter facere, anno superiori XCII. vel in ædibus Brucknerianis hospitatus sum, vel alias cum Brücknero meo sermones miscui familiares. Atque id ultimo factum est mense Julio, cum is non diu ante ex diuturno ac periculoso morbo convaluisset. Videbam tunc meum unice occupatum in causis matrimonialibus, utpote de quibus jam luculentum opus, sive integri operis pars I. prodierat, tanta cum doctrinæ accuratione elaborata, ut satis eam deprædicare nequeas. Certe si pauca illa exceperis, quæ supra de comprobata quodammodo Polygamia Christiana dixi, nescio an multa in hoc libro desiderare queas; sive tractandi methodum, sive exempla, casusque rariores, sive planum ac perspicuum eloquii genus respicias. Scio quidem multa comtius exprimi

exprimi potuisse, atque elegantius: (neque enim mihi est ignota facultas viri, si intendere nervos vellet, oratoria) verum, uti ex brevicula præfatione constat, cum delegit in loquela genium, qui omnium auribus æque ac intellectui sese insinuaret. Iam meditabatur Vir præclarissimus partem alteram, cujus etiam portionem Coburgi vidi apud Zollmannum meum, qui ab optimo auctore paulo ante excessum ejus acceperat cum Excell. Synedrii Ducalis Præside Johanne Burchardo Roßlero, aliisque in his studiis exercitis Viris communicandam: quam tamen a Zollmanno receptam D. Wilhelmo Hieronymo Bucknero Collegæ conjunctissimo reddidi; certa spe fretus fore, ut hic & illa, & si quæ superant reliqua fratris connubialia in lucem sit daturus, ac sua fortassis opera etiam locupletaturus. Sic igitur hic extremus in scribendis libris labor Brucknerianus: at sanctior longe fuit alius de anima cœlo resignanda. Cœlestia frequentius meditatum esse Nostrum apprime novi, atque ipsum corpus per aliquot annos cacochymicum id ipsum suasere magis. Quamvis igitur fere semper ita vixerit, ut non defugeret mori, imo sæpius anhelaret exsolvi vinculis mortalitatis, & esse cum CHRISTO; tamen in ultima illa lucta id ostendit magis, eoque postquam ipsum corripere cœperat petechialis febris, ad beatam emigrationem in CHRISTO religiose se composuit: quæ & ipsi ex voto obtigit die XI. Februarii anni præsentis CIƆ IƆ CXCIII. circa quintam matutinam. Vix duodecim effluxerant dies, quod ad Johannem Ludovicum Zollmanuum Consiliarium Saxonicum, aliquoties a me laudatum, Coburgum miserat epistolam, qua me salvere jusserat perhumaniter: quamobrem nuncius de tanti Amici excessu im-

provisus eo mihi accidit luctuosior. Quid? quod ipse Serenissimus Saxoniæ Dux Albertus, cui id inter prandendum humillime exponebam, tantopere commoveretur, ut diu sedens tacitus, tandem in veras bene de se meriti Præceptoris, & in variis itineribus sibi comitis laudes non sine magna συμπαθείας clementissimaque significatione erumperet. Funebria post aliquot dies celebrata Gothæ, inque cœmeterio sanctæ Crucis exanime corpus ad latus primæ uxoris humatum, conjunctionem animæ in lætifica illa resurrectione mortuorum expectat; ubi ille mihi, ego quoque ipsi restitutus æternum convixerimus. Interea Deus O. M. S. suo Spiritu relictam viduam, Hieronymum filium pietate, modestia, bonisque literis egregie jam excultum, ac magis σὺν Θεῷ in posterum excolendum, ut & reliquos liberos omnes (hi plerique una cum matre gravissime itidem decubuerunt) fortissime consoletur, in rebus dubiis præsidium auxiliumque ipsis subministrando semper proficuum. Ego vero quamdiu me servaverit divina bonitas, nunquam optimi fidique obliviscar mei

HIERONYMI BRVCKNERI.

Atque hæc scripseram, lector benevole, cum laudatissima vidua Bruckneria mihi mitteret brevem vitæ mariti historiolam ab ipsomet conscriptam, ex qua coronidis loco pauca placet afferre. Et primo quidem annotavit, Gotfridum Braunium in sacro baptismate sponsorem pro ipso egisse: deinde Helmstadium contendentem ab Franzkio Cancellario se commendatum fuisse Eichelio Professori Icto: sed & Gläseri Prof. (hic Binnii erat gener) prælectiones Ethicas excepisse. Lipsiensis illa disputatio proprio elucubrata Marte egit *de institutione heredum prima, &*

ma, & ſubſtitutione. Wurtzburgum ſemel miſſus eſt Meinunga ad componendas de finibus ut & feudali circa Meinungenſia jure controverſias. De ultimo morbo hæc annotarunt relicti. In pervigiliis feſti Purificationis Mariæ magna virium imbecillitas cum clancularia febre ipſum corripuit, appetitum ciborum omnem ſiſtens, noctemque inſomnemque concitans. Die feſto proximo opera medici malignam febrem præſagientis diſpulſurus morbum, primo quidem levamen, ſed poſt graviora inſtare ſentiens, relictis omnibus humanis (quæ pridem tam curate, ut nihil ſupra diſpoſuerat) non niſi divina meditatus, poſtquam a facta Tobiæ Durfeldio Archidiacono peccatorum confeſſione S. Euchariſtia erat refocillatus, dicto tempore cœleſtem animam placide exhalans Patri cœleſti reddidit. Sermonem ſacrum funebrem habuit Fergius Noſter ex præſcripto II. ad Corinthios cap. VI. inciſo IX. *Quaſi morientes, & ecce vivimus.* Inter alia autem decrevit, ne quæ ſingularis oratio haberetur panegyrica in ipſa æde ſacra: ne ſcilicet, ut ipſe monuit, nimis diu detineretur concio. Credo tamen & arcanas habuiſſe rationes alias, ac inprimis ſummam, quam in iis non raro deprehendit vanitatem ex animo fuiſſe deteſtatum.

CÆTERA DESUNT.

NB. Dem Buchbinder dienet zur Nachricht/ daß hier T t sich endiget / und folget V v mit der Ziffer 337.

AVLÆ MARSCHALCI ET PRÆFECTI

Georgius a Kötschau/ *Aulæ Præfectus* Hauß-Hoffmeister/ ab anno cIↄ Iↄc XL. - cIↄ Iↄc LII.

Georgius a Wangenheim/ *Aulæ Præfectus*, ab anno cIↄ. Iↄc LII. mortuus cIↄ IↄcLIX.

DITERICVS PFLVGIVS.

Aulæ Præfectus, & postea *Aulæ Marschalcus*, natus Oldenburgi anno cIↄ IↄcXXI.xxvii. Julii, patre Christophoro, Antonii Güntheri, Oldenburgici Comitis Consiliario intimo, ac Tillii Comitis, Cæsarei Imperatoris bellici, præfecto supremo; matre Elisabetha Zahrenhusia. Avum paternum habuit Cæsarem, Electoralem Saxonicum provincialem, ac in Appellationum Dicasterio Consiliarium. Domi privatis præceptoribus creditus, decennis postea una cum fratre, ad Jesuitas Colonienses missus est: addito tamen pio, doctoque homine, qui & privatim erudiret juvenes, ac videret, ne quid detrimenti in adolescentibus caperet Evangelica religio. Quæ res etiam successit bene, sic ut insuper habitis Jesuitarum pollicitationibus, persisterent in vera fide. Hunc tamen filium parentes postea commiserunt curæ Balthasaris Gvalteri, Superintendentis Brunswicensis, cujus convictu usus, Martinianam scholam frequentavit. Brunswici dum agit, pater excedit vita: unde a Comite Oldenburgico, tutoris supremi curam non defugiente, Rostochium mittitur: ubi Philosophiæ ac Juris studiis operatus, diligenter etiam Candidatis in disputationibus inauguralibus opponere nō dubitavit. Annis aliquot elapsis, a Comite in aulam evocatus, post ad Dicasterium Spirense, ac deinceps Osnabrugam & Monasterium Westphaliæ se contulit: eo quidem, ut stylo, quem vocant, Curiæ adsvesceret; huc autem, ut legatis in conficienda pace Germanica occupatis se insinuaret. Exin dum in aula agit Altenburgica, apud affinem Vrsulam Endiam, gente

Pflugiam, Ernesto Pio innotuit, qui inter aulicos recepit, ac post aliquot alia munera, primum præfecturam aulæ anno - cIↃ IↃc LX. post scipionem Marscallatus insigne, anno - LXXI. ei credidit. Interim anno - LVII. ex gynæceo Gothano uxorem duxit Susannam a Dobeneck, Ernesto Pio nuptiale convivium impensis suis procurante. Cum mense Julio anni - LXXIX. ad nuptias quasdam Burglemnitii in Comitatu Swartzburgico celebrandas, profectus esset, morbo tentari cœpit in continuas vomitiones erumpente. Et licet die proximo paulo melius se haberet, tamen vocato ex vico proximo Ecclesiaste, post factam exhomologesin, sacra Eucharistia refectus, cum ex sedili in lectum se recipere vellet, in conjugis maritum eo deducturæ amplexu subito exspirat die XIV. dicti mensis hora nona matutina. Bibliothecam ejus Ernestus Pius emit, suæque inseruit, optimis quibusque libris, præcipue historicis, refertam, quos diligenter a Pflugio lectos, variæ ad eos scripturæ lituræque declarant.

Bernhardus Pflug, in Posterstein, *Aulæ Marschalcus*, an. cIↃ IↃc LXXX. - cIↃ IↃc LXXXIII.

Fridericus Bernhardus a Wangenheim, *Aulæ Præfectus*, an. cIↃ IↃc LXXX. - cIↃ IↃc LXXXIII.

Johannes Ludovicus ab Hanstein, in Walhausen. (Haußmarschall) ab an. cIↃ IↃc LXXXIII.

CAMERÆ DIRECTORES ET CONSILIARII.

Johannes Michael Straus, D. *Director*. cIↃ IↃc XL. - cIↃ IↃc XLVII.

Christophorus ab Hagen, *Consiliarius Camer.* cIↃ IↃc XL. - cIↃ IↃc LV.

Vitus Ludovicus a Seckendorff. C. C. cIↃ IↃc LV. - cIↃ IↃc LXIV.

Hiobus Ludolphus, *Director*, cIↃ IↃc LXIV. - cIↃ IↃc LXXVIII.

Johan-

Johannes Breithaupt, Creutzburgensis, C. C. cIↄ Iↄc LXXVI. -cIↄ Iↄc. LXXXI.

Fridericus Born, primum *Consiliarius Cameræ*, cIↄ Iↄc LXXVI. postea an. cIↄ Iↄc LXXX. *Director* usq; ad annum cIↄ Iↄc LXXXIII.

Johannes Ludovicus ab Hanstein, C.C. ab an. cIↄ Iↄc LXXXIII.

Paulus Künhold, Königsea-Thuringus (ab an. cIↄ Iↄc LXXX. *C. C. Saxo-Meinungensis*) C. *Cam.* Gothanus ab anno cIↄ Iↄc LXXXV.

Johannes Jobus Hartmannus Fischer *Director*, ab an. cIↄ Iↄc XC.

Georgius Reichart, C. C. an. cIↄ Iↄc. XCII.

CONSILIARII HONORARII.

Jacobus Dümpfel, Francofurtensis, anno cIↄ IↄcLVI. socer Hiobi Ludolphi.

Ditericus Pflug, Nobilis Oldenburgensis, an. cIↄ Iↄc LXVI.

Salomon Zinck, anno cIↄ Iↄc LXX.- cIↄ Iↄc LXXIV.

Henricus Gottlob a Seckendorf, anno cIↄ Iↄc LXXI. Hic cum Carolo Ludovico Electori Palatino a consiliis fuisset, inde in patria & arce Seckendorfiana communi, *Superiori Zenna* privatim vivens, a Ducibus Saxoniæ Consiliarii dignitate ornatus, & ad Hennebergici Principatus militaria & circularia, quæ vocant, negotia adhibitus, Præfecturam etiam Regiomontanam ab Ernesto Pio gubernandam obtinuit: sed anno cIↄ Iↄc LXXV. in legatione ad Serenis. Electorem Brandenburgicum, qui tunc in Franconia cum exercitu hybernabat, lue castrensi infectus, florente ætate (nam annum XXXVIII. nondum impleverat) ereptus est humanis rebus, longiori vita, si eruditio, & rerum humanarum peritia, morumque honestas spectetur, dignissimus. Duos reliquit filios, quos patruus educavit Vitus Ludovicus Seckendorffius; cui hanc notitiam debemus, ex *Historia Lutheranismi* lib. I. sect. XIII. § XIII. addit. I. repetitam.

Fridericus Bernhardus a Wangenheim.

ELIAS RVDOLPHVS HEIDENREICH.

De hujus parentibus ac avis quia jam in vita fratris Jacobi Henrici, Præsidis Consistorialis Gothani, diximus, non est, cur illa repetamus. Verum quia ab ipso Elia Rudolpho, de Heidenreichiana familia notitiam accepi accuratiorem, ex illa non indignum puto memoratu, in nobili illa Misniæ urbe Freiberga, metallifodinis florentissima, non incelebre nomen habuisse Heidenreichios: ex quibus Melchior, civis primarius, Casparem, Leonhardum, Davidem & Wolfgangum, cum quadriga filiarum, reliquerit. Horum primus Pastor, ac Ephorus Torgaviensis, anno cIↃ IↃc LXXX. Formulæ Concordiæ subscripsit. Alter civis Freibergensis, Leonhardum, hic Casparem genuit, Pastores Audenhainanos: quorum progenies se per Misniam longe diffudit. Tertius Torgaviensis civis, anno cIↃ IↃc LXXII. duo florenorum Misnensium millia Senatui Freibergensi credidit: cujus fœnus stipendio inserviret in gratiam Studentium ex gente Heidenreichiana, aut si illi deessent, ex civibus Freibergensibus pauperioribus. Vnica ejus & posthuma filia, Victoria, Caspari Widemärckero, equiti, & tribuno Hasso-Cassellano, Vachii habitanti, nupsit, annoque præsentis ævi XXXV. grandi ætate vidua decessit. Quartus denique Wolfgargus, Electoralis rerum feudalium Secretarius Saxonicus, Dresdæ anno cIↃ IↃc LXVI. mortuus, trigam reliquit filiorum, Wolfgangum, Melchiorem & Johannem Georgium, quorum prior apud Davidem patruum Torgaviæ, lue pestifera, tertius Iglaviæ in Moravia cœlibes abiere. Melchior autem anno cIↃ IↃc XCI. Quæstor Weissenseæ factus, anno cIↃ IↃc XXXI. Erfurti, quo ob bellica Thuringiam quoque infestantia secesserat, mortuus, in templo Prædicatorum sepultus est die VII. Septembris: quo ipso Gustavus Adolphus gloriosissimus Sveciæ Rex, Cæsareum Imperatorem Tillium ad Lipsiam devicit. Ex tribus uxoribus suscepit liberos XXII.

quorum

quorum posteritas aucta est mirifice. Et trium quidem filiarum, Marthæ, Dorotheæ ac Otiliæ posteri a proximis septuaginta annis septuagenarium excesserunt numerum. In his reperi M. Petrum Glaserum, Archidiaconum, eoque natum Theophilum, Superintendentem Dresdenses: Laurentium Starckium, Consulem Pragensem: Melchiorem Schumannum, Quæstorem Belziganum: D. Paulum Nicolai, Proto Synedrii Dresdensis Assessorem, D. Johannis Georgii, & D. Christiani, quorum prior itidem Assessor fuit Consistorii patrem. Quia autem ex eadem familia qui ortum traxere, D. Tobias Heidenreichius, JC. P. Lipsiensis, Annalium patriorum conditor, ejusque filii duo, quorum alter Consiliarium Aulicum, aliter Consiliarium & Secretarium intimum Saxo-Weissenfelsenses egerunt, utut adhibita omni diligentia, ad commnnem stipitem pertingere nondum potuerunt; facile exinde de magna ejus vetustate est colligere. Natus vero Noster in arce Weissenfeana anno CIↃ IↃC XVII. die IX. Decembris ac biduo post baptizatus, ætatis anno tertio in tantum ægrotavit, ut pro deposito haberetur atque lente tandem convalesceret. Matre summe de salute hujus filii sollicita, anno XXV. XXXI. Martii, mortua, pater non minori illum educavit sollicidine, donec & ipse Genitor anno XXXI. IV. Septembris de vita decederet: qui cum præ mœrore atque infirmitate reliquos non posset, hunc solum allocutus filium, ut studiis incumberet strenue, paterne adhortatus est. Sequenti igitur anno, svasu tutorum, avunculi scilicet, Hiobi Ludolphi Senioris, Cos. Erf. primarii ac demum supremi Quatuorviri, itemque majoris fratris Augusti Heidenreichii, castrensis Quatuorviri Gymnasium Erfurtense frequentare cœpit: ubi exacto prope triennio, finiente anno XXXIV. a celebri illo Johanne Ravio, tum Eloquentiæ ac Historiarum Prof. P. post summo Scholarum Marchicarum Ephoro, in privatam disciplinam receptus, una cum duobus fratribus junioribus in elegantiori Latini-

 tate,

tate, Historicis ac Philosophicis diligenter erudiebatur. Proximi anni mense Octobri cum iisdem fratribus in Academiam concedens Wittebergensem, inprimis Augustum Buchnerum, Oratorem magnum, in publico; domi autem Martinum Caselium, Fac. Philos. Adj. qui postea SS. Theol. Doctor, & supremus Altenburgensis factus est Antistes; itemque Martinum Heinsium, laudatæ Fac. itidem Adjunctum, post SS. Theol. Doctorem, & primarium Pastorem Francofurti ad Viadrum, cum cura audivit. Deinceps in doctrinis juridicis elaboraturus, Viri Clarissimi Joachimi Hagenmeieri opera, in interpretatione Institutionũ Justiniani Imp. tamdiu utebatur, donec exercitus Svecicus, duce Bannerio, post felicem pugnam Witstockianam, ad exeuntem annum XXXVI. Erfurtum obsideret occuparetq;. Nam per hæc bellica residuis impensis studiorum privatus, in medio cursu subsistere necessum habuit, ad affinem Joh. Gebhardum Goldsteinium, vectigalibus ad Calbam Salicam recipiendis præfectum, paulisper secedens: sed quod nec literas, nec pecuniam Erfurto impetraret, eo iterum reversus, mense Junio anni cIↃ IↃc XXXVII. Wittebergam quidem eopse anno regredi habebat in animo: sed sufflaminavit propositum feralis ibi sæviens lues, ac denique ad viginti supra centum mortales quotidie extingvens. Hac desinente, anno ineunte XXXVIII. eo delatus iterum, Johannis Scharfii & Johannis Sperlingii, Philosophorum non incelebrium, itemque Joh. Olearii Fac. Phil. Adjuncti, post supremi Concionatoris Aulici Hallensis, diatribis cum fructu interfuit. In jure præcipuum præceptorem sibi delegit D. Henningem Grossium, P. P. qui deinceps Lusaticorum Ordinum Cancellarius renuntiatus est. Eodem anno per Augustum mensem Wittebergæ ardenti febri adeo divexabatur, ut paroxysmi a novem ad sex & viginti horas excrescerent, nemoque non de vita actum crederet. Id quod tam hospitem ejus Johannem Nothnagelium, Superiorum Mathematum Prof. quam Ehringium,

Medicum permovit, ut, ægroto nescio, singularem tabellarium mitterent Erfurtum, quo de futura sepultura in tempore cognati dispicerent. Postquam tamen utcunque convaluit, ipse ad calcem Octobris se contulit Erfurtum: ubi quidẽ de recuperata valetudine gavisus; at, quod facultates deessent omnes, pro Musis Bellonam sequi decrevit: atq; cum primariis aliquot militibus, ad copias Svecicas profectus, per Nobilem Bohemum Pietezestium, equitum magistrum, Zdenkoni Comiti Hodiziano & Wolframiziano, Baroni Plazensi, forti non minus, quam docto & prudenti tribuno equestri, innotuit, qui ei Secretarii munus detulit. At hanc fortunam nova febris petechialis octavo die Januarii anno XL. Palæo-Buntzelii ad Albim in Bohemicis eum corripiens ac semel in quintum diem deliriis excrucians, stitit: unde jussu Domini, una cum ephebo nobili Tzhodiowa itidem ægrotante, in Brandisianam delatus arcem, tribuno Flotio præsidii præfecto commendatus, quod medicamina ibidem deessent, veredo militari frumentario (Marquetenter Wagen) impositus, ac cinctus pulvinaribus, media hyeme Neo-Buntzelium avectus, sed & quater excussus curru, in nivem provolutus, quin ab frumentario atrocibus minis, ac nil nisi cædem spirantibus, fuit territus. Quid? quod in eodem itinere ad Isaram fluvium, ubi hic præruptum littus alluebat, delati, cum partem bonam littoris fuissent emensi, eo angustiarum devenerunt, ut nec antrorsum pergere, nec retorsum legere vestigia liceret. In quo ingenti periculo dum medicus militaris (nam & is forte aderat) & milites comites ægroto additi, partim in compescendo horribiliter sæviente frumentario, partim in retrahendis equis, inq; dispescendo ac iterum componendo curru occupantur. Noster culcitris quomodocunque obvolutus, in nive per aliquot horulas humi recubuit. Tandem Buntzelium nocte quidẽ media perventum: sed quod ibidẽ forte haberet præcipua statio Svecicorum præfectorum, nequaquam in oppidum, ac ægre in suburbii domunculam, in

qua

qua in quinquaginta pedites sclopetarii, hospitabantur, admissus, non nisi jusculo ex cerevisia secundaria raptim confecto potuit refici. Melior quidem postridie affulgere videbatur fortuna, dum per Medici commendationem balneatoris chirurgi fidei creditus, per triduum non male fuit habitus. At tum percrebuit rumor, Cæsareanos Regio-Gräcium, tribuni locumtenentis Zabelitzii deditione occupasse: unde Sveci convasatis repente rebus omnibus, Bohemiam reliquere, perque Voigtlandiam Erfurtum provolarunt. Sic itaque Cæsareani milites Neo-Buntzelium irrumpentes, quos reliquos ex Svecis repererunt, fœde admodum tractarunt, nec ægrotis parcendo, quorum aliqui occisi sunt. Magna tamen hic eluxit balneatoris fides, qui ægrum Heidenreichium per aliquot dies summo cum studio occultavit. Verum Palfio Comite cum quinque legionibus Vngaricis Buntzelium mense Februario occupante, balneatoris domus insidetur a duobus locum tenentibus equestribus, ac tredecim equitibus vulgaribus. His quidem cerevisia & spiritu vini, ac porro somno, sopitis, balneator ægrotum in aliud defert cubiculum: in quo postridie, Judæi proditione repertus, postquam hospes cum omni familia ejectus domo, per bihorium minis & verberibus habetur indignissime: ac forte an eum trucidassent milites, nisi dato repente ad emigrandum signo, reliquissent domum & oppidulum: Heidenreichio tamen prius ita dispoliato, ut, præter indusium, vestimentorum superaret nihil. Exin a balneatore edoctus, quomodo Judex Cæsareus, & Decanus Buntzelensis id agerent, ut captivus Pragam abducatur, in tempore fugam circumspiciens, vendita mediocri ære equorum suorum biga, soluto balneatori debito, Studiosi sub persona latens, quod aliter evadere non posset, impositus carrucæ & ab rusticis supra juga montium Bohemicorum operose protractus, Zittaviam superioris Lusatiæ urbem evasit. Hic ope Svecici locumtenentis, in singulis, quos transire habebat, pagis vecturam

libera-

liberalem nactus, Görlicium usque pervenit, ubi non modo valetudini restitutus, sed & a præfecto præsidii locumtenente Wanckio (cujus non est ignotum in historia, sed Dresdensibus admodum invisum nomen) per dimidium annum benefice fuit habitus, &tantum non munifice. Atq; is in ministerium suum protrahere volebat Nostrum: sed hic memor benefactorum a Comite Hodiziano sibi præstitorum, ad eundem maluit reverti: mensèque Octobri anno XL. cum aliquot primoribus ad Stalhansium, qui in Silesia tum temporis Svecicam ducebat militiam, pervenit: a quo accepto commeatu, cum comitibus, per Poloniam, Marchiam novam, Pomeraniam, & Meklenburgesem Ducatum, Wismariam, Lübecam & Hamburgum concessit. Verum quod a Stalhansio per tres hebdomadas fuisset detentus, paulo serius adventavit, Comite jam ante octiduum digresso. Quamobrem denuo Studentis assumens nomen, Hamburgo Erfurtum, inde Chamum in superiori Palatinatu (heic hospitatio Svecorum primaria tum erat) cum Friderico Hassiæ Landgravio contendebat. Ceterum quando ipso abitionis die edoceretur a Landgravio, Hodizianum Comitem brevi per Erfurtum Hamburgum rediturum, adventum ejus exspectavit. Qui de restituta Secretarii sui valetudine gavisus, ut pristino functus munere, pro tempore quid cum Svecis æque ac hostibus ageretur, frequentius ad se perscriberet Hamburgum, constituit. Ab hoc porro Johanni Ochsenstirnæ Baroni commendatus, & ad exercitum Svecicum deducendus, in ipso didicit itinere, militiam Svecicam, relicto confestim Palatinatu, in Electoralem Saxoniam se recepturam, ac purpuratos Svecicos Cygneæ commansuros. Ibidem itaque cum reliquo Domini famulitio moratus est ad Majum mensem anni XLI. quo Bannerius Imperator Svecicus vitam cum morte commutavit. Jam Comes ad copias Svecicas, quæ Wolferbytum obsidebant, mense Junio reversus, summopere exhilaravit Nostrum, meliorem sibi in posterum fortunam vel ob id pollicitum, quod

Xx Domi-

Domini auctoritas & potestas per militiam Svecicam non mediocris esset. At enim nondum elapsa hebdomade, dum Sveci, Gallis, Lüneburgensibus ac Hassis juncti, cum Cæsareis XIX. Junii præliantur, mascule pugnans, Hodizianus Comes duobus globulis transfixus sinistrum brachium, XVII. Julii Hildeshemii occubuit, magno sui relicto desiderio. Hinc de nova spe dejectus, quod nullam ex militia Svecica, utpote destituta capite, & a se invicem diffidente, salutem sibi despondere posset, postquam Domini funus Hamburgum comitatus, ac honorificam cum residuo salario missionem nactus, ad resumenda Juris studia Erfurti pedem figere decrevit. Quod autem ob Cæsareanos, ex Brunswicensib9 Thuringiam ac Misniam versus tendentes, intuta essent omnia, per Marchiam Brandenburgensem, & archidiœcesin Magdeburgensem, Lipsiam se contulit: ubi, ob Svecorum nomen summe odiosum, unde veniret, quisve esset, sancte celare necessum habuit. Erant autem tum Hatzfeldius Comes in obsidenda Erfurto; Piccolomineus autem in hybernis per Misniam disponendis, occupati: unde nec Erfurtum abire, nec in Misniam ad cognatos pergere ausus, Numburgum ad novercam Sophiam Elisabetham Kötschaviam perrexit. At hic edoctus, Hatzfeldium, soluta obsidione Erfurtensi, Numburgo appropinquare, nocte, ex quo advenerat, altera, cum tabellario Erfurtensi periculosum iter pedes aggressus, salvus tamen & incolumis pervenit Erfurtum die XII. Januarii anno - XLIV. eodemque non minus, quam sequenti anno, doctrinas juridicas prosecutus est. Anno - XLV. mense Februario Erfurtensi Academiæ valedicens, Hamburgum repetiit: ubi fere per trimestre tempus impensis suis vivens, demum in Danielis Schleieri, tribuni vicarii, qui in Friderici Bremensis Archiepiscopi, post Daniæ Regis gratiam equestrem legionem erigebat, concessit ministerium, Spartam ac elogium nactus Secretarii: ac primum in Oldelandia, post in Ditmarsia, ac vicino Eiderstedio, diversatus est. Verum
dum

dum id agit Heidenreichius, ut a Schleiero, cujus genius suo non semper respondebat, honestam missionem impetraret, is in repentinum morbum incidit, ac subito exspirat Glückstadii. Sic funere, ac viduæ rebus compositis, Nicolao Alefeldio, supremo vigilum præfecto suam addicens operans, cum eodem Holsatiam, ac Jutiam, itemq; Fioniam ac Sialandiam insulas vicibus diversis transiens, per integrum anni XLV. semestre in regia Hafniensi egit, factaque cum Svecis pace, in Holsatiam reversus, in ipso anni exodio honeste dimissus, res bellicas abdicare statuit. Quamobrem Erfurtum se recipiens, cum supra collectam ex proximis muneribus pecuniam, intercedente Ludolpho avunculo Quatuorviro primario, ex ærario Erfurtensi debitos sibi trecentos accepisset taleros, anno XLVII. IV. Maji uxorem duxit Annam Catharinam Pantzeriam, Nicolai, civis ac mercatoris præcipui relictam virginem filiam: cum qua per integros novem & triginta annos convixit, ac sex filios, (in utero materno mortuum computamus) & quinque filias ex eadem suscepit. In his Ernestus Rudolphus, & Wilhelmus Rudolphus, Anna Elisabetha, & Maria Christiana, præmatura morte parentes antegressi sunt: *Henricus* autem *Rudolphus*, J. V. D. Advocatum Saxo-Gothanum Aulicum, Consiliariumque Neuensteinio-Hohenloicum; *Justus Rudolphus*, Med. Doctorem & Archiatrum Wurtembergicum Bernstadii in Silesia, agunt: *Christophorus Rudolphus*, J. V. Candidatus, qui aliquamdiu in convictu, & plane ad votum meum vixit, Spartam meritis paternis ac virtutibus propriis dignam præstolatur. Priores duo, Patre vivo, uxores duxere: alter, Danielis Richteri, Consiliarii Hasso-Darmstadini intimi, filiam natu minorem; alter, D. Sigismundi Richteri, Cancellari Promnitio-Soraviani gnatam secundam. Filiarum major *Anna Juditha*, primum Stephano Heroldo centurioni equestri, ac possessori aliquot prædiorum nobilium, qui Coburgi plerumq; habitavit, dein paulo post excessum Patris,

Advocato Vinarienſi Calbitio nupſit: altera, *Æmilia Sophia*, Johanni Adolpho Pfefferkornio, Superintendenti Saxo-Kranichfeldenſi juncta; tertia *Maria Chriſtina*, adhuc dum cœlebs floret. Anno - XLVIII. XXIII. Febr. Senatus Erfurtenſis Heidenreichium Noſtrum ad Carolum Guſtavum Wrangelium, Marſchalcum campi Suecicum, Swinfurtenſi obſidione tum temporis diſtentum, ablegavit ſolum: anni autem inſequentis menſe Septembri, una cum Johanne Hallenhorſtio Conſule, ad excellentiſſimos legatos Norimbergæ in conficiendis Weſtphalicæ pacis rebus occupatos. Prima legatio quam fuerit difficilis, vel ex tribus, quos in ea conſumſit, menſibus apparet: ſiquidem tamdiu copias Svecicas ſequi, ac denique cum iis Danubium non potuit non transmittere. Sed & altera plena invidiæ erat atque odii, nemine ferme adverſus oſores ipſum tutante. Ceterum in mediis turbis Erfurtenſibus inteſtinis, aucto ſemper civium in magiſtratum livore; cumque vix per autumnum anni - LII. ex gravi morbo convaluiſſet, ab Erneſto Pio Saxoniæ Duce ad Secretarii Juredicialis ac Conſiſtorialis Spartam vocatur die Decembris XXVIII. eandemque anno ſequenti ineunte capeſſens, in annum usque - LXII. ornavit peregregie: laudato anno, juredicïali, ac quadriennio poſt Conſiſtoriali munere ſolutus, Secretarius, ceu vocant Cameræ, ab ineunte anno - LXIII. conſtitui, ac demum a menſe Julio anni LXXIII. quo Emanuel Fendius deceſſit, arcani conſilii ſecreta procurare meruit, elogio non minus Secretarii intimi, quam luculentiori ſalario, ac interdum donis extraordinariis auctus. Interea anno - LIX. dulciſſima ejus conjux dextri oculi amiſit uſum: ac de ſiniſtro quoque fuiſſet actum, niſi poſt divinam opem, Johannis Fiſcheri, celebris ocularii provida cura acceſſiſſet. Ad hæc obſidio Erfurtenſis anno - LXIV. Gothanæque urbis incendium anno proximo ſummopere afflixit virum: & hoc quidem eo magis, quia una cum domo, libraria, ut & domeſtica ſuppellex omnis periit.

Ab

Ab excessu Ernesti Pii, adeoque a Martio mense anni LXXV. durante non modo amicabili Fratrum Ducum communione, sed & eadem soluta, Noster in pristina mansit statione: imo a Serenissimo Duce Friderico singulariter æstimatus, anno clↄ Iↄc LXXX. splendidiore Consiliarii dignitate auctus, consessibus quibusdam gravioribus interfuit: deq; ejus industria, eloquio, prudentia, innumera tabulariorum secretiorum loquuntur acta. Id dolendum, virum optimum a prima usque infantia tot morbis fuisse divexatum, ut jam ipsi Parentes de vita desperaverint aliquoties, ac nemo cogitasset, ad dimidium, quo pervenit, vitæ spatii, nedum ad tam provectam ætatem deventurum: quippe qui fratres, sororesque omnes, tanto licet numero (XXII. fuisse diximus) supervixerit, nec vel gravissima illa in Bohemia quæ obtigit valetudo, nec sinistri cruris ab anno clↄ Iↄc LXIV. symptomata summe periculosa eundem sustulerint. Et hæc quidem ab anno LXVIII. quo insolitus durusque tumor pedem occupavit, vehementer increverunt: accedentibus etiam spasmo difficillimo, erysipelate, ac nato inde ulcere: quæ semel eum per dimidium annum continuere domi, ac per sex hebdomadas fulcimentis ligneis uti docuere. Anno LXXXV. XXII. Decembris dum in Cancellaria Ducis, demandato munere fungitur, repente ipsum magna corripuit imbecillitas, ut domum properare cogeretur. Etsi autem nocte proxima apoplexia extrema minabatur omnia, quod tamen per ferias Natalitias melius se habere inciperet, lectulum etiam valetudinarium cum ipso finiente anno relinqueret; quis cogitasset, annum mox novum nova magisque periculosa allaturum discrimina? Nam convulsiones acerbissimæ, quæsitissimæque sinistrum ita contorserunt pedem, ut nec interdiu nec noctu haberet quiescere, ac quo se verteret in his angustiis, ignoraret plane. Die XXVI. Martii alius tumor, maximis doloribus distinctus, pedem insedit dextrum, cumq; a Kl. Aprilis pleuritis defectum jam viribus

miserum divexaret Heidenreichium, nonnisi cœlestia meditari, & ad beatam ἀνάλυσιν religiose cœpit se componere. Verum aliud erat in fatis, placuitque Numini supremo, majoribus etiam crucibus pietatem Viri ac dolorum exercere tolerantiam: siquidem ipso festo Ascensionis CHRISTI scorbuticus humor sinistræ manui brachioque, sed & sinistro capitis vertici tam subito se inseruit, ut per integras duas ac triginta horas etiam a fortissimis medicamentis ne tantillum persentisceret leniminis. Jam auxit infortunium, a qua in his malis speraverat levamen magnum, dulcissimæ conjugis morbus vehemens, qui ita eos distinxit, ut ultra spatium bimestre convenire non possent, donec tandem maritus summe adhuc infirmus V. Junii eam inviseret, ac pro virili solaretur. Biduo post excedit vita, Heidenreichio etiam ob id dolente, quod extremum funebre officium omittere cogeretur. Et vero postquam tumor sinistri cruris in ulcus resolvi, ac vulnus ampliari cœpit, dolores ita fuere aucti, ut perpetuum prope ageret clinicum: vigore tamen mentis semper integro: id quod ipse deprehendi anno LXXXIX. quo tempore de Historia Gothana perfamiliariter mecum locutus Vir optime mihi cupiens, multa aperuit singularia, ac partim per juniorem filium fecit consignari. Singula morbi symptomata enumerare longum, ac lectori forte tædiosum foret: unde ad excessum Heidenreichianum properamus. Cum an. novo XC. postquam virium imbecillitatem majorem sensit, die Januarii VIII. Tobiam Dürfeldium Archidiaconum vocari fecit, ut oraret secum, atque ex S. Scriptura ipsum erigeret. Quo facto, filios præsentes duos, minoremque filiam salutaribus instruxit monitis, ac quomodo sepultura sit instituenda statuit, sermoni funebri deligens dictum S. Psalmographi ex cantico LXVIII. incisis 21. 22. *Laudandus Dominus, qui nos quotidie cumulat (beneficiis) Deus salutis nostra, Sela. Deus noster, Deus ad salutes, Domino Deo exitus mortis.* Quæ B. Lutherus sic expressit: Gelobet sey der HErr

täglich / GOtt legt uns eine Last auff / aber er hilfft uns auch / Sela. Wir haben einen Gott / der da hilfft / und den HErrn HErrn / der vom Tode errettet. VIII. Januarii sero vespere Cranichfeldio advntavit vocatus gener Pfefferkornius, ac socerum pro voto solatus, postridie cum paterna benedictione dimissus et. Cum die Januarii XI, respiratio ac loquela difficilior sentirentur, laudatus Dürfeldus denuo vocatus cum ægoto ex præscripto veritatis Evangelicæ egit, ac porro solemni benedictionis formula eidem valedixit. Ipse auten dextra capiti junioris filii imposita temporariam æque ac æternam salutem vel eo quoque nomine eidem apprecatus est, quod sibi tam fidus per omnem ægritudinem fuisset προσεδρεύτης, ac denique Patrem toties ab uno in alterum latus declinarit, ac copiosum sudorem detersérit. XII. Januarii (is erat dies Lunæ) filiorum bigas, gnataque, sed & Bechmamo, Physico civico præsentibus, nullum se dolorem sentire, quærentibus respondit: cumq; porro quæsitum, an ferre possit, ut canticum decantaretur sacrum; emortuale certum, quodque per omnem vitam in deliciis habuerat, delegit, & quantum per loquelam difficiliorẽ liceret, succinuit: donec tandem hora meridiana XII. placide in JESV CHIISTO exspiraret, annos natus tres & septuaginta, cum mense uno, triduoque. Et vero obiit eo ipso die, quo ante annos XXXVIII. ab Ernesto Pio in ministerium fuerat receptus. Vir fuit, uti moris antiqui, ita etiam virtutis ficeique, ab omni fastu, astu, aliisque male-politici mundi fraudibus alienus. Ad iracundiam quidem quandoque erat pronus, sic tamen ut magis vitiis irasceretur, quam hominibus; aut, si excederet etiam, illico rediret in viam, motosque animi fluctus componeret. Interea Gothanum Ducale regimen amisit virum, non Ducatus modo, viciniaque, sed rerum totius Imperii Germanici apprime gnarum, & qui in eo paucos pares, superiorem forte habuit neminem, ac nescio an habiturus inposterum. Ego vero singulariter me ipsi obligatum

fateor,

fateor, tum quod toties in negotiis mei, pro ratione tamen muneris, & adversariorum cupidine, eaboraverit strenue, ac demum etiam in hac historia Gothana non parum me adjuverit. Μεγάλη χάρις αὐτῷ.

Georgius Wolffgangus Wedelius, Lusatus, Med. D. Prof. in Academia nostra Salana summe celebris, ac felix Archiater Saxonicus: qui hac Consiliarii dignitate a Serenissimo Duce Friderico onatus est XII. Septembris anno CIƆ IƆC LXXXV. perinde ut Ernestus Pius Medici provincialis Sparta eum Gothæ adhuc degentem auxit anno CIƆ IƆC LXVIII.

Salomon Reyer, Andreæ, celeberrimi Rectoris Gymnasii Gothani, filius, Philos. & Juris D. ac in Academia Holsatica Prof. optime meritus: anno -LXXXVI.

Johannes Christianus Reichart, Dornburgensis: anno -LXXXVII. Obiit an. -LXXXIX.

REI EQVESTRI PRÆFECTI, (Stallmeistere.)

Georgius a Wangenheim, in Thungeda, anno CIƆ IƆC XLI. mortuus an. - LIX.

Joachimus Vipertus a Dreskau. an. CIƆ IƆC LX - LXVI.

Wilhelmus Carolus a Romroth. an. CIƆ IƆC LXVI. ad an. -LXXVI.

Johannes Henricus a Witzleben, in Elgersburg. an. CIƆ IƆC LXXVI. - LXXX.

Adolphus Augustus a Bestenborstel. ab anno CIƆ IƆC LXXX.

CONSISTORII ASSESSORES.

CLERICI.

Salomon Glassius, D. *Sup. Generalis*, anno CIƆ IƆC XLI. mortuus an. CIƆ IƆC LVI.

Christo-

Christophorus Brunchorst, Erfurtensis, *Concionator Aulicus* an. CIϽ IϽC XL. - CIϽ IϽC LXIV. [Hujus vitam dabimus in Addendis.]

Christianus Gotter, Mühlberga-Thuringus, *Superintendens Generalis*. an. CIϽ IϽC LXV. mortuus an. CIϽ IϽC LXXVII.

JEREMIAS BALTHASAR LUDOVICI

Patriam Erfurtum; patrem Jeremiam, Juris Practicum; matrem Claram Colmanniam, Johanne, Practico Juris genitam; annum natalem CIϽ IϽC XXV. diem vero Octobris XXVII. in baptismo sponsorem habuit Balthasarem Brettinium, ex gente patricia castrensem Quatuorvirum. Inter primos ejus in schola ad Prædicatores classica Præceptores fuit M. Nicolaus Stengerus, tum temporis Diaconus, post ad ædem mercatoriam Pastor, ac denique Ministerii Evangelici Senior; itemque M. Johannes Christophorus Alberti, deinceps ad laudatam ædem Diaconus. Et hujus quidem insuper privata usus disciplina fidelissima, in tantum profecit, ut non modo in primariis fidei, aliisque ad pietatem facientibus capitibus, sed etiam Latinæ Græcæque linguarum exercitiis incrementa singularia, ac pro ea ætate (annos natus erat duodecim) valde rara sentiret: quippe qui & absque libro scribere posset latine, ac contextus Novi Testamenti sine difficultate exponere. Unde a Scholarchis, ac inprimis D. Hieronymo Brücknero, Seniore, & D. Matthia Meifarto, magnis ingeniorum censoribus æstimabatur non parum, ac qui Gymnasii Senatorii fieret alumnus, censebatur dignissimus. In eo, ope M. Schadii qui Professor æque erat ac Diaconus, post ad Regulares renuntiatus Pastor; & multo magis M. Ilgenii, postea ad Prædicatores Ecclesiastæ Nonarii, ac demum Pastoris Michaelitani, ita effloruit doctrina solida multijugaque, ut jam anno ætatis sextodecimo lectionibus Academicis adsvesceret. Anno proximo, qui fuit æræ Dionysianæ CIϽ IϽC XLII. matre, ac vitrico, Jacobo Engavio, aurifabro, consentientibus, in Regiomontanam Prussicam concessurus, primum vidit Gotham suam, unde Wanfridam excurrrens, Vierræ; ad Mundam, Visurgi se commisit, lustratisque in

utroque fluminis littore oppidis primariis, Bremam pertexit. Hic forte in amplam navem incidens mercatoriam, per ſeptentrionalem Oceanum ad HelleſpontumDanicum, & Helſignoram delatus, inde transmiſſo mari Balthico, Dantiſcum usque, ac dein per ſinum Friſchhaff dictum, & Viſtulam flumen, Aprili finiente, Regiomontem pervenit, albo Academico ab Rectore Alberto Lindemanno, celebri Mathematum Prof. inſcriptus. Mox Theologis Profeſſoribus innotuit, ac nominatim ſeniori junioriqve Böhmiis, Mislentæ, Buchenio, Calovio, Dreiero, ac inter Reformatos etiam Bergio: quorum plerorumque aſſiduus erat auditor, non plane inſuper habens Philoſophiam, quæ maxime hic ſemper exculta, Ariſtotelicam. Ante omnia autem in Philologiæ ſacræ ſtudiis elaboravit, duce cive ſuo Hieronymo Erneſti, LL. Orientalium Profeſſore, qui poſtea honorifica Archipresbyterii Bartenſteiniani Sparta fuit auctus. Poſtquam autem Jubilæi Regiomontani ſolemnia valde illuſtria ſpectavit anno ᴄɪↄ ɪↄc XLIV. eodem finiente Balthicum denuo ingreſſus mare, adverſis ventis, tempeſtatibusque inſolentibus aliis divexatus, in magnis verſabatur anguſtiis, cibariis prope omnibus conſumtis. Quod tamen deniq; ad Rugiam Pomeranicam navis appulſa, ibidem ſe quomodocunque recolligens, Lubecam & Hamburgum feſtinavit, Erfurtum patriam repetiturus. Hic novi Præceptoris, D. Eccardi Leichneri, in Philoſophia emendanda occupatiſſimi, per ſingulas diſciplinas methodus adeo ipſi arriſit, ut donec viveret, ea uſus non parum, ſibi de hac fortuna gratulatus, paulo ante exceſſum etiam ſingulares Viro gratias agendas juſſerit, divinam remunerationem exoptans. Eodem Leichnero præſide auctore, *de Atomis*, D. autem Elsnero Theologo, *de principio & norma fidei Chriſtianæ*, quam ſuo Marte conſcripſit, præſentibus etiam quibusdam Pontificiis, cum laude habuit diſputationes. Hinc luculenti ſtipendii pollicitatione a Patriæ Patribus delinitus, Argentoratum ſe converſurus, per intuta belli circuitione uſus longiori, ac Norimberga, Augusta

gusta Vindelicorum, Ingolstadio, Memminga, & Lindavia, ad lacum Acronium, perlustratis, integram fere Helvetiam emensus, relicta Basilea ac Brisaco, Rhenum transmisit. Jam Argentoratum veniens, a D. Rebhanio JC. Academ. Rectore in cives Studiosos Kl. Martii, ac porro a magna Theologorum triga, Schmidio, Dorscheo ac Dannhauero (huic a Leichnero suo commendatus) non ut discipulus, sed filii instar receptus, publica non modo, ac privata information diligentissima, verum insignibus etiam benefactis aliis ornatus est: quibus omnibus, apud D. Imlerium Reip. a consiliis, convictus liberalis accessit. At hanc fortunam mirum quantum turbavit status civitatis patriæ turbulentus: quo factum, ut cum ne teruncium quidem promissi stipendii acciperet, præter omnem exspectationem involveretur debitis: quando præsertim aliquot habuisset disputationes, quarum una *Vindiciis* D. Dorschei *Anti-Cornaenii* inserta est. Et licet, connivente Facultate Philosophica, diversas scholas privatas institueret, ac inde aliquid colligeret pecuniæ, nec sic tamen plane se extricare potuit æris alieni difficultatibus. Quamobrem rejecta, quæ a supremo vigiliarum præfecto Rosa ipsi deferebatur, Concionatoris bellici Sparta, utut & Diaconum ei addere, & debita insuper expugnare vellet, domum decrevit repetere. Verum dum anno CIϽ IϽC L. per Wurtembergica ac Svevica iter facit, Ottingæ paulisper subsistit apud M. Benedictum Bockium Superintendentem, qui & ipse olim Argentorati studiis navaverat operam, a quo Joachimo Ernesto Comiti commendatus, ad habendos aliquot sermones ad populum sacros clementer invitatur. Quo facto, collatione cum doctis aliquot in SS. Theologia viris, præsentibus etiam Consiliariis, & Nobilibus aliquot ministris, habita, decrevit Comes, se, modo vellet manere, Ludovicus, nequaquam ipsum dimissurum. Cumque non multo post Trochtelfingenses, de dotibus Ludovicianis edocti, eum desiderarent parochum, Comes epistolam in convictu legendam illi obtulit, quid de hoc sacro munere videretur,

gratiose sciscitatus. At Noster, quamvis ignota sibi essent omnia, quod tamen ab Ecclesia illa nominatim expeteretur, hanc pro divina vocatione habendam censeret, Numinis se nutui refragari nolle, ex tempore respondit. Quapropter Dominica post festum sanctæ Trinitatis altera, in templo arcis Ottinganæ per solemnia ordinationis ad Ministerium Verbi divini admissus, proximo die Dominico auspicalem apud Trochtelfinganos habuit orationem, magnaque fide ac industria, quam nactus Spartam, exornavit. Quamvis enim popellus Bellonæ tempestatibus agitatus misere, in crassum prolapsus ignorantiam; brevi tamen per crebram ac devotam Catechismi explicationem, ita eam exuit, ut & peregre adventantibus, ac ante fores templi, exacta puerorum, juvenum, senumque responsa observantibus, magnam admirationem incuteret: inprimis cum & Pastori disquirenti de habitis a se ex ambone sermonibus, expromtam rationem valerent reddere. Habebat autem inter auditores, præter matronam nobilem, quæ Pontificio conjuncta viro, Felicem, Baronem Weltzianum, ejusque conjugem cum sorore, ex Baronibus Freibergiis natas: quæ innumeris beneficiis mirifice dilectum sibi Pastorem affecerunt. Quid? quod vicinus Reip. Nördlinganæ Senatus non modo desideratam domus emtionem permitteret, sed & Senatusconsulto singulari, & ipsum, & uxorem, liberosque, excepto tributo annuo, ab reliquis oneribus civicis, quocunque venirent nomine, omnibus & singulis, bellico æque ac pacato tempore, immunes pronuntiaverit. Anno cIↃ IↃcXL. mense Septembri, in patriam, ad Diaconatum primarii Prædicatorum templi legitime vocatus, ægre, & non sine copiosis lacrumis, a Trochtelfinganis dimittitur: quorum aliqui Nördlingam, nonnulli etiam Norimbergam usque eum comitati, suppellectilem omnem sine impensis eo devexerunt, ac aliis porro documentis affectum incredibilem contestati sunt. Ceterum postquam Erfurti & voce & vita per quinquennium præluxerat gregi, ac tam catechetica informatione, quam

schola-

scholarum utriusque sexus visitatione officium fecerat, strenue, nec minus etiam SS. Theologiæ ac Philosophiæ Studiosos, & scholis privatis, & habendis in Porta Cœli (hoc nominis habet locus actibus præcipuis publicis dicatus) disputationibus, præsentibus quandoque adversariis, exercuerat, ab Ernesto Pio, Saxoniæ Duce, ad Concionatoris Aulici, & Assessoris in Sacro Synedrio munus vocatur. Quam male autem id habuerit Erfurtenses, dici scribive nequit satis, adeo quidem, ut eum retinere civem non possent, amor pristinus in odium prope converteretur Vatinianum: quod tamen denique ab habita anno LXV. Dominica IX. post Trinitatis, ex Actis S. Lucæ Apostolicis c. IX. v. 32. valedictoria, magnam partem remisit: dum abeuntem partim donariis prosecuti, partim eum frequenter comitati, ac deniq; in vico Gamstet opiparo convivio tractatum in pace dimiserunt. Laudato anno LXV. Kl. Augusti Gotham venit, ac biduo post data Duci in Consistorio fide, quod accepit munus, cum incredibili industria, summaque dexteritate ornavit: non tantum in æde sacra eloquentissimum agens præconem, sed & exemplo vitæ innocentis præeuntem ovibus pastorem. Uxorem Ottingæ duxit an. cIɔIɔc L. die II. Septembris, Mariam Jacobinam Heermanniam, quæ maritum quindecim liberis beavit: qui, filiola prima, filioloque ultimo exceptis, in utero materno mortuis, sacra baptismatis unda respersi omnes; ut septem tamen, filiorum nempe triga, ac quadriga filiarum, ante diem decesserint: Jacobo Benedicto, Daniele Benedicto, Johanne Jeremia, Balthasare Eberhardo, & Jacobo Emanuele, itemque Maria Jacobina superstitibus. Filiorum primus non ita pridem Gothæ Diaconus ad D. Margaretæ ædem renuntiari meruit: alter Pastor Remstedensis factus est: tertius Præfecturæ Cranichfeldensis scribam agit publicum: quartus SS. Theologiæ studiis navat operam: quintus nuper Cranichfeldii vita excessit: filia autem Superintendenti Cranichfeldensi Pfefferkornio nupsit. Jam ut ad morbum viri accedamus, vere hic locum habet dictum illud veterum: *Parva sæpe scintilla contemta*

magnum excitavit incendium. Enimvero gravissimi illi, & vere incredibiles cruciatus primum ex gressu sinistri pedis incomposito ortum traxere: cumque nec luxationem, nec singulares dolores deprehenderet, adeo habuit neglectui hunc casum, ut nec medicaminibus uteretur, nec quiesceret a laboribus consuetis, frequentiorem aulæ introitum requirentibus. Sic exacto ferme trimestri spatio, auctis sensim doloribus, prædurus quidam ac spongiosus tumor supra plantam se exeruit, nulla Medicorum, ac Chirurgorum, utut provida ac maxima sollicita ope, dispellendus, ac denique universum pedis usum auferens. Aliquid tamen præstitere Wisbadenses thermæ: siquidem, postquam ex illis rediit, innixus baculo al quantisper, potuit progredi: donec elapsis paucis hebdomadibus, ex gradibus inferioris conclavis domestici descensuro pes confringeretur ad affectam partem tumidam: quod perfecit etiam, quo minus commode coalesceret vulnus. Ex quo igitur tumor ille quæsitissimas puncturas causans, nimium quantum increvit, mense Novembri anno CIↃ IↃC. LXXII. per aperturam chirurgicam sibi consulturus, tantum abfuit, ut ea caderet feliciter, ut contra pes crassitiem, contrahens monstrosam, symptomata crearet summe periculosa. Nam & humidum radicale omne sensim consumtum, & ciborum appetitus desinens, emaciato corpori, quod reliquum erat virium, detraxit: ut denique, perinde ac lychnus, deficiente oleo, deficeret. Dici tamen non potest, quanta cum animi semper-præsentis constantia miserias tulerit suas, adeo etiam ut Deo gratias pro iisdem persolveret ex animo, earumque exitum paternæ ejus fidei committeret. At enim abitum instare persentiscens, uxori, liberis, ceterisque domesticis sigillatim valedixit, eosdemq; optimis instruxit monitis, nec multo post inter suorum, preces placide admodum obiit die III. Junii anno CIↃ IↃC LXXIII. cum vixisset annos XLVII. menses sex, diesque septem: magnum sui desiderium apud Ernestum Pium, omnesque bonos relinquens. Sepulchralis inscriptio non indigna est, quæ & hîc legatur: D.S.T.

D. T. S.

ADM. REV. ET. EXCELL.

JEREMIAS. BALTHASAR. LUDWIGIUS.

NATUS. ERFORDIÆ. AO. CIↃ IↃC XXV.
HONESTIS. PARENTIBUS.
INGENII. FELICITATE. PATRIAM. DECORAVIT.
A. PUERO.
PIETATIS. ET. DOCTRINÆ. SEMITAM. INGRESSUS.
GLORIAM. OBTINUIT. INDUSTRIA.
ADMIRATI. SUNT. *ADOLESCENTIS.* VIRTUTEM. *DOCTORES.*
AUDIVIT. EUM. E. SACRIS. PULPITIS.
TROCHTELFINGA. SVEVIÆ.
MOX. PATRIA.
AMPLEXUS. EST. VIRUM. AMABILEM.

ERNESTUS. PIUS. *SAXONIÆ. DUX.*

A. QUO AD. AULÆ. SACRA. VOCATUS. ITA. SE. GESSIT.
UT. FAMAM. SUPERARIT. MERITIS.
ET. VIRTUTE. QVA. POLLEBAT. INCOMPARABILI.
SATISFECERIT. OMNIBUS.
AT. EHEU!
DURA, MORTALITATIS. SORTE. AC, MORBO. PRESSUS. DIUTURNO,
SUCCUBUIT.
ET COELO PLENUS. COELUM. PETIIT.
III. NON. JUN. A. O. R. CIↃ IↃC LXXIII.
AO. ÆT. XLVII. M. VI D. VII.
LUXERUNT. OBITUM EJUS. AC. TRISTE. FUNUS.
MEMORABILI POMPA. VISENDO. MOERORE.
PATRIÆ. PATER.
PRINCIPES. ET. PROCERES.
OSSA. HOC. TUMULO. CONDITA.
RESURRECTIONIS. GLORIAM. EXPECTANT.
VIDUA. V RELICTA.
MARIA. JACOBINA. HEERMANNIA.
CUM. QVA. XV. LIBERORUM. *PATER.* EXEGIT. ANN. XXIII.
ACERBO. IN. OFFICIO GRATA.
H. M. P. C.

ANDREAS BECHMANNUS.

Hic anno cIↃ IↃc XXII. die XXII. Septembris in lucem editus est Ellebiæ, in Comitatu Swartzburgico-Arnstadiensi, patre Andrea, pastore Ellebiensi, matre autem Anna Maria Glassia. Postridie baptizatus, sponsorem pro se accepit Bartholomæum Stüdenium, scribam judicii Wülfershusani. ac porro domi cum reliquis quinque fratribus sollicite educatus, institutusq;, demum in Arnstadiensem scholam missus est. Patre autem ante tempus mortuo, mater spei plena, filios sex omnes & singulos dicandos studiis statuit, cibaria partim per se, partim per alios, unaquaq; hebdomada deferens Arnstadium. Verum non diu post matre quoque ante diem demortua, relicto ludo Arnstadiensi Brunswicum petiturus, a militibus Svecicis intercipitur, & pro librorum armario sclopetum gestare compellitur, sub legione Craffurto-Königsmarckiana. At enim tribuno vicario Craffurto a Svecis dimisso, missionem quoque impetravit Bechmannus, ad pristina se studia convertens: quibus nec sic tamen inter milites renunciavit plane, sed cum diversis juvenibus studiosis ex Gallia Britanniaque oriundis pro tempore cōtinuavit, Latino eloquio cum iis se inprimis exercens. Ceterum Gotham reversus, svasu cognati D. Salomonis Glassii, ad celebre Gedanense Prussicum perrexit Gymnasium, ubi singularem Professorum benevolentiam, & in arctis rebus adjumentum, Dei nutu, comparavit. Anno cIↃ IↃc XLIV. in Regiomontanam concessit Academiam, ac ibidem in quartum annum audivit Philosophos, Wichelmannum, civem meum, summe celebrem, Crellium, Waltherum, Quistorpium, Eisflerum, & oculis quidem captum, sed magna mentis perspicacia præditum, Schönbergerum; in Theologicis autem Dreierum, & patrem filiumque Böhmios: quamvis alter ob ætatem grandem, alter ob valetudinem imbecillam rarius prælegerent, publice. Exin Reverendi Ministerii Regiomontani svasu, Gebharto a Mülenheim, gente Palatino, rei venatoriæ Præfecto superiori in Polonia, sacris Evangelico-Lutheranis cum pio zelo addicti, operam consecravit suam, partim ut eidem

a sa-

a sacris concionibus habendis, (nam ex decreto regio liberum religionis exercitiũ huic purpurato erat permissum) per hanc occasionem aliquot doctis e societate Jesu Patribus innotuit, qui frequentius cum ipso de controversis in religione capitibus disputarunt: inprimis Grodnoviæ, ubi, supra monasteria varia, Collegium magnificum habebat Jesuiticũ Post illa Vilnam se contulit, metropolin Lithuaniæ, Academiæ etiam nomine olim non incelebrem: ac ibidem inter Jesuitas offendit non paucos accuratioris Philosophiæ cultores perindustrios. At quod inter Polonos magno heic numero studentes non deessent Germanicæ nationis osores, periculo se subducens præsenti, cum Müllenhemio Domino in Curlandiam ad hujus socerum profectus est Waiwodam Korfskium, ab eo admodum liberaliter habitus, ac luculento instructus viatico. Illius adjumento primum Regiomontem, post patriam terram repetiit, ac insigni ab Ernesto Pio donatus stipendio, in Salana nostra ultra triennium, ductu inprimis D. Joh. Musæi, & D. Christiani Chemnitii, Theologorum, in cœptis gnaviter perrexit studiis. Commilitonibus inter ceteros usus est biga fratrum, M. Johanne Bartholomæo, & M. Fridemanno, quorum alter jam annos duodecim exegerat in Academiis; alter postea Philosophiæ primum, deinceps SS. Theologiæ D. ac Professor factus est. Fata ab adolescentia peracerba, sed & mira expertus est. Nam primo semel atque iterum in undis periclitatus; deinde anno præsentis seculi XXXV. Ellebiæ in Croatarum manus incidit, quorum tres legiones in unico illo pago commoratæ, multos liberos Parentibus abstulerunt: ipso tamen cum minoribus fratribus noctu per singularem Numinis providentiam liberatis. Anno cIↃ IↃcXXXVIII. quo Bellona non modo, sed & inedia magnam Germaniæ partem, ac Thuringiam præcipue nostram premeret, aliquoties in biduum triduumve esurire necessum habuit. Quo eodem anno cum ex Studioso in militem (ceu antea diximus) invito transforma-

tus, periculose ægrotare inciperet, ad ignes vigiliarum relicti, ac præ lassitudine obdormiscentis brachium flamma corripuit: quæ nisi per se exstincta, utiq; de vita Bechmañiana fuisset actum, eo quod marsupio, quod nitrato pulvere plenum, incubasset. Proximo mane omni destitutus viatico, forte fortuna in cineribus reperit taleros duos, quorum beneficio Gotham perrexit. Mox Saltzam, quam vocant Longam, delatus, in domunculam propter mœnia oppidi divertit, quam mulier, quæ peste infectorum curam gesserat, inhabitabat: ubi in stragulis pestilentialibus (ipso tamen nescio) recumbens, a lue intactus mansit. Anno cIↃ IↃC XLI. cum fratrum uno in Anabaptistas incidit in Prussia, quorum per vitam hypocriticam, & callida disputationum captus, variis periculosisque tentationibus redditus est obnoxius; donec a Theologis Gedanensibus edoctus meliora, hæreticos illos æternum valere jussit. Anno cIↃ IↃC XLVIII. ad Rugiam Pomeraniæ insulam naufragium fecit, eoque defunctus periculo, novum adiit: dum scilicet in festo Visitationis S. Mariæ ex sacris in insula illa celebratis sero nimis ad hospitium properans, a prædonibus (ut conjicio) detentus, sed miro modo liberatus est. In Regiomontanam Academiam non nisi tres grossos detulit: sed curis ob id indulgenti postridie offertur conditio vivendi non incommoda, ultra convictum quadraginta imperiales annuatim reddituræ. Gedani aliquando cum fratre dum deliberat sero vespere, quo pacto cauponi solverent debitum; ecce puerulus adventat, eisque donat florenum Polonicum, his verbis usus insuper: *Procul dubio ipsos esse Studentes æris indigos, ac idcirco æqui bonique consulendum hoc munusculum.* Quæ quidem omnia satis superque commonstrant, Deo O. Max. singulari curæ fuisse hunc Bechmannum, miroque modo ejus saluti, ac incolumitati prospexisse. Ceterum anno LVI. Jena ad Spartam vocatur Ecclesiasticam, in pagis præfecturæ Georgenthalicæ Grefenhainio & Nauendorfio: ubi biennio

nio exacto, Pastor ac Superintendens Eisfeldensis in Franconia constitutus est. Exin anno LXXIII. XVII. Septembris ab Ernesto Pio Concionator Aulicus, & Consistorii Assessor renunciatur, Eisfeldensibus ægre ipsum dimittentibus. Anno LXIV. uxorem duxit Sabinam Christinam, Eliæ Evandri, vectigalium curatoris Saxo-Gothani majorem natu filiam, matrem trium filiorum, quorum primus anno ætatis tertio, alter in utero materno vita functi, tertius *Andreas Elias* adhuc dum vivit floretque, in hac Academia arti medicæ operatus. Quod ad extremum Viri morbum attinet, a virium imbecillitate, ac magna cœpit lassitudine: quæ catarrhus insequebatur vehemens, raucedinem vocis & submissam loquelam procreans, inque aridam tussim, lentam febrem, & hecticam demum desinens, mente tamen manente semper stata, nullisque turbata intemperiis. Sicuti autem per omnem vitam pietatis probitatisque cultor eximius, adeoque integer vitæ, criminisque purus fuit; ita hoc quam maxime in ultima demonstravit ægritudine, per eandem non nisi JESUM meditando & loquendo, & hunc solum, *thesaurum, corculum* suum, ac *amorem* appellitando, æternæque vitæ gaudia devotissime præstolando. Et illa quidem, quod ad animam, impetravit anno cIↃ IↃc LXXVI. die XIII. Aprilis, hora quarta pomeridiana: corpore in æde cœmeterii honorifice sepulto. Magni eum semper æstimavit Ernestus Pius: nec minoris a Friderico filio habitum, ex eo etiam elucet, quod ægrum in præsenti invīserit gratiose, ac porro paulo ante excessum de insigni quodam beneficio (in viduam filiolumque, ut puto, conferendo) certiorem ipsum fecerit.

Wilhelmus Verporten Lübecensis, D. *Consiliarius Ecclesiasticus*, ab anno cIↃ IↃc LXVIII. ad annum cIↃ IↃc LXXII. post *Superintendens Generalis Coburgensis*: at anno cIↃ IↃc LXXXVI. placide obiit.

Optimi hujus, integerrimi, ac religiosissimi Viri vitam, brevi, ceu spero in *Coburgensi Historia* nobis dabit Georgius Paulus Hönnius, magni Parentis filius æmulus, V. J. Doctor, ac Serenis. Saxoniæ Duci Alberto ab archivi cura. Nec minus etiam in *Superintendentium Coburgensium historia*, a Christiano Schlegelio, SS. Theol. Stud. ob varias animi egregiasque dotes mihi percharo, pœne jam confecta, comparebit.

Adamus Tribbechovius, Lubecensis, D. ex Prof. Acad. Kiloniensis factus *Consiliarius Ecclesiasticus*, & postea, *Superintendens Generalis* anno cIↃ IↃc LXXII. mortuus an. - LXXXVII.

M. Henricus Fergen, *Concionator Aulicus*, an. cIↃ IↃc LXXVI. - LXXXVIII. quo anno renuntiatus est *Superintendens Generalis*.

Abrahamus Giesbach, *Extraordinarius Consistorii Assessor, Diaconus Aulicus*, an. cIↃ IↃc LVI. - cIↃ IↃc LXXX.

Gottfriedus Rosenthal, *Concionator Aulicus*, ab anno cIↃ IↃc XCII

CONSISTORIALES CONSILIARII VEL ASSESSORES POLITICI.

JOHANNES CASPAR A MILTITZ.

Glauchæ in dynastia Schönburgica anno cIↃ IↃc VIII. Kal. Maji natus, patre Caspare, tum Consiliario ac præfecto Schönburgensi, post Consiliario Saxo - Vinariensi, ac Statuum provincialium Directore; matre Anna Christina, e gente Ponicovia. Biennis a patre Vinariam delatus, in Dorotheæ Mariæ Anhaltinæ, Johannis Saxoniæ Ducis viduæ, aula educatus, ac a privatis præceptoribus eruditus, a laudatæ Ducis obitu Vinariensis scholæ alumnus, an. cIↃ IↃcXXV. ex decreto Patris, svasuque Præceptorum, invitus propemodum (nam diutius frequentare scholam præoptabat) in Salanam Academiam missus, biennium hic exegit,

exegit, in publicis æque ac privatis prælectionibus auditor, sed & pro re nata disputator sedulus. Parem industriam in Wittebergensi Academia, in qua itidem per biennium, commoratus, Professores ac condiscipuli deprehenderunt: sic etiam ut bis etiam publicum forum disputatorium calefecerit. Exin a Diterico a Lauterbach, Onoldinæ aulæ præfecto, ac legionis equestris tribuno, exoratus pater, ut, filius aliquamdiu militiam sequeretur, permisit: ac factus fuisset signifer, modo non a Patre domum revocatus, primum in Lugdunensem, postea Lovaniensem Academiam concessisset. Quo tempore non modo Hollandiam, utramque Frisiam, Zelandiam & Brabantiam, sed etiam partem Angliæ perlustravit, ab Gallicana Italicaque peregrinatione per temporum difficultatem exclusus. At dum, autumno declinante Amstelodamo solvens, Hamburgum contendit, tempestatibus variis jactata navis tandem, Glückstadium appellit: ubi cum classis Danica cum Hamburgensibus belligerans transitum navarcho negaret, is retrocedens in Visurgim vela vertere cœpit, Bremam petiturus. Hoc agens dum non multum abest a Visurgi, ingens intempesta nocte oritur turbo, qui, refluxu maris appetente, navim littori impingit. Sed ex eo infortunio per affluxum maris fuisset liberata, nisi alia navis hanc secuta, tanto impetu in eam irruisset, ut hac penitus confracta pleriq; undis misere mergerentur. Evasit tamen hoc naufragium arrepto fune Miltzius, ac Bremam incolumis pervenit; unde terrestri itinere Magdeburgum, & post Lipsiam abiit. Hic dum aliquamdiu subsistit, de excessu Patris edoctus, domum reverti cogitur. Anno cIↃ IↃC XXXIV. Dicasterii provincialis Jenensis extraordinarius Assessor renuntiabatur, ac insuper inter delectos Statuum Vinariensium, numerari cœpit. Anno cIↃ IↃC XXXVII. Ernestus Pius ipsum inter aulicos ac porro cubiculares Nobiles adscivit: eumque tam Vinariæ & Coburgi, quam denique Gothæ asseclam habuit fidum ac industrium. Anno cIↃ IↃC XLVI.

una cum illustri Cancellario, Georgio Frantzkio, ad Ratisbonensia comitia missus, pro Isenacensi Ducatu sententiam dixit, ac una cum laudato viro feudalem investituram a Cæsare expetiit, impetravitq;. Anno cIↃ IↃc XLII. communi Vinariensis domus nomine, Viennam ablegabatur, ut onera bellica nimium quantum aucta deprecaretur: qua occasione usus, partem Vngariæ perlustravit. Anno XLIV. ordinarius Jenensis Dicasterii Assessor factus, anno sequenti Regiomonte in Franconia præfecti vicibus, sed & per horrida illa tempora variis periculis defungebatur. Anno XLVII. Saltzungæ præfectum egit in annum XLIX. quo in Consistoriale consilium Gothanum receptus, statam habere cœpit vitæ stationem. Eodem anno, die Octobris XXVII. ex gyneceo Ducali conjugem accepit Euphrosynam Witzlebiam, cum qua per annos viginti & ultra concorditer vixit. Anno LIV. primarius Curiæ Provincialis assessor, adeoque absentis Prætoris vicarius renuntiabatur. Quamvis autem variis morbis frequentius infestaretur, maxime id tamen factum est ab anno LXV. a quo tempore domi assiduus atque accubuus manere compellebatur: donec tandem doloribus exhaustus, XV. Junii anno cIↃ IↃc LXX. vitam cum morte commutavit.

Henricus Gottlob a Seckendorff. an. cIↃ IↃc LX.
- LXXI.
Güntherus a Griesheim. an. cIↃ IↃc LXII. - LXV.
Johannes Jacobus Avianus, D. an. cIↃ IↃc LXVI.
- LXXIV.
Wolffgangus Gottfridus ab Hahn. ab an. cIↃ IↃc LXX.
Johannes Eberhardi, D. an. cIↃ IↃc LXXII.
Johannes Balthasar a Gabelkoven. an. cIↃ IↃc LXXIII.
- LXXX.
Johannes Laurentius Keysner, D. ab an. cIↃ IↃc LXXX.
Johannes Jacobi, D. ab an. cIↃ IↃc LXXXII.
Hieronymus Bruckner, D ab an. cIↃ IↃc LXXXVI.

ARCHIATRI DVCALES.

BALTHASAR GLASSIVS, D.

Balthasaris, Secretarii Schwartzburgici, post Quæstoris Gerani, & Annæ Mariæ Mulleriæ filius, anno cIↄ Iↄc xcvi. d. e xix. Junii natus Sondershusæ, duodecennis Gymnasii Gothani factus discipulus, Andreæ Wilkii Rectoris fidei commendabatur. Inde Dantiscum profectus, non multo post in Academiam Regiomontanam se recepit, artemque medicam summo ibi studio excoluit. Quod dum agit, ex commendatione Archiatri Regis Poloniæ, filiis purpurati alicujus Polonici præficitur: atq; sic per octennium illis sibique in peregrinationibus dexterrime vixit. Cum autem forte fortuna in fratrem Guntherum, Juris Candidatum, incideret, ab eodem persuasus, parentes invisit, ac summopere exhilarat. Quod gaudium non parum fuit auctum, quando anno . xxvi. eodem tempore, quo alter fratrum Salomon, Theologiæ, ipse Medicinæ Doctor in Academia Jenensi renuntiarentur. Exin chemicis se sacrans mysteriis, tantam Schwartzburgicorum Comitum collegit gratiam, ut præter alia beneficia, Italicum ejus iter suis impensis promoverent. Inde redux Guntherus Comes, archiatrum sibi delegit: sic tamen ut & Alberto & Ernesto Saxoniæ, aliisque Ducibus pro re nata inserviret. A morte laudati Comitis anno XLIV. ab Ernesto Pio Gotham vocatur, ac insimul Christiano Gunthero Comiti Schwartzburgico addictus manet. Anno Iↄc Iↄc xxviii. xviii. Novembris uxorem duxit Annam Margaretam, Georgii Breithauptii, Quæstoris Tennebergici filiam unicam, quæ duodecim liberorum mater facta est. Ex his patri superstites fuere unicus filius, *Johannes Ernestus*, Medicinæ Doctor, Archiater Saxo-Mersburgensis, filiæque sex: I. *Anna Catharina*, Danielis Richteri, præfecturæ Gothanæ Adjuncti, post Consiliarii Hasso-Darmstetensis intimi; II. *Kunigunde*

gunda Magdalena, Eusebii Jägeri, Quæstoris Ichtershusani & Wachsenburgensis; III. *Catharina Maria*, Gotfridi Wilhelmi, Administratoris Præfecturæ Heldburgensis; IV. *Anna Margareta*, Viti Ludovici Göckelii, nunc Consiliarii Saxo-Gothani; V. *Martha Elisabetha*, Georgii Röhnii, Præfecturæ Tennebergicæ Adjuncti; VI. *Christina Margareta*, Henrici Philippi Herwarti, SS. Theol. Lic. Pastoris Fischlebiensis ac Diœceseos Ichtershusanæ Inspectoris, conjuges. Anno cIↃ IↃc XLVIII. alteram conjugem delegit Annam Sophiam, D. Christophori Happii, Cancellarii Sondershusani filiam: quam cum anno sequenti in puerperio amisisset, anno - LI. sibi junxit Annam Mariam, Hieronymi Löhrii Quæstoris Saltzungensis relictam gnatam. Ex hac septem auctus est liberis: ex quibus tamen non nisi biga filiorum, *Christianus Gottlieb*, & *Christianus Fridericus*, moriente patre in vivis mansere. Beata ἀνάλυσις septuagenario seni obtigit anno cIↃ IↃc LXVI. XXVIII. Januarii, cum magnam nepotum seriem cum summa animi voluptate vidisset.

DANIEL LVDOVICI.

Vidit is hanc lucem Vinariæ anno hujus seculi XXV. quinto die Octobris. Mature hinc per adolescentiam ingenii robur virile demonstrans, a Præceptoribus intime dilectus, commilitonibus non ætate, sed profectibus superior, studiis strenue navavit operam humanioribus. Ad medicinam vero invitabat simplicium consideratio, & lustrandi eadem apud Parentem Matthæum, mercatorem aromatum integerrimum, commoda occasio. Sextodecimo ætatis anno, qui erat æræ Christianæ cIↃ IↃc XLI. nutu Præceptorum, in Salanam nostram concessit, excolens primo non tantum linguas eruditorum, sed & potiores Philosophiæ partes. Innotuit mox Medicis Professoribus, sed & intimo eorum favori se insinuavit moribus innocuis, candore connato, discendi ardore, pietatis cultu, gratæ mentis encomio. Certabant in amando, & exornando eodem, Rolfinckius,

Mœbius,

Mœbius, Schelhammerus, & Schlegelius: quorum ultimum an. cIↃ IↃC XLIV. Hamburgum evocatum noster statim sequi voluit, sed exercitu Cæsareo in Anhaltinis ditionibus hærente, Wittenbergæ subsistere coactus fuit, Professorum ibi Medicorum, Banzeri, Schneideri, Bertami, Physicique Sperlingii collegia per dimidium anni spatium sedulo frequentans. Quo evoluto Hamburgum tandem delatus, Schlegelii & Placcii favore tum praxin Medicam feliciter exercere cœpit, tum in theoria ex novis Helmontii, Cartesii, Regii similiumque scriptis magis profecit, occasione inprimis accedente, præcipuas inferioris Saxoniæ Belgiique urbes ac Medicos ibi degentes salutandi. Sed hoc pacto vires corporis paullatim deficere sentiens aërem victumque mutare consultius duxit, & primo in urbem patriam anno cIↃ IↃC XLVII. porro Ienam rediit, Rolfinckium inprimis, quod antea consueverat, in chemicis strenue iuvans, & sub Schelhammeri præsidio *de Angina* publice disputans. Hinc an. cIↃ IↃC LI. praxin Medicam Regiomonti Franconiæ tanto cum applausu exorsus est, ut à Bambergensibus & Herbipolitanis certatim consuleretur, ac tantum non variis persuasionibus alliceretur. Sed in *Ernesti Pii* Ducis ministerio persistere maluit, primo Salzungam, inde Gotham ad Physici urbici & territorialis munus capessendum accitus, denique anno cIↃ IↃC LXVI. decedente, quem antea diximus, Glassio, Archiatri Ducalis dignitate ornatus. Tandem curis, vigiliis & itineribus febrim hecticam sibi concivit, eaque anno cIↃ IↃC XXXX. die III. Septembr. circa horam tertiam matutinam placide extinctus est, nullis ex duplici cum Euphrosyna Langia & Regina Quehlia matrimonio liberis auctus. Quare Bibliotheca ejus in Ducalem Gothanam pervenit, ob librorum raritatem singulare illi, ornamentum præbet.

Jacobus Iodocus Raab, D. ab an. 1680.

Jacobus Weizius, Philos. & Medicinæ Doctor & COS Gothanus, ab an. 1690.

Vir ut in Medicina & intimiori Philosophia excellens, ita ob scripta Chymica apud exteros notior, quam apud nos.

REDITUUM DUCALIUM CURATORES. (Renthmeistere.)

Johannes Breithaupt. 1639 - - 1676.
Paulus Kühnhold. 1676 - - 1690.
Johannes Fridericus Hendrich. 1680 - 1682.
Christophorus Kirsten. ab an. 1682.
Georgius Reichart. ab an. 1682.

RERUM TUTELARIUM DIRECTORES ET COMMISSARII.

Hieronymus Brückner. 1653.
Ditericus Pflug. 1653 - 1678.
Johannes Eberhardi, D. 1653.
Salomon Zapf, D. 1663.
Johannes Heinricus ab Erffa, *Director.* 1680.
Johannes Balthasar à Gabelkoven, *Director.* 1685.
Vitus Ludovicus Gökel. ab an. 1676.
Christianus Adolphus Avemann, ab an. 1678.
Fridericus Hosfeld, Saltzungensis, D. 1678.

SECRETARII INTIMI.

Emanuel Fend, 1663. m. 1673.
Elias Rud, Heidenreich. 1673 - 1680. quo Consiliarius Ducalis factus.

SECRETARII CAMERÆ.

Emanuel Fend, 1634 - 1662.
Rudolphus Heinricus Heidenreich, 1662 - 1673.

SECRETARII FEUDALES.

Christianus Kittelmann, Salfeldensis. 1645. m. 1652. 19. jun. de quo in Salfeld. historia pluribus egimus.
Vitus Ludovicus Göckel, an. 1656 - 1670. quo Præfectus

fectus Wasungensis, Sandæ, & Frauenbreitungen in Hennebergicis factus.
Hieronymus Brückner, Ddus. 1671 - 1680.
Bernhardus Zech, Vinariensis. 1680 - 1684. quo Vinariæ Secretarius, & post Consiliarius Aulicus renunciatus est.
Fridericus Rudolphi, Gothanus. ab an. 1684.

SECRETARII IVREDICIALES.

Antonius Güntherus Kirchberger. 1641 . 1652.
Elias Rudolphus Heidenreich. 1653 - 1662.
Christianus Zinckernagel, ab an. 1662.

SECRETARII CANCELLARIÆ.

Christianus Zinckernagel. 1659. - 1662.
Tobias Pfannerus, ab an. 1675. usque ad 1680. quo Præfectus Salfendensis factus.
Fridericus Rudolphi, ab an. 1680. - 1684.
Ægidius Funck, ab an. 1684.

SECRETARII CONSISTOR.

Antonius Güntherus Kirchberger. 1641. - 1652.
Elias Rudolphus Heidenreich. 1653. - 1666.
Güntherus Kirchberger, Isenacensis. 1666. - 1679.
Matthias Fulda, Saltzungensis, ab an. 1679.

SECRETARII REDITVVM DVCALIVM.

Georgius Reichart, ab an. 1678. - 1681.
Hiobus Kepler, ab an. 1681.
Joh. Jeremias Bretschneider, ab an. 1681.

SECRETARII RERVM TVTELARIVM.

Samuel Schleusing, ab an. 1653. usque ad 1672.
Dhristianus Melchior Görlach, ab an. 1681.

CAPVT XVII.

DE MAGISTRATV OPPIDANO.

DE SCABINIS, MAGISTRIS CONSVLUM, CONSVLIBVS SENATORIBVS.

DE SCABINIS GOTHANIS.

§. I.

Sculteto Gothano in dicendo jure jungebantur Scabini ex præcipuis civibus delecti: quos tamen & ipsos certo Collegio fuisse junctos, par est credere, quia aliquoties absq; Sculteto negotia quædam expedivisse reperio.

§. II. Præcipuos igitur Scabinorum eosdem fuisse puto, qui postea *Magistri Consulum*, hoc est, ut nunc loquimur, *Consules* dicebantur. Nam qui Consulum nomen habebant olim, nunc Senatores appellantur.

§. III. Ceterum quia Scabinorum memoria in illis, quas pervestigavi, scripturis variis, â medio sæculo XIII. incipit, ab illo quoque tempore eandem repetemus: deinde Magistros Consulum, &, ut nunc vocantur Consules, ac denique Senatores subjiciemus.

SCABINI.

Helherus Rigoberg. 1251.
Wicelo Longus. 1251. 1258. 1259.
Hervvicus (Hertvvicus.) 1251. 1254. 1256.
Cunradus de Wigeleiben. 1251. 1256.
Heinricus Vol. - - - 1251.
Ludevvicus de Wechmar. 1251.
Kunemundus, servus de Malsleiben. 1251.
Heinricus de Goldstede. 1251.
Eilherus (Eilhardus.) 1254. 1256. 1258. 1259.

Bertoldus Grozhoubet. (Großhäupt.) 1254. 1256. 1269. 1271. 1273. 1284.

Cunradus de Nurenberc. 1254. 1258. 1259. 1269. 1271. 1273.

Albertus miles. 1254.

Ditmarus de Ufhusen. 1254. 1272. 1273. 1275.

Hartungus Hertvvici (*Filius.*) 1256. 1258. 1259. 1272. 1273. 1280. 1284.

Heinricus de Seberge. 1256. 1258. 1271. 1273. 1275. 1280.

Heinricus de Ostheim. 1256.

Hartmundus Hovehere. 1256.

Heinricus de Wandisleiben. 1256. 1258. 1271. 1272. 1273. 1175. 1280. 1284. Bertrada Heinrici senioris de Wandisleben vidua. 1290.

H. filius Kuutzen. 1256.

Hermannus Kumerer. 1256.

Hermannus Albus de Noteleiben. 1258.

Hartungus Gerbotonis. 1258.

Bertoldus de Abiete. (Von der Danne.) 1269.

Heinricus Rose. 1269. [Hic forte idem, qui postea *Heinricus Domina Rosen filius dicitur.*]

Clemens de Tullestete. 1269.

Bertoldus Willekum. 1269. 1280.

Heinricus de Vfhusen. *Ditmari frater.*) 1269. 1271. 1272. 1273. 1275. 1280. 1284. 1285. 1287. 1290. 1300.

Sifridus Windeschmann. 1269. 1271. 1284. 1285. 1287.

Güntherus Monetarius. 1271. 1280. 1284. 2285. 1312.

Volmarus Monetarius. 1271. 1273. 1275.

Heinricus. (*Domina Rosen F.*) 1271. 1272. 1273. 1275. 1277. 1280. famulus Alberti Landgravii. 1282. civis in Gotha. 1284. 1285. 1287.

Cunradus de Gozbrechterode (Gerbrechterode.) 1271. 1273.

Cunradus de Mittelhusen. 1271.

Cunradus de Vfhusen. (*Heinrici frater.*) 1271.

Cunradus de Tuteleben. 1271.

Bertholdus Cellerarius. 1271. 1275.
Cunradus Hertwici. *(Hartungi frater.)* 1272. 1284. 1290. 1300. Vide porro inter *Senatores.*
Wicelo (Witulo) Melzer. 1272. 1280. 1284. 1287.
Kirstanus de Tungesbrucken. 1272.
Th. Wizwerck. 1273.
Wicelo de Arnstete. 1273. 1275.
Hermannus Willekume. 1273. 1275. 1280. 1284. 1285. Anno 1296. post ejus obitum *filii* ipsius & *parvuli* ab Alberto Landgravio laudantur.
Cunradus Hugoldi. 1375, 1280.
Gunradus Willekum. (*Hermanni frater.*) 1280. 1320. Hic filium genuit *Hermannum*, plebanum in Notleleben, cujus mentio fit, ab anno 1320, usque ad 1360.
Heinricus Vlleiben. 1280.
Cunradue Vastrate filius. 1280.
Cunradus Foil. 1280.
Theodericus Loige. 1280.
Heinricus Schafenicht. 1280. quo & filius ejus Heinricus memoratur.
Ditmarus Gnagebeiu. 1280.
Heinricus Goldeneri. 1280.
B. Grozhoubet. 1285.
Hartungus Wirsmck. 1285. 1286. 1290. 1291. 1292. 1295. 1297. 3296. 1303.
Hartungus de Tuteleiben. 1285.
Hartungus de Tutilstete. 1285. Vide *Senatores.*
Volmarus Monetarius junior. 1258. 1286.
Heinricus (junior) de Wandisleibn. 1290.
Gerlacus Gans. 1290.
Wernherus Thram. 1290. 1300.
Heinricus ante portam. 1291. 1292.
Heinricus Bertradis. 1299.
Cunradus Willekum. 1320.

MAGISTRI CONSVLVM.

CONSVLES.

Heinricus de Wandisleiben. 1300. 1301.
Wicelo in Foro, dictus Vinne. 1299. 1300.
Hartungus Hottirmann, senior. 1301. 1303.
Güntherus Willekum. 1310. 1353.
Cunradus de Witz leiben. 1322.
Heinricus Hasemann. 1322.
Nicolaus Kleinekouph. (Kleinkopf.) 1323. 1327, 1335.
Heinricus Thyme. 1323.
Heinricus Wirfinck (Wersing.) 1317. 1328. 1333. 1337.
Johannes König. 1332.
Guntherus de Sibeleuben. 1332.
Bertholdus de Wandisleiben. 1333
Guntherus de Swabehusen. 1335. 1347.
Albertus Vinne. (*Vunne*) 1335. Conjux *Künegunda*; fili
Petrus, Paulus, Albertus, Jacobus 1345.
Hermannus de Mittelhusen. (*Metelhusin.*) 1535.
Bertholdus Leichberg. 1335. 1357.
Güntherus de Eilebin. 1337.
Hermannus sub Arbore. (Unter dem Boom.) 1243. 1354.
Johannes de Wechmar. 1344. 1349.
Hartungus Wersinck. (forte *Junior.*) 1349.
Conradus Runieher. 1344. 1350.
Guntherus Hottirmann. 1350. 1363. 1366, 1368.
Hartungus Willebir. 1357. 1364.
Hartungus Leichberg. 1362.
Heinricus Mennichen. 1364. 1366.
Hartungus Jani. 1380.
Guntherus Fritag, *Junior.* 1387.
Herwigius de Molsleuben. 1387.
Conradus Cardinal. 1409.
Johannes Swabehusen. 1409.
Guntherus à Greussen. 1425. 1433.

Nico-

Nicolaus Stubigen. 1425.
Nicolaus Dornheim. 1427. 1431.
Hartungus Willebir. 1431. 1445. 1455.
Laurentius Hildegund. 1431. 1433. 1445.
Berhardus Zahnius. 1433.
Conradus Brüheim. 1441. 1457.
Heinricus Jani, (John.) 1441.
Apollonius Wolmer. (Wener.) 1443. 1455.
Johannes von Berge. 1449. 1458.
Johannes Erhardus, *Senior*. 1457.
Nicolaus Hotzel. 1464.
Petrus Schmied. 1470.
Nicolaus Ralſtet. 1472.
Hartungus Beltzen. 1474.
Heinricus Engel. 1477.
Gothardus Ihon. 1477. 1487. 1493. 1505.
Johannes Eſſebeck. (Eſcheleb.) 1483. 1484.
Heinricus Krug. 1487.
Jodocus Brengber. 1492.
Johannes Götze. 1493. 1498.
Nicolaus Wedelndorf. 1484.
Hartungus à Kölen } 1484. 1492.
Bartholdus Huph. } 1494.
Johannes Hoffmannus, *Senior*. 1497. 1500. 1511.
Johannes Fusknecht. 1501.
Dictus (forte *Benedictus*) Kranichfeld. 1505.
Johannes Lumannus. 1506.
Johannes Hartungus. (Hertingk.) 1507. 1511.
Johaunes Arnoldi. 1512.
Nicolaus Kühn. 1519.
Johannes Marterſteck. 1520.
Johannes Stigel. 1520.
Johannes Stengel. 1520.
Heinricus Oswaldus. 1521.
Johannes Reichenbach. 1524.
Andreas Schultze. 1524. 1525.

Her

Hermannus Goltzius. 1525.

Johannes Oswaldus. 1526. Mortuus anno 1534. 16. Septembris.

De eo ad Myconium scribit Lutherus: *Abeunte* (Altenburgo) *& ad vos redeunte Osvvaldo vestro Proconsule committere volui, mi Friderice, vt vacuus veniret, saltem salutatione scripta.* Eundem aliquoties salutat Melanchthon in Epistolis ad Myconium à Snegassio Jenæ editis. De eodem, Melanchthon ad Myconium Epist. LII. *Mi Friderice, Franciscus N. ad vos proficiscitur, exploraturus nescio quid de suis Sacerdotiis. Eam rem ita agi vellem, ne Osvvaldus offenderetur. Est enim habenda ei gratia pro opera hactenus navata. Nemo alius extorsisset à Sacerdotibus ea, quæ ipse extorsit.* De mortuo lectissimum epitaphium scripsit Stigelius: quod vide *Volum. II. Poëmatum pag. 587. 6.* Viduam ejus duxit Johannes Löwe, sive Leo, Quæstor Gothanus.

Caspar Eisenach. 1527. 1542.
Johannes Flidnerus. 1537. 1539. 1541.
Hartungus Sigelius. 1537. 1539.
Jacobus Langenhaim. 1540. 1544.
Wolffgangus Hirschbach. 1549.
Petrus Rockenstuhl. 1541. 1545.
Georgius Tasche. 1550. 1551.
Joachimus Goldstein. 1551. 1561. 1574.
Johannes Reichenbach. 1554. 1557.
Melchior Kaun. 1556.
Johannes Kalmberg. 1559. 1561. mortuus 1585.
Paulus Bleicherodius. 1560.
Valentinus Sorge. 1561.
Christophorus Pincks. 1560.
Johannes Schmidt. 1562. 1574. Mort. 1592. 6. Sept. per xxx. annos COS. optime meritus: qui cum Catharina uxore per annos LI. in conjugio concordi vixit.

Georgius Dasch. 1566.
Andreas Weichart. 1571. mort. 1585.
Caspar Mans. 1572.
Joachimus Schubartus. 1575.
M. Fridericus Müller. 1581. anno 1589. iterum electus se excusavit.
Conradus Schinkopf. 1585. 1593.
Thomas Bachov, *Senior*. mortuus 1597. 4. Febr.
Paulus Kalmberg. 1592.
Johannes Schmidt, *Junior*. 1592.
Heinricus Henninges. 1586. 1604:
Johannes Mattenbergius, Med. D. 1597. 1613.
Johannes Dunckelius. 1613. Hic xx. florenos annuos legavit ad libros pauperibus civium Gothanorum filiis in schola distribuendos.
Johannes Weidemüller. 1618. usque ad 1647.
Christ. Hirschbach. 1618. 1619.
Johannes Kalmberg. 1620. 1625.
Thomas Bachov, *Junior*. 1632. 1634.
Hieronymus Kalmberg. 1632. 1634.
Emericus Pfefferkorn, J. V. D. 1633. Obiit 1665. 25. Novembris.
Tobias Flemming. 1634.
Johannes Meusemann. 1641. Obiit 1669. 21. Decembr.
Laurentius Sorge. 1641.
Johannes Rosa, Med. Lic. 1647.
Johannes Langguth, J. V. Lic. 1662.
Georgius Sorge. 1667.
Jacobus Weitzius, Philos. & Med. D. 1668.
Esaias Sorge. 1670.
Fridericus Hosfeld. J. V. D. 1674.
Johannes Christophorus Brodkorb. 1674.
Heinricus Berckmann. 1675.
Johannes Laurentius Sorge, J. V. Ddus. 1685.
Gotfriedus Mogk. 1686.

SENA-

SENATORES.

Cunradus Hertwici. 1300.
Hartungus de Tutilstet. 1299. 1301 - 1310.
Nicolaus Kleinehouf. 1303.
Bertholdus Pellifex. 1301.
Heinricus de Elinde.
Heinricus Willekum.
Tizelo)Vheodoricus) Vunno, 1322.
Hermannus de Mölhusen.
Heinricus Kumerer, senior.
Heinricus de Honkirchen. 1301.
Theodoricus Schakan.
Ditmarus Monetarius. 1302. quo anno laudatur filius ejus Hermannus, sacerdos, *senior*. 1312.
Hartungus ante portam. 1303.
Heinricus Wizwerck. 1319. 1326. 1329. 1332.
Conradus de Kinteleibin. 1318. 1322.
Hermannus de Mittelhusin. 1318. (Filium habuit *Conradum* jam civem anno laudato) 1326. 1333.
Andreas Vinne. 1318.
Hartungus Kumerer. 1318.
Wicelo in Foro.
Volmarus de Eschinber.
Heinricus de Swabhusen. 1312.
Bertoldus Weditold.
Bertoldus de Tuteleben.
Ekkehardus de Saltza.
Nicolaus de Ordorp. 1322. 1335.
Witterus.
Cunradus Runicher. 1349.
Wecilo Winne. Vinne.)
Heinricus Erhe.
Guncelius Willebot. 1322.
Bertoldus Leychtenberg. (Leichberg.) 1322. 1333. 1337.

Erhardus de Wigeleubn. 1322.
Cunradus de Aschere. 1322 1333. 1335. 1337.
Ditherus de Hundesborn. 1327. 1333. 1335.
Theodericus Vunno. 1322.
Hartungus Hottermann. 1323.
Reinhardus Fleischhauer. 1327. 1335.
Hermannus (Heinmannus) vor der Pfortin. 1327. 1335.
Bertholdus de Wigeleben. 1327. 1335.
Heinricus de Beringen. 1327. 1335.
Conradus Vierley. 1327. 1337.
Heinricus de Trugeleiben, 1327. 1335.
Conradus Willekom. 1327.
Hertwicus Willekom, Conradi frater. 1327. 1335.
Hermannus Ailhardus. 1327. 1335.
Hermannus, sub arbore. 1329.
Bertholdus de Wandesleiben. 1329. 1334. 1337. 1342. quo anno filius ejus *Ticelo* factus est monachus Georgenthall.
Heinricus Hottermann. 1330.
Guntherus de Swabehusen. 1333. 1337. 1343. 1344. 1349.
Heinricus Willekom. 1333. 1335. 1337.
Heinricus Hasemann 1330. 1333. 1335.
Conradus de Goldbach. 1333. 1335. 1337.
Heinricus Aurifaber. 1335.
Cunradus de Lina. 1333. 1337. 1357.
Albertus (Apeh) Vinne. 1333. 1334. 1345. 1350.
Ticelo Cremere. 1334. 1335.
Johannes de Vrimar. 1335.
Cunradus Runtheri. 1335.
Johannes Saxe. 1335. 1344. 1349.
Johannes Apt. }
Heinricus (Heyne) Beyger. }
Heinricus de Riffinhein, }
Theodericus (Tizilo) de Wedilndorf. 1335. 1344. 1349.
Guntherus de Escheneber. 1315.
Bertholdus de Kindesleben. 1335.

Cun-

Conradus Willebèr. 1335.
Heinemannus Grewe. 1335.
Cunradus de Tunna. 1335.
Guntherus de Ebelebn. 1335.
Hermannus de Mittelhusen, 1337.
Reinhardus Cardowil (Cardovail.) 1337.
Ditherus N. 1337.
Ekehardus de Wigeleben. 1342.
Daniel de Molburg. 1342.
Guntherus Monetarius. 1343. cujus filius fuit *Hermannus*, gener *Guntherus de Swabehusen*.
Arnoldus Hottirmann. 1344. 1349.
Tizelo de Bertrada. 1342.
Heinricus de Bechster. *Calvus*. 1344.
Waltherus de Mittelhusen. 1344. 1349. 1350.
Hartungus Wersing. 1344.
Hartungus Wulleber. 1344. 1349. 1379. quo anno fuit procurator monasterii S. Augustini.
Heinricus Mennechen. 1344. 1349.
Heinricus Kleinkouf. } 1347.
Helwigius de Malsleiben
Petrus *Notarius Civitatis*: (Stadt-Schreiber) 1347. 1365. Pauli, Canonici S. Mariæ frater.
Et ipse quoque Petrus factus est Canonicus.
Nicolaus Gerboto. 1349.
Johannes Sachse. 1349. 1387.
Hartungus Leichberg (Leithnberg). 1354. 1379. quo anno procurator erat monasterii S. Augustini.
Guntherus Hottirmann. 1368.
Reinhardus de Wandisleben. 1357. Vxor *Kunegunda*, filii, *Tizelo & Otto*.
Guntherus Fritaus, Nicolai frater. 1357. 1375.
Heinricus de Schonow
Hermannus Vanebach.
Hermannus Münzmeister.

Bertholdus Prinz. } 1357.
Heilmannus Gürteler.
Bruno de Frimar.
Heinricus Wersinck.
Conradus Francke. 1357. 1387.
Sifridus de Molhusin. 1362.
Guntherus Willekum, Hertwici F. 1554. 1363.
Albertus Kalve. 1365.
Nicolaus Fritag. 1375. Vxor *Catharina*, gener *Daniel Vobum.*
Guntherus Fritag, Nicolai frater. 1373.
Ditericus Protzil. 1375.
Hartungus Jani. 1375.
Heinricus de Sattinstet. 1375.
Johannes Wandisleben, } 1380.
Henricus Lange.
Johannes Jani.
Andreas Dess.
Volmarus Eschenber.
Christianus (Kirstanus) Escheleben. 1387.
Ditericus Sirsenhayn. 1387.
Hildebrandus Rosenzwig. 1387.
Johannes Escheleub. } 1396. Die bescheiten Leute/ und Ding pflichten des Gerichts zu Gotha.
Martinus Müter,
Johannes Hutzel.
Cunradus Mogelinus. (*Camerarius*) 1409.
N. Betze. 1418.
Johannes & Nicolaus Diterici. 1418.
Heinricus Helmboldus. 1418.
Cunradus vom Lande. 1418.
Apollonius (Juncker-Apel) Oldesleuben. 1420. 1427.
Heinricus Kulstet. 1427.
Conradus Major. (Große Conradis) 1427.
Fridericus ab Hayn. 1427.

Daniel de Smyra. 1427.
Hartungus Kammermeister: gener *Danielis de Smyrâ*. Vxor *Elsa*. 1427. 1429.
Johannes Sanderus. 1441. 1443.
Apollonius (Apel) Wolmer. *(Camerarius)* 1441.
Hartungus Wulleber. 1441. 1443.
Heinricus Kulstet. 1441. 1443.
Nicolaus Dornheim. 1441. 1443.
Cunradus Rampe. 1441. 1443.
Hermannus ab Hoen. 1441. 1443.
Andreas Mullerus. 1441. *Camerarius.* 1443.
Laurentius Hildegund. 1441.
Gothardus (Göze) Fryer. 1441. 1443.
Heinricus Linse. 1441.
Johannes Emmeleb. 1444.
Johannes Martersteck. 1444.
Bartholdus Ihon. 1458.
Johannes Sander. 1460.
Heinricus Martersteck. 1463. 1472. Idem monetæ præfectus fuit Vinariæ. Vxor *Catharina*.
Heinricus Martersteck anno 1491. fuit demortuus, quo ejus hæredes laudantur. Anno 1427. Elisabetham Marterstеckin, & an. 1491. Philippum Martersteck, & an. 1484. Johannem & Stephanum Marterstecken cives reperi.
Micolaus Hozel. 1464.
Conradus Emeleben. 1464.
Bernhardus Ihon. 1470.
Johannes Brengebier. 1470.
Henricus Gottschalck. *residens ante valvam Erfferdensem.* 1470.
Apel Teybach *retro S. Margaretam.* 1470.
Conradus (Curt) Kalmberg. 1471. 1472.
Guntherus Kalmberg. 1471. quo tempore etiam floruit Güntherus Kalmberg Junior, qui habuit bona in Kintleben.

Johan-

Johannes Rhembda. 1477. 1478.

Johannes Brotkorb. 1478. *residens* in der Fleisch-Gaſſe. 1491. Quo tempore etiam in vivis fuere Chriſtianus) Kirſtan) & Nicolaus, item Liborius Brodkorb, Et hic quidam memoratur etiam. 1506. 1508. 1509.

Jodocus Brengebier. *Senior.* 1487.

Johannes Hoffmann. *Senior. Camerarius.* 1487.

Johannes Wildung. 1487.

Johannes Brengebier. (*Junior*) 1487.

Nicolaus Gottſchalck. 1487.

Cunradus Emelieb. 1487.

Johanes Fuſsknecht. 1487.

Johannes Hoffmann. Junior. 1487.

Johannes Götze, 1487.

Johannes Marterſteck. 1487. 1491. 1492. 1508. 1518. 1531.

Gothardus Ihan. 1495.

Henricus Oſwald. 1506.

Johannes Brodkorb. 1517.

Martinus Poppe. } 1581.
Johannes Menzel. }

Ditericus Dunckel. 1522.

Hic eſt ille, utut legendi ſcribendique neſcius, Patronus Evangelicorum, literatorum ac pauperum ſingularis: quem mortuum ut communem patriæ patrem luxerunt cives, Huic id obtigit, quod pauciſſimis mortalium, diſſidia etiam inveterata ex æquo & bono cum litigantium voluptate componere. Habitavit in angulari domo vici, qui das Pforten-Gäßlein audit, è regione curiæ Senatoriæ;

Matthias Lachenbeck. 1524. Fuit hic Fuggerorum quondam in Gohenkirchenſi caſa metallica miniſter, & literatorum patronus.

Caſpar Krieg. 1531.

Hic laudato anno duodecim florenos annui cenſus ſibi hactenus à Senatu perſolutos, & donec viveret, ſolven-

vendos, ab excessu suo pauperibus legavit. Id quod testatur Ludovici Fischeri instrumentum hac de re perscriptum die ix. Junii.

Justus Hartradt. 1530. 1538. }
Blasius Straub. 1530. 1532. } Altar-Leute zu S. Margarethen.
Henricus Oswald. }

Johannes Francke. 1539. Quo & vocatur Vorsteher zu Gotha. Nempe jam anno 1532.

Et hic forte est, in cujus domum elegantem elegiam scripsit Johannes Schosserus, Consiliarius Brandenburgicus & Prof. Eloquentiæ in Academia Francofurdiana. Habetur illa *Poematum lib.* VI. *Eleg.* X. Fuit hic Luthero, Philippo & Camerario percharus, cultor & fautor eruditorum eximius. Solebant autem eum *Portunum* nominare. Sic enim Camerarius in vita Eobani: *Is cum quo ego fraterno animo conjungebar, contubernalis meus, Joannes Francus, qui Portunus à nobis cognominabatur.* Cognomen hoc accepit à patria Burg-Tonna: teste Michaële Julio in scriptiuncula sermoni funebri Laurentii Sorgen, qui gener erat Portuni, adjecta.

Nicolaus Behringer. Obiit anno 1541. quo adhuc ex senatoribus in vivis fuere Jacobus Langenhain, Johannes Martersteck, Melchior Dorfeld, Caspar Eisenach, Vormund des Ministerii, Johannes Poppo, Hartungus Siegel, Johannes Reichenbach, Christophorus Panckmus, Joachimus Goldstein, Johannes Wagner, scriba Senatus.

Melchior Bemelburg. 1542.
Nicolaus Poppe. 1549. 1554. 1561.
Melchior Kente. 1554.
Paulus Bleicher. 1561.
Johannes Langenhain. 1561.
Cunradus Schinkopf. 1561.
Stephanus Firn. 1561.

Andreas Walther. 1561.
Sebaſtianus Nœda, ſcriba Senatus. 1561.
Johannes Betzold. 1574.
Heinricus Baſa. 1574.
Nicolaus Fleming. 1585.
Johannes Thilo. ob. 1598. cum Martham uxorem an. 1590. amiſiſſet.

§. IV. Reliquorum nomina usque ad annum CIↃ IↃC XXXIV. nondum potuerunt congerere, quibus Hiſtoria Gothana curæ eſt cordique. Quem tamen optimus amicus meus, Fridericus Rudolphi, mecum communicavit Senatorum alaudato anno in præſentem usque (1687.) ſyllabum, non poſſum non repetere.

SENATORES ONNES ET SINGVLI AB ANNO CIↃ IC CXXXIV. VSQVE AD ANNVM CIↃ IↃC LXXXVIII.

Thomas Bachoven. Johannes Meuſemann. Johannes Jacke. Jeremias Jacob. Laurentius Sorge. Johannes Lindemann. Paulus Schmidt. Johannes Bufflöb. Zacharias Krebs. Michael Erneſtus Mattenberg.	1634. im neuen Rath.
Chriſtophorus Kern. Chriſtianus Sorge. Paulus Schaake. Petrus Köber. Johannes Baurmann. Hieronymus Ehrlich. Johannes Hoffmann.	1634. im alten Rath.

Christophorus Sorge.
Michael Poppo.
Andreas Leining.

Melchior Junghans. 1635.
Jeremias Kalmberg : (noviter accesſit.

Melchior Schmidt , poſtea Conſul (Rathsmeiſter) Erfurti ; cujus filiam claram Eliſabetham an. 1672. duxit Hieron. Brücknerus I.V. Lic. Secret. feudalis, ex qua ſupeeeſt unicus filius 1636.
Hieron. Brücknerus, jam SS. Theol. Stud. Ipſa mortua an. 1673. 19. Martii.
Valentinus Kern.
Johannes Hellerung.
Eraſmus Stopfel.

Johannes Sorge. 1638.
Johannes Bock.

Johannes Grumbein. 1639.

Daniel Lange. 1640.
Johannes Bottſchuch.
Fridericus Thilo.
Michael Eichorn.

Georgius Sorge.
Daniel H ffmann. 1641.
Jacobus Schramm.
Hiskias Döhnel. 29
Johannes Kalmberg. 1642.

Nicolaus Thilemann.
Johannes Albrecht. 1644.
Chriſtianus Fulda.
Jeremias Ritter.
Andreas Schmidt.

Johannes Roſa, Med. Lic. 1645.

Johannes Christophorus Schmidt. 1646.
Heinricus Wencke. } 1647.
Johannes Schmidt.
Justinus Thilo. 1648.
David Philipp Bernbeck. } 1650.
Heinricus Berckmann.
Matthæus Grohmann.
Georgius Ernestus Scherer. 1651.
Justinus Grauel. 1652.
Christophorus Dürfeld. 1653.
Johannes Kellner. 1654.
Michael Käseweiss. 1654.
Esaias Sorge. 1656.
Joachimus Schierschmidt. 1658.
Johannes Languth, J. V. L. } 1659.
Joh. Georgius Wagner.
Nicolaus Krause.
Johannes Melchior Schmidt. 1662.
Johannes Otto. 1662.
Daniel Hoffmann. 1663.
Johannes Esaias Thilo. } 1666.
Heinricus Beumelburg.
Jacobus Weitz, Phil. & Med. D. } 1668.
Ægidius Funck. Idem Organœdus fuit.
Josephus Sander. 1669.
Elias Döhnel. } 1670.
Johannes Cæsar.
Elias Dörfeld.
Salomon Reyher.
Johannes Ernestus Freund.
Christianus Wallich. }
Johannes Philippus Dantz.
Fridericus Hossfeld, J. V. D. } 1672.
Christianus Behringer.

Fri-

Fridericus John. 1675.
Jeremias Ritter. 1676.

Christianus Schmidt. Fridericus Bottschuch.	1677.
Daniel Dressel. Caspar Christianus Wex. Johannes Georgius Breithaupt. Johannes Erasmus Hütterod.	1678.
Johannes Laur. Sorge, J. V. Dus. Gottfridus Mogk. Johannes Christianus Freund. Johannes Georgius Sorge,	1680.
Johannes Heinricus Dörfeld. Samuel Kellner.	1687.

CAPUT XVIII.
ELECTA
EX ANNALIBUS GOTHANIS.

§. I.

GOtha ex pluribus villis coaluit.

Eschlebio, ubi Archidiaconus habitavit, *Alslebio*, versus Goldbacum, *Mittelhusio*, *Topblebio*, *Hersdorffio*: quorum incolæ plerique vastatis pagis in oppidum secessere. Ædes horum pagorum sacræ pleræque mansere usque ad 1525. quo fuerunt dirutæ.

§. II. Anno CIↃ CCVII. Gotham ferali incendio prope funditus deletam, tradunt. 1207.

Debeo id Collectaneis Mss. Gothanis, non tamen multum antiquis. Addebatur, ab una porta ad alteram tum prospectum patuisse.

§. III. Anno CIↃ CCLIII. Hartungus civis Erfur- 1253.

 ten-

tensis & Gothanus, ejusque uxor Adelheidis monasterio Georgenthalico mansum in agro Sibelebiensi donarunt certis cum conditionibus.

Has exprimunt Advocatus & Cives Gothani sequenti Notitia: *Nos Heinricus Villicus & universitas Burgensium in Gotha Recognoscimus & protestamur, Quod Hartungus civis Erfordensis, & noster concivis, & Adelheidis uxor ejus, contulerunt Ecclesiæ vallis sancti Georgii unum mansum situm in Sibeleibin, solventem annuatim quatuor maldra frumenti & ordei Erfortensis mensura, quem mansum idem Hartungus emit ad Hartungum filium Gerbotonis Monetarii pro decem marcis, sub hac forma, Quod proventum ejusdem mansi percipient fratres Ecclesiæ memoratæ & de granario suo totidem maldra ministrabunt eisdem. Quod si infra triennium predictus Hartungus x. marcas ad emendum alium Abbati & Conventui non persolverit, memoratum mansum fratres jam dictæ Ecclesiæ libere possidebunt. Ita tamen quod quatuor supra dicta maldra usque ad mortem obtinebit, & sic utrisque defunctis supra dictus mansus ad ecclesiam libere revertetur. Eadem ratio erit de manso, quem infra triennium forte comparaverint, cum x. marcis, & secundum quantitatem redditus ipsis annona tribuatur. Acta sunt hæc coram nobis Anno gratiæ* CIƆ CCL. tertio II. Non. Martii.

1254. §. IV. Anno CIƆ CCLIV. cum nonnulli cives aliquot agros Ullebiæ sitos monasterio Georgenthalico venderent, Scultetus & Scabini Gothani suo id testimonio comprobabant.

Sculteti & Scabinorum testimonium sic habet: *In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Quoniam ea, quæ geruntur in tempore, simul labuntur cum tempore. Inde est, quod nos Heinricus Villicus, Eilherus, Herwicus, Bertoldus Grozhubet, Cunradus de Nurenberc, Albertus Miles, Ditmarus de Vfhusen, Scabini in Gotha, recognoscimus, protestantes, quod Guntherus filius Volmari de Lupniz & Hermannus patruus ejusdem vendiderunt Abbati & conventui vallis S. Georgii Cisterciensis ordinis sex*

man-

mansos & dimidium tum omnibus pratis, pascuis & attinenciis suis & immunitatibus sitos Onlleibin, in præsentia & forma judicii eisdem intulerunt, omni juri suo in ipsis bonis coram nobis perpetualiter renunciantes. Vt autem hæc tam rationabilis emptio firma semper & inconvulsa permaneat, præsentem literam in testimonium sigillo Burgensium nostrorum fecimus roborari. Acta sunt hæc anno Domini M CC LIII. *in vigilia sancti Georgii Martyris.*

§. V. Cum anno CIↃ CC LVI. Henricus Schola- 1256.
ris bona ab Hermanno patre monasterio Georgenthalico vendita resignaret, Scabini Gothanorum gestam testimonio suo firmabant.

En ipsum testimonium! *Nos Scabini & Vniversitas civium in Gotha recognoscimus, & tenore presentium publice protestamur, quod Heinricus Scolaris bona, que pater suus Hermannus Villicus de Notileiben, videlicet mansum & dimidium, de consensu suo, fratrum suorum & heredum suorum aliorum, Domino B.* (Bertoldus hoc tempore erat Abbas) *Abbati & Conventui Vallis S. Georgii pro viginti marcis vendiderat, in manus fratris Hartmanni magistri in Aphilstete præsente Domino Heroldo, plebano in Gotha, voluntarie resignavit. In cujus rei notitiam & certitudinem ampliorem, hanc litteram sigillo universitatis nostræ decrevimus roborare. Acta sunt hec in Gotha, Anno ab Incarnatione Domini* M. CC LVI. *pridie Nonas Octobris Indictione* XIII.

§. VI. Anno CIↃ CC LIX. Gertrud, civis Gotha- 1259.
na, laudato monasterio dicavit sex denarios de domo sua quotannis exsolvendos; idque consensu suo approbant Sculretus & Scabini Gothani.

Scriptum Gothanum affero: *Nos Theodoricus Villicus, Scabini & Vniversitas civium in Gotha recognoscimus & præsentibus protestamur. Quod soror Gertrudis concivis nostra curiam suam in civitate nostra sitam, quam pecunia sua comparatam jure proprietatis possidet, Ecclesia Vallis S. Georgii contulit sub hac for-*

forma, ut ipſam, quamdiu vixit, inhabitans, annis ſingulis ſex denarios in cenſu Eccleſiæ ſolvat, poſt mortem vero ipſius eadem curia cum univerſa ſubſtantia, quam tunc habuerit, prædicta Ecleſiæ libere cedat ob ſuorum remedium peccatorum. Quod ſi occaſione infirmitatis aut paupertatis ipſam curiam diſtrahere compulſa fuerit, ad quemcunque empta devoluta fuerit, memoratum cenſum, videlicet ſex denarios annis ſingulis in perpetuum ſolvet Eccleſiæ jam prædictæ. Teſtes hujus rei ſunt Wicelo Longus, Eilberus, Cunradus de Nurinberg, Hartungus Hertvvici filius, & alii quamplures. In quorum notitiam & certitudinem ampliorem litteram hanc ſigillo civitatis noſtræ decrevimus roborare. Acta ſunt hæc anno ab incarnatione Domini milleſimo ducenteſimo quinquageſimo nono.

1271. §. VII. Anno CIↃ CC LXXI. Vlricus de Salza Wichmanno de Trugeleben manſum feudalem commutabat in proprium.

Ex Notitia Vlrici quædam affero: *Nos Vlricus miles dictus Salza tenore præſentium lucide proteſtamur, -- -- quod Wicmanno concivi in Gotha dicto de Trugelebin quendam manſum ſitum ibidem, quem à nobis noſtrisque progenitoribus jure poſſidebat feudali, ad petitionem ſuorum amicorum ac ipſius eundem ſibi & nunc uxori ſue dicte Mezhe proprietatis articulo contulimus poſſidendum. -- -- Teſtes Dominus Henricus Antonie filius de Sibeleibin, Volmarus Monetarius, Heinricus Senior de Wandesleibin, Ditmarus de Vſhuſin, Hartungus Hervvici, Cunradus de Nurenberc, Grozhobit ſenior & junior, Sifridus Windesman, & alii, quamplures. -- -- Datum Gota anno Domini* M CC LXX. *uno, Dominica poſt Aſcenſionem Domini.*

1273. §. VIII. Conradus de Gerbrechterode (Gozbrechterode) monaſterio Georgenthalico domum ſuam legavit.

Sic enim ipſe ſcribit Cunradus: -- -- *Ego Cunradus dictus de Gerbrechterode, civis Gothanus, notifico univerſis -- -- quod de poſſeſſione & proprietate meâ in eleemoſina contuli Domino*

mino Abbati & conventui Vollis S. Georgii ordinis Cystercienſis curiam meam in Gotha -- -- Hujus rei teſtes ſunt Henricus Schultetus & Scabini, videlicet Bertoldus Goozhoubit, Henricus de Seberge, Heinricus de Brandisleiben, Cunradus de Norinberc, Dithmarus & Heinricus fratres de Vſſhuſen, Bertoldus Cellerarius, Withelo de Arnſtete, Heinricus Roſa, Hartungus Hertwici, Volmarus Monetarius, Hermannus Willecume. Acta ſunt hec in civitate Cotha Anno Domini MCCLXXXIII. *in menſe Septembri.*

§. IX. Anno CIↃ CC LXXXII. Albertus Thuringiæ Landgravius permiſit, ut Henricus Roſe aliquot domus in oppido Gotha monaſterio Reinhartsbornenſi dedicaret. 1282.

Sequitur Præceptum Alberti: *Albertus Thuringie Landgravius & Saxonie Comes Palatinus -- -- aream quandam quatuor domorum habitaculis conſtructam in Gotenſi oppido noſtro ſitam, que eſt contigua illi lapidee caminate, que quondam fuit clare memorie predeceſſoris & nepotis noſtri glorioſiſſimi ſcilicet Romanorum Regis Heinrici olim Thuringorum Landgravii, ad inſtanciam Heinrici civis Gotenſis noſtri famuli, dicti Roſe, qui eandem aream a Domino Heinrico de Glizberc milite ac fideli noſtro juſto emptionis titulo in noſtra preſentia comparavit, Eccleſie Reinhersburnenſi dedimus in proprium cum omni jure & utilitate, que abinde poterunt provenire. Ita ſane ut penſio duorum talentorum & decem pullorum, que de ipſa area ſub annuo cenſu datur, Eccleſie memorate Camerario ad tunicas nocturnales fratribus ibidem certo tempore comparandas perpetuis temporibus exſolvatur. -- -- Datum in Wartberc anno Domini* MCCLXXXII. XII. *Kl. Septembris.*

§. X. Anno CIↃ CC LXXXIII. Ludovicus de Huſen, Scultetus Gothanus profitetur, Ditericum de Sibeleben dimidium manſum in Stutternheim Hartmundo Camerario reſignaſſe: quam reſignationem idem Hart-

mundus Hermanno Dapifero in Slotheim ejusque fratri Gunthero velit præsentare.

Notitia Sculteti Gothani sic habet: *Nos Ludevvicus de Husen tunc temporis Scultetus in Gotha, recognoscimus per literas presentes, quod Theodericus de Sibeleibn dimidium mansum situm in Stuternheim pro se & pro fratre suo Gunthero coram nobis & civibus resignavit Hartmundo Camerario: quam resignationem idem Hartmundus Camerarius Hermanno Dapifero in Slatheim & Gunthero fratri suo cum litera civitatis presentabit. Testes hujus resignationis & presentationis sunt Dominus Heinr. Wendephaffe, Albertus de Sibeleibn, Reinhardus de Vlleibin, Heinricus Auca, & Heinr. gener ejus, Heiuricus de Vshusin, Heinricus Rose, Witulo Melzer, & alii fide digni. Datum anno Domini* M, CC LXXXIII. *Dominica Exurge.*

§. XI. Eodem anno idem Scultetus cum universis Scabinix in Gotha testatur, quod frater Hermannus, Ecclesiæ Vallis S. Georgii majòr Aduocatus, accedente consensu Nicolai Abbatis sui comparaverit marcam argenti apud Hermannum de Phalindorf civem Gothanum pro decem marcis argenti, quæ hic de dome, quæ quondam fuit Hermanni Kumereri, quotannis in festo S. Martini monasterio Georgenthalico exsolvet,

Datum Nonis Februarii.

1300. §. XII. Anno CIC CCC. Heinricus de Vfhusen civis Gothanus, Senatu consentiente, monasteriò Georgenthalico vendit sex domos in ipsa urbe, & hortum ante portam Erfurtensem sita.

Senatus Gothani notitiam subiungo: *Quoniam gesta hominum aut oblivionis incuria aut humane temeritatis protervia sepius evanesunt, expedit res perpetuitatis robur habituras scripturarum memoria roborari. Inde est, quod nos*

nos Henricus de Wandesleiben, Withelo in foro ceterique consules ac universitas civium in Gotha presentibus recognoscimus lucide protestando, quod Henricus dictus de Vfbusin noster concivis habita deliberatione nobiscum matura, de nostra unanimi permissione simul & persvasione Ecclesie & Conventui Vallis S. Georgii rite & rationabiliter sex curias seu areas intra nostre civitatis muros sitas, quarum unam inpresentiarum possidet Hermannus dictus Gutman, unam marcam solventem, unam Gertrudis relicta Siboldi, unam marcam solventem, unam Kristanus institor, unum feronem solventem & duos pullos, unam Theodoricus de Beringen, unum fertonem solventem & duos pullos, unam Theodoricus de Beringem, unum fertonem solventem & duos pullos, unam Bertoldus rasor panni unum fertonem solventem annis singulis, pariter cum uno orto ante portam Erfortensem sito extra muros civitatis tytulo proprietatis vendidit jugiter possidendos, Vt autem hec rata permaneant, presentem desuper literam confectam ad peticionem prædicti Heinrici de Vfbusen nostri concivis Sigillo, nostre civitatis fecimus communiri. Testes hujus rei sunt Kunemundus miles de Svvabeheim, Helmannus de Hayn, Hartungus de Tutilstete, Cunradus Hertvvici & Wernherus Tram, & alii quamplures fide digni. Datum anno Domini M CCC. IV. *Kalen. Novembris.* 1306.

§. XIII. Anno CIↃ CCCVI. Theodoricus Junior, Alberti filius, Thuringiæ Landgravius, Orientalis Marchio & Dominus in Groytsch IV. Kl. Martii Gothæ fuit, ac ibidem Reinhartsbornensi monasterio insigne dedit privilegium,

Actum & datum in Gotha. præsentibus viris nobilibus, Heinrico Cemite de Stolberg, Heynrico Advocato de Wyda, itemque Rudolpho Pincerna de Dornburg, Johanne de Geybiovve, Heinrico de Arnstete, Bernhardo de Vlleyben, militibus, Heinrico de Loucha, & quamplurimus aliis fide dignis. Anno M. CCCVI. *quarto Kalend. Martii.*

1310. §. XIV. Anno CIↃ CCCX. Friderico Admorso, ex Elisabetha Arnshaugia, Gothæ natus est filius Fridericus.

Auctor de Landgraviis Thuringiæ cap. 85. *Anno Domini MCCCX. Marchio Fridericus congregato exercitu resedit in villa Tungede, disponens iter in Buchoniam contra Abbatem Fuldensem. Quo tempore natus est ei filius in* Gotha: *de quo tantum gavisus fuit, quod expeditionem dimisit.*

1317. §. XV. Anno CIↃ CCC XVII. prædones quidam Gothæ sunt suspensi.

Idem Auctor de Landgraviis cap. XCII. *Eodem anno capti fuerunt Fridericus & Hermannus de Drivordia per Fridericum de Wangenheim & advocatos Marchionis. Qui quia raptores fuerunt, & fovebant, unde ne occiderentur, detenti sunt in Wangenheim, & plures cum eis. Alii autem ducti sunt in* Gotha *& suspensi.*

1320. §. XVI. Anno CIↃ CCCXX. & sequentibus Willekomiana familia, in aliquot scriptis monasticis *Beneveniatis* dicta, præ ceteris Gothæ effloruit.

Nimirum laudato anno, inter Scabinos Gothanos erant *Conradus & Güntherus Willecom.* Et hic quidem genuit *Hermannum*, plebanum in Notleben, qui annum attigit 1360. Conradi frater erat *Hartwicus Willecom*, cujus memoria exstat an. 1327. & 1335. *Heinricus Willecom* Consul (Senator) erat an. 1333. & 1344. *Wicelo, Heinricus*, filiæ *Mechtildis* & *Richza*, Socer *Heinricus Thymen.* Anno 1350. inter moniales erat *Margaretha Willekomen*. Anno 1353. reperio *Güntherum Willecom*, cujus soror erat *Margareta*, conjux Christiani a Scharffenstein. Anno 1363. laudatur *Bersrada* Gerbotonis *Conradi Willecoms* filia. Taceo reliqua.

1327. §. XVII. Anno CIↃ CCC XXVII. consentiente Senatu Gothano, Abbas Reinhardsbornensis & Hermannus

nus Hase, civis Gothanus, invicem commutant domos suas in urbe Gotha.

Quo de exstat hæc Notitia lingva vernacula concepta: In Gothes Namen. Amen. Wye Clous Cleynekouff/ unnde Hinrich Wisiverg/ Ratismeistere/ Dyther von Humdisborn/ Reichart Fleyzhouer/ Hermann von der Pfortin/ Berthoff von Wigeleybenn/ Heinrich vou Deringin/ Conradt Vierley/ Heinrich von Trugeleiben/ Hertwic Willekom/; und Herman Aylhart/ dy Rath zu Gotha/ bykennin an diseme uffin Brife/ das durch die Gunst und die Vründschafft/ dy wie haben zume Gotshauß zu Reinhartsborn haben swy dem Ersamin Herrn deme Abte unde der Sammeninge zu Reinhartzborn irloibit wissentliche unde gegunnen/ das de haben gekoist unde gewechsilt zu Hermanne Hasen unsen Borgere den Hof/ dy da lyt deme Kirchhouse senthe Margarethen der vorgenanthin Stat zu Gotha/ der hievore Hern Poßirt waz/ umme irn Hof den sie gebuwet hattin mit derselbin Stat Loube zu Gotha/ on unde irme vorgenauthin Gotshuß/ eigintliche/ledicliche und ewicliche zu besitzene und habene/ und doch mit deme Unterscheide/ das sie von demeselbin irme Hoffe nach der Stat Rechte zu Gotha suln gebe iedis Jarß eynim halbin Virdung/ob sie von uns oder von unsern Nachkomlingin werdin gemanet/das wi wollin an unsir Bescheydenheit habe. Ouch ob ße setzin einen wertlichin Man in demeselbin irm Hoff/ die solde van siane Guthe also gevollich ist der vorgenanthin Stat tn alle Recht. Dysiz allis das hy besriben ist zu ein r ewigen Vestenunge unde Gedächtniße/ habe wye deme selbin Herrin unnde siner Sammenunge vnd irme dickingenantin Gotishuß zu Räynhartzborn gegebin dysin uffin Briff mit der Stat Insegele zu Gotha wol bevestint. Diße Briff iz gegebin nach Gotes Gebuhrte dreyzeenhundert Jar in deme selben in zwentzigsten Jare an der Mitwochen vor dem helgen Cristis Tage. Et hæc est ipsa domus, cujus

emtionem confirmat Elisabetha Landgravia die Veneris post festum diem S. Mariæ Magdalenæ: testibus usa *Eberhardo a Malsleiben, Dietherico de Sibeleiben, militibus, Dietherico de Vlleiben, Dietherico de Heistet, castrensibus in Gotha, & Hainemanno Abbt, servo suo.* Idem institutum anno CIↃ CCC XXXI. die Lunæ post festum SS. Trinirasis confirmavit Fridericus Landgravius, cujus præceptum sequentes approbarunt testes: *Gunthetus Comes Dominus in Swarzburg, Henricus Senior Advocatus in Gera, Fridericus Dominus in Wangenheim, Bertholdus Vicedominus ab Eckstet, Senior, Otto de Koteritz Marschalcus, Gotschalcus,* (Götze) *Schindekoph, Aulæ Magister.*

1330. §. XVIII. Anno CIↃ CCCXXX. Erfurtenses cum Friderico *Gravi*, Thuringiæ Landgravio belligerantes, villas circa Gotham incenderunt.

Auctor de Landgraviis cap. XCIII. *Erffurdenses aliunde CCC. lauceas conduxerunt, & cum Heinrico de Blanckenhayn cæpitaneo eorum civitatem exiverunt. & villas Marchionis circa Neuenmarck, Eottilstede,* Gotha, *Tungisbruchen rapinis & incendus destruxerunt.*

1331. e. XIX. Anno CIↃ CCC XXXI. Elisabetha Landgravia, Friderici Admorsi vidua, concedit Johanni Stranz de Tullstet, bona quæ habebat Schonaviæ vendendi. Quod factum Gothæ (uf dem Huse zu Gotha) die festo Petri ac Pauli. Sic igitur eadem emit Henricus Abbt Schultetus Gothanus, ac iterum vendidit monasterio Georgenthalico.

Hujus Henrici vidi legique Notitiam, ex qua nonnulla afferam. *Ego Henricus dictus Apt, opidamus & Sculetus in Gotha presentibus publice recognosco. -- -- quod ex favore, quem ad Vallem S. Georii semper habui pre ceteris speciali, omnia bona mea -- -- in villa & in campis ville*

Schön-

Schönowe situata, que quidem apud strenuum virum Johannem dictum Strantz de Tullestate, justo empcionis titulo mea pecunia comparari, religiosis ac honorabilibus viris, Domino Ottoni Abbati & Conventui supradicte Vallis S. Georii rite ac rationabiliter vendidi. -- .. Actum & datum anno Domini M. CCC XXXI. IIII. *Ydus Iulii, presentibus honestis viris, Domino Wernhero & Conrado de Rynckeleyben, Capellanis illustris Domine Elisabeth Marchionisse quondam Misnensis, Gottfrido de Naza, Castrensi ejusdem Domine in Gotha. Hermanno dicto Alxio de Buffeleybin, Henrico dicto Ernberti de Sunthusen, & quampluribus aliis fide dignis,*

§. XX. Anno CIↃ CCC XXXIV. Conradus Snoze Advocatus Gothanus notitiam edidit de renunciatione juris ad villam Kobenstede ab Eberhardo de Malsleiben Ottoni Abbati Georgenthalico venditam, ab hæredibus Eberhardi facta. 1334.

Hic Eberhardus consentiente Kunemundo filio, equite, Abbati & Conventui villam Kobenstet superiori anno publice vendiderat, eumque contractum auctotitate sua comprobaverat Elisabethæ Landgraviæ Scultetus Henricus Abbt. At vero cum hujus Kunemundi filius Heinricus de Malsleiben, & gener Theodoricus de Stuternheim id in sui præjudicium factum putarent, Abbatem Georgenthalicum in jus vocarunt: sed demum vel sponte sua vel ab aliis inducti renunciarunt liti. Id quod Conradus dictus Snoze, miles. Advocatus Elisabethæ Landgraviæ, Gothæ *in coemeterio fratrum ordinis S. Augustini in vigilia Palmarum hora completorii* actum affirmat, testes ejus rei laudans ipsum *Kunemundum de Malsleibeu, Heinricum Abbt Scultetum, Bertoldum de Wandesleiben, & Hermannum Boyme cives oppidi Gothani.*

§. XXI.

§. XXI, Eodem anno feria II. post Dominicam Judica Fridericns Gravis Landgravius Gothæ agens monasterio Reinhartsbornensi remisit censum hospitationis.

§. XXII. Anno ciↄ ccc xxxv. feria quinta ante festum Jacobi Apostoli Fridericus Landgravius Gothæ confirmavit permutationem quorundam bonorum inter monasterium Reinhartsbornense & Conradum de Varrenroda.

1335. §. XXIII. Eodem anno Senatus Gothanus domum Reinhartsbornensis monasterii in urbe sitam ab omnibns oneribus, immunem pronunciat, sic tamen, ut monasterium quotannis undecim cum dimidio solidos Senatui persolvat.

Prolixum quidem est Senatus Gothani privilegium: at quia varias Antiquitates continet, operæ pretium putavi, integrum cum benevolo Lectore communicare.

In nomine Domini Amen. Nos Gyntherus dictus de Swabehusenn, Albertus dictus Vinne Magistri Consulum Heinmannus dictus vor der Phortin, Johannes dictus de Vrimar, Conradus dictus Runtheri, Nicolaus de Ordorff, Johannes dictus Saxze, oohannes dictut Apt, Heyne dictus Beyger, Heinricus de Riffenheim, Tizil dictus de Wedilndorff & Guntherus dictus de Eschenber, Consules in Gotha, recognoscimus tenore presentium publice volentes ad univorsorum tam presentem quam futurorum notitiam devenire, quod cum Nicolaus dictus Cleinckoit, & Henricus dictus Wisvverg Magistri Consulum Dilberus dictus de Hundisborn, Reinhardus Fleisbower, Heinmannus vor der *Phortin, Bertoldus de Wigeleiben, Henrieus de Beringen, Conradus dictus Virley, Henricus de Trugeleiben, Hertwicus dictus Willekom, & Hermaunus dictus Ailbart, Consules nostri olim predecessores, Religiosis viris Domino Abbati & conventui monasterii in Reinhersborn, Curiam olim Bussrnis, sitam inter cimiterium & cu-*

& curiam dotis plebani Ecclesie sancte Margarete, & curias ex nunc Nicolai dicti Cleynekoif, Heurici Carpentarii ac plateam, quam contingit, emere & comparare annuissent possidendam perpetuo titulo proprietatis & libere, salvo dimidio fertone solvendo civitati nostre anno quolibet, si per nos nostrosve successores solutionis tempore monerentur. Cumque iidem religiosi super premissa curia & ejus libertatibus gratiam consensum & confirmationem Dominii civitatis nostre predicte videlicet Illustriss. Principis Domini, Domini Friderici Marchionis, ac inclite Domine, Domine nostre Elizabeth Marchionisse matris ejusdem obtinuissent, ut patet in literis super eo datis, quas vidimus in nulla sui partte vitiatas & audivimus sub justo tenore debito & affectu. Cum etiam eisdem religiosis & eorum monasterio octo solidos & sex denarios denariorum, Gothensium census hereditarii redeuntes annis singulis de octo agris & dimidio salicti seu salictum in campis Ville Ailsleben sitis prædicti monasterii proprictatis nos & nostra civitas essemus obligati & solvere teneremur, Nostris igitur & ejusdem nostre civitatis utilitatibus & libertatibus ut expedit, prospicere cupientes, nostrorum concivium, quorum intererat, omnium consilio ac gratia, ita voluntate praedictum dimidium fertonem ceteraque servitia ac subsidia, quem queve nos aut nostra civitas de predicta curia, ut premittitur, repetere habuimus, cum prescriptis octo solidis & sex denariis ac tribus solidis annui reditus nobis in bonis certis & competentibus assignatis, nobis & eidem nostre civitati procuravimus, & annuimus restaurari, unde predictis undecim solidis cum dimidio in restaurum dimidii fertonis hujusmodi & servitiorum seu subsidiorum quorumcunqne predicte curie acceptatis Dominum Abbatem Conventum ac Monasterium in Reinhersborn & jam dictam curiam suosque incolas & eidem Monasterio in eadem curia famulantes, de solutione annua predicti dimidii fertonis, cecerisque servitiis, subsidiis & petitionibus seu impetitionibus, que ratione curiarum in Gotha, fuerint seu fieri pote-

runt, ex causis seu casibus quibuscunque, si que ipsos vel dictam curiam possunt vel possent contingere de jure, facto, constitutione vel consvetudine quovis modo reddidimus & reddimus, pronunciavimus & pronuciamus effective, presentibus quitos, liberos & solutos, quitam, liberam & solutam libertantes seu liberos liberamve dantes a premisis omnibus in omnem eventum à nostris quoque Dominio & potestate, quod ad premissa omnia, excludentes curiam prefatam, favemus, indulgemus ac concedimus Domino Abbati, Conventui ac ipsorum servitionibus ejusdem curie incolis supra scripsis ex certa scientia, unanimi de consensu & eadem curia ipsius proptietate & libertate pro omni sua necessitate, utilitate, convenientia, commodo & honore, utantur licite, quocunque modo sibi congruere & expedire visum fuerit, nunc & in perpetuum, & fruantur nec per Statuta, seu Constituta per nos, nostros predecessores successoresve constituenda aut alia jura privata seu muuicipalia premissa libertatem & quam predictis quocunque casu vel causa infringendam aliqualiter vel mutandam, sed virtute concessionis nostre hujusmodi predicti restaurique pretextu prenotata libertas Domino Abbati, conventui, suorum servitionibus & curia sepefatis acquisita & data per nos defensetur, conservetur incommunitabiliter, & in perpetuum perseveret. Hoc tamen evidentius nobis salvo, si predictus Dousinus Abbas & Conventus Curiam hujusmodi personis committerent vel locarent, & hi de bonis suis pro dominii censibus vel subsidiis procurandis aliorum more concivium responderent indistincte, sed ad nocturnas vigilias ad valvarumque custodias pro civisatis custodia sepedicte curie incole prescripti restauri virtute nullatenus teneantur. Hæc civitati servitia de curiis quia fiunt, ab hiis namque & quibuslibet aliis civitatis nostre servitiis ut premittitur, & ex premissis causis eandem curiam eximimus & eximimus in hiis scriptis. In ratibabitionem autem & testimonium omnium premissorum sigillum civitatis nostre una cum sigillis Domini Abbatis, Conventus predicti

Mona-

Monasterii ac subscriptorum testium presentibus est appensum. Nos quoque Heinricus Dei Gratia Abbas totusque Conventus Monasterii in Reinbersborn sepedicti recognoscimus, quod de bona voluntate totius nostri Conventus unanimi & consensu, supprascriptos undecim solidos cum sex denariis in restauram dimidii fertonis annui premissi & loco servitiorum subsidiorum curie memorate eidem civitati in Gotba, deputavimus, & deputamus præsentibus, ut premittitur perpetue servituras. Vnde in robur similiter & testimonium valiturum omnium pretaxatorum sigilla nostra una cum sigillis jam dicte civitatis & testium subustatorum presentibus duximus appendenda. Testes horum sunt, viri strenui Theodoricus dictus de Sebeleibin, Conradus dictus Snoze milites, Heinmannus dictus Apt, Advocatus inclite Domine, Domine Elisabeth Marchionisse, ac plures alii fide digni. Et nos Th. Conradus & Heinmannus jam dicti testes recognoscimus, quod in testimonium omnium similiter premissorum ad rogatum Domini Abbatis Conventus & civium predictorum sigilla nostra cum eorundem sigillis presentibus sunt oppensa. Datum anno Domini millesimo CCC XXXV. Anno tamen CIↃ CCCXLIV. etiam hunc censum Reinhartsbornensi monasterio remissum fuisse, infra adhunc annum observabimus.

§. XXIV. Anno CIↃ CCC XXXVI. Heinemannus 1336. Abbt Advocatus Gothanus testatur, Theodericum & Ludovvicum de Kobensted redemtioni quatuor mansorum ad villam Dietendorf sitorum & monasterio Georgenthalico a Patre Vlrico venditorum publice renunciasse.

Ego Heylmannus dictus Apt, Advocatus in Gotba manifeste recognosco tenore presentium literarum, quod licet strenui Viri Thodericus ac Ludewicus de Nobenstete fratres vel eorum heredes quatuor mansos terre arabilis sitos in campis ville Dietendorff donatos pro quadraginta & quinque marcis puri argenti nomine testamenti per quendam Vlricum de Kobenstete

ftete militem, patrem eorum felicis recordationis, in memoriam animarum sue & suorum posterorum monasterio Vallis S. Georgii ordinis Cisterciensis, sicut in eadem donatione eorundem extiterat, potuissent reemisse pro dicta pecunie quantitate, tamen sponte hujusmodi reemptioni expresse renunciando eosdem mansos cum juribus & pertinenciis suis jam dicto monasterio simpliciter & libere -- --vendiderunt: --- nec non eosdem mansos coram me presidente judicio in Curia Aphelstete sponte resignarunt, & ad petitionem eorum predicto monasterio possessionem & omne Jus eorundem mansorum sicut hactenus habuit tradidi & justitialiter presentavi.-- -- Testes sunt strenui Viri Albertus de Gondersleyben, miles, ac Heinricus Snoze, Wermherus de Witzeleiben, Schultetus in Gotha & Dyzero Bertradi oppidami ibidem, Hermannus dictus Schreiber de Kobenstete, & plures alii fide digni. Datum anno Domini millesimo CCC XXXVI. *in crastino Festi Annunciationis beate Marie Virginis gloriose.*

1338. §. XXV. Anno CIↃ CCC XXXVIII. Fridericus Landgravius Gothæ, in die B. Matthiæ Apostoli, monasterio Reinhartsbornensi confirmat bona ab Heinrico Domino de Salza coëmta.

Presentibus (ut habent ipsa verba) *& testibus fidelibus nostris, Friderico Domino in Wangenheim Petro Purckh Mareschal- & Gotfrido Schindekop, Curie Magistro Friderico de Hemsberge, Johanne de Suweschin juniore, militibus, Conrado nostro Notario plebano in Wirbene, & quampluribus aliis fide dignis. Actum & datum in Gotha.*

1342. e. XXVI. Annu CIↃ CCC XLII. Bertholdus de Wandesleben Senator Gothanus cum uxore Jutta, in gratiam filii Ticelonis noni monachi Georgenthalici huic monasterio dicabat dimidium mansum Illebiæ.

Cum enim Ticelo ille pro more vitam profiteretur monasticam Parentes agrum adscripserunt cœnobio: sed quem

quem tamen mox ab eodem recepere pro eo quetanais maldrum frumenti Erfurtenſis menſuræ ſe ſoluturos in ſe recipientes.

§. XXVII. Eodem annò Apelo de Warza, civis Gothinus monaſterio Georgenthalico aliquot bona vendidit.

Tetes ſunt *honeſti viri, Bertoldus de Wandesleiben Ekkehardus de Wygeleiben, Daniel de Molburg, Oppidani in Gotha,*

§. XXVIII. Anno CIↃ CCC XLIV. Senatus Gothanus Abbati Reinhartsbornenſi remittit cenſum de domo ſibi debitum. 1344.

Privilegii formula hæc eſt:

WIr Johannes von Wechmar/ unde Courad Rincher Ratismeiſtere/ Günther von Schwabehuſen Arnold Hothirman/ Titzel von Bertrade/, Henrich von Bechſtete/ Walther von Mittelhuſen/ Johannes Sachſe/ Titzel von Widelndorff/ Hartung Werſing/| Hartung Wulleber/ unde Henrich Mennechen/ die Rait zu Gotha/ bekennen an dieſeme uffin Brife/ daß wir durch Nutz unſer Stadt/ mit Vorbedáchtigkeir unde eintráchtigene Willen unſer Mittebórger/ gein nundehalben Schillinge Pfenninge ewiges Zinſes/ den wie ſolden gebe alle Jar den geiſtlichen Mannen/ dem Apte/ und der Samenunge zu Reinhersborn/ von Weiden/ unde anderme Guthe zn Ailsleben/ habe wie gvarſatz unde ledick geſeit/ unde ſein ledig eintráchtlichen ein halben Vierdung deu dieſelben Apt unde Samenunge ſolden gee unſer Stadt alle Jar/ wanne ſie es worden gemanet/ von irme Hove den ſe gebuwet haben/ die da lit an Sente Margrethen Kirchove czu Gotha/ nnd auch habe wie an ſie gewiſt en gegeven und ledig geſeit ein lot/ und alle das uns unde unſer Stadt gebort von dem Hove/ die an irme Hofe gen Sente Margarethen Khore lit/ die nu inne wanen die Geſchweſtere Elſebete und Mechtild von

Tuleleiben/ alſo daß ſe mit demeſelben Hove und ſin Gebuwe is mugen geſchicke unde mache/ nach irre Beqvemlichkeit/ wann es der Gunſt iß/ dy en beſitzen. Och ollen von dieſes Wechſels unde Orſatzunge Wein vorbeſchriben dheime unſe Brive vorgegeben dem Apte und Sanmenunge ober demſelbenn iren Hov nicht werde gekrenkit an dheiner Vriheit darůber gegeben. Unde ouch das alle dieſe vorbeſchriben Rede unde Taat bliben ſtete undeewekliche unvirbrochen/ habe wir darůber zu eine Orkunde und geczugeniße gegeben dieſen Brieff under unſer Stad zcu Gotha Ingeſegelce gegeben zcu Gotha in u ſme Rate nach Go:is Gebort dritzenhundert Jar/ in deme vier und viertzigſten Jare/ an deme Dinſtage nach Mittevaſten.

1349. §. XXIX. Anno CIↃ CCCXLIX. Iudæi veneficii ſuſpecti, perinde ac in aliis oppidis Thuringiæ, trucidabantur.

Ieremias Wittichius in in Notis ad *Gotha Geographiam metricam:* An. C. 1349. *Iudæi Gotha, & deinceps tota Thuringia ejecti fuerunt, occiſis aliquot millibus.* Confer Spangenbergium in *Chronico Saxonico cap. 288.* ubi & de hoc anno ſequentes affert verſiculos:

Peſtis regnavit, plebis quoque m ll a ſtravit,
Inſolitus populus flagellat ſe ſeminudus,
Contremunt tellus, populusque crematur Hebræus.
Inclytus atque p us Princeps obiit Fridericus.
Fit terræ Dominus Fridericus filius ejus.

1350. §. XXX. Anno CIↃ CCCL. cnm Helmburga Cummerers civis Gothana una cum filia renunciaret liticum monaſterio Georgenthalico de prato quodam in Ordorf, Senatus Gothanus id teſtimonio ſuo combrobavit.

Wir Cunrad Runicher und Günther Hottermann/ Rathis Meiſtere und andere Rateleute der Stadt zu Gotha bekennen -- -- gegeben nach unſers HErrn Chriſti Geburt dritzenhundert Jar in deme funfzigſten Jare/ an Sant Severs Tage.

§. XXXI.

§. XXXI. Anno CIↃ CCC LI. Fridericus Strenuus Landgravius Gothæ quarta die post Pentecosten confirmavit permutationem quorundam bonorum inter monasterium Reinhartsbornense & Fridericum ac Hermannum de Mila. 1351.

Hujus rei testes afferuntur a Landgravio; *Timo de Colditz noster Marschalcus, Arnoldus Ludemannus Magister Cameræ, Cristanus de Witzeleiben, Judex curiæ, milites, Frater Conradus Cellerarius de Reinbersburn, ac strenui Hermannus de Myla, Henricus de Loucha, Th. de Limpach noster Protonotarius, nostri Secretarii & fideles dilecti, pluresque fide digni & honesti.*

§. XXXII. Anno CIↃ CCC LIII. Guntherus Willekom civis Gothanus in monasterium Georgenthalicum se recepit, eidemque pleraque bona sua legavit, sic tamen, ut de quotidiano victu ipsi prospicerent.

Hujus Guntheri soror erat Margareta conjux Christiani a Scharfenstein quæ Fratris proposito consentiebat.

§. XXXIII. Anno CIↃ CCC LIV. Fridericus Landgravius Gothæ egit in die B. Virginis Dorotheæ.

Ibidem enim confirmavit monasterio Georgenthalico varia privilegia.

§. XXXIV. Anno CIↃ CCC LVII. Reinhardus de Wandisleben civis Gothanus monasterio Georgenthalico bona quædam vendidit.

Accessit consensus uxoris *Kunigunda* (kunnen seiner ehelichen Wirthin) *Tizelonis, Ottonis, aliorumque suorum hæredum*, & confirmatio *Werneri de Wizleben Sculteti Gothani, die S. Vrbani,*

§. XXXV. Anno CIↃ CCC LVIII. Fridericus & Balthasar Landgravii Thuringiæ Marchiones Misniæ, Osterlan-

landiæ ac Landesbergæ, Comites Orlamundæ ac Domini terræ Plisnensi, consentiunt in permutationem bonorum quorundam ad Cellam S. Blasii pertinentium. Id quod factum Gothæ die Jovis post Festum Paschatos (Donnerstag nach dem Oberstage.)

Præceptum Landgraviorum memorat consensum aviæ Elisabethæ. Testes sunt *nobiles ac strenui Fridericus de Wangenheim, Christianus de Witzleben, aulæ Judex, Heinricus à Kötteritz Cancellarius, Arnoldus Ludemann, Magister Cameræ, Henricus à Brondenstein, Ulricus de Tenstet Marschalcus, Heizo de Falcken milites.*

§. XXXVI. Eodem anno Wernerus de Witzleben Scultetus Gothanus bona quædam Buflebii Monasterio Reinhartsbornensi vendidit: idque consentiente Domino feudi Diterico Pincerna in Bedere.

§. XXXVII. Anno CIↃ CCC LX. Fridericus Landgravius, Johannem & Gunthierum ftatres Comites Svvarzburgicos Dominos in Wassenburg & monasterium Georgenthalicum diu discordes in gratiam reduxit Gothæ.

Idus die Martii post Dominicam *Quasimodogeniti infantes.*

§. XXXVIII. Eodem anno Balthasar Landgravius Gothæ agens, Heinricus Abbati Portensi concessit potestatem judicii criminalis exercendi in pago Leutenthal.

Pertuchius in Chronico Portensi.

Hoc anno *Bertoldus de Schafferad* & *Conradus de Salza* sacerdotes Capellani Conventus S. Crucis erant, & *frater Conradus de Ordorff* Procurator domus.

1362. §. XXXIX. Anno CIↃ CCC LXII. Heinricus de Sibeleben castellanus in Gotha, ejusque uxor Sophia, ac filii, Hermannus, Heinricus, Johannes & Heinricus, Ichtershusano monasterio vendunt ttia pondo argenti in Retbich; idque consentiente ac confirmante Friderico Landgravio.

Testes

Testes sunt viri strenui Cristanus de Witzleiben, Diterieus ab Hensperus Marschalcus (in confirmatione Friderici Landgravii vocatur *Judex curiæ*) *est de Stuternheim, Henricus a Loucha, milite, Hartmannus à Woln, servus. Gotha die Lunæ post Dominicam quando cantatur Exurge.*

§. XL. Anno CIↃ CCC LXIII. Elisabetha Goldneria, Begina, testamento condito in varios usus sacros legavit certos census annnos. 1363.

Notitia hujus testamenti tum propter circumspectam Matronæ liberalitatem, tum propter memoriam Decani, sculteti aliarumque personarum tum temporis florentium ut integra afferatur, digna mihi visa est.

Nos Paulus Decanus Ecclesie S. Marie Gothen Henricus dictus Kleynecuf Canonicus ibidem, Nycolaus dictus Tram, ejusdem Ecclesie plebanus, Petrus Notarius civitatis predicte, Reynhardus dictus Kardinal Scultetus tunc temporis ibidem, & Guntherus dictus Fritag, Provisor Ecclesie S. Marie predicte. Recognoscimus dilucide presentibus protestando- Quod Elisabeth dicta Goldinern Begina in nostra constituta presentia, corpore & mente sana, sue salutis anime non immemor, quedam sua bona hereditaria, ipsam pro sua portione contingentia ex divisione hereditatis facta prius coram nobis inter eam Elisabeth & Dominum Conradum Goldiner ejus fratrem, videlicet unum quartale mansi proprii terre arabilis cum superfluo, quod vulgariter obirlende dicitur situm in pago civitatis Gotha, locatum tamen seu expositum prius per dictam Elisabeth, Theoderico dicto Gesser Opid. Gothens. & suis heredibus perpetuo pro censu dimidie marce puri argenti, per ipsum & suos successores, de his singulis annis perpetuis temporibus dando, nec non dimidiam marcam -- -- & duos pullos annui & perpetui census procedentes de curia Henrici dicti Fromman sita extra muros Gothens. ante valvam Erfortensem de censu expresso, & bona voluntate predicti Domini Conradi sui fratris & in nostra presentia constituti, sane mentis & corporis, cujus tunc tanquam heredis pro-

proximioris intererat, justa & perfecta donatione inter vivos sponte dedit & irrevocabiliter perpetuo tradidit, ac libere resignavit pro quodam testamento, perpetuis temporibus ut subscribitur, peragendo per Altermannos seu provisores vel Magistros fabrice Ecclesie S. Marie Gothensis predicte, in remedium animarum Domini Conradi Elizab. predictorum, ac suorum progenitorum sic quod ipsi Altermauni seu provisores ac Magistri fabrice dicte Ecclesie pro tempore existentes prescriptos census singulis annis perpetuis temporibus colligere & percipere debeant, & de eisdem censibus tres fertones vel denarios equivalentes distribuere in cena domini post meridiem pauperibus indigentibus pro stipa perpetua, videlicet cuilibet pauperi unum denarium, quamdiu denarii horum trium fertonum durare poterint, residuum vero fertonem & duos pullos sic distribuant, principaliter ipsi provisores vel Magistri fabrice dicte Ecclesie hujus testamenti executores de hoc tres solidos denariorum & duos pullos recipiant pro laboribus suis, & de residuo in anniversario progenitorum Domini Conr. & Elisab. predictorum singulis annis perpetuo peragendo feria secunda post diem Palmarum de vespere cum vigiliis & missa pro defunctis feria tertia immediate sequente. dent pro presentiis in eisdem vigiliis Domino plebano sepedicte Ecclesie tres solidos denariorum, & reliqvum distribuant inter Vicarios ejusdem Ecclesie sacerdotes presentes, sic quod tamen Rector parvulorum & campanarius dicte Ecclesie portionem aliquam de his obtineat. Insuper predicta Eliz. renunciavit omni juri sibi in dictis bonis seu censibus competenti simpliciter & expresse, faciendo coram me Reynhardo Kardinal predicto, pro tunc Sculteto Gothens. & testibus supra scriptis de hoc resignationem debitam ad manus meas, & ego de hiis provisorem Ecclesie prefate Guntherum Fritag tunc temporis existentem in possessionem, ut de proprio fieri est consvetum. Censuales nominetenus prenarrati ab eodem Gunthero jam dicto nomine Provisoratus dicte Ecclesie dicta bona

bona jure emphiteotico receperunt, obligantes, se & suos successores perpetuo ad dandum & persolvendum de hiis ut prescribitur, censum memoratum. In quorum omnium premissorum evidens testimonium & observationem perpetuam presentes literas super eo dedimus, & ad petitionem Elizabeth & Domini Conradi sui fratris sepedictorum, nostris videlicet Pauli Decani, Heinrici Cleynekouf Canonici, Nycolai plebani, Petri Notari Gothensis, & Guntheri Fritag predictorum sigillis, quibus & ego Reynhardus Sculte- tus prefatus, cum ad presens proprio sigillo careum, utor in premissis, firmiter roboratas. Datum anno Domini M CCC LXIII. *Feria sexta post Dominicam Letare.*

§. XLI. Anno CIↃ CCCLXIV. Vicaria S. Gothardi in Curia Gothana a Wulleberis fuit fundata. Eandem anno CCCLXVII. XX, Maii confirmavit Archiepiscopus Moguntinus. 1364.

§. XLII. Anno CIↃ CCCLXV. Albertus Kalve, Heinricus ejus filius, oppidani in Gotha, vendiderunt monasterio Georgenthalicol dimidium terre arabilis situm in pago & campis villæ Busleben. 1365.

§. XLIII. Anno CIↃ CCCLXVI. Fridericus, Balthasar, ac Wilhelmus, fratres Landgravii, servo suo discreto, Heinrico Voigtio (dem bescheiden Heintze Voiten ihrem Hoffdiener) deputabant certam pecuniam de tributo cerevisiario quotannis accipienda. 1366.

Tributum cerevisiarium appellavi, quod in Notitia Landgraviorum dicitur das Bier-Recht. Summa pecuniæ erat sechs Pfund Pfennige. 1370.

§. XLIV. Anno CIↃ CCC LXX. circa festum Paschatos Heinricus de Baldenstet, Reinhardo de Wigeleben civi Gothano vendebat dimidium mansum in Reinstet.

Testes contractus laudantur *Dieteicus de Balderstet, Heinrici frater, Guntherus Snotze, Hermannus Pfantzgrefe, Heinricus Wyncher.*

1372. §. XLV. Anno CIↃCCCLXXII. iidem Landgravii, in gratiam Abbatis Georgenthalici, vico Hohenkirchen, nundinas singulis diebus Dominicis celebrandas permiserunt: ea tamen lege, ne istæ urbi Gothanæ detrimento forent.

Testes privilegii laudantur, *Nobiles, Heinricus Burggravius de Starckenberg, Dominus Fridericus de Schonburg, Dominus in Glaucha, Fridericus de Wangenheim, Strenui, Christianus de Witzleben, Heinricus de Lengefeld, Marschalcus.* Perscriptum est Isenaci, die Martis post festum S. Vlrici. Non diu tamen durarunt hæ nundinæ, utpote Ernesti Comitis Glichensis subditis damnosæ: ac anno -- LXXV. compositio inter Comitem & Abbatem eo nomine facta est: quo de latius egi in *Historia Comitum Glichensium MS.*

§. XLVI. Hoc & sequentibus annis obstagii consvetudinaria jura obtinuerunt Gothæ.

Nam dum laudato anno 1372. Heinrico Abbati Georgenthalico bona quædam venderentur a Diterico de Sibeleben, vadimonium pro venditore præstiterunt Diterıcus miles, & Hermannus, cognati de Wechmar, Heinricus de Herstet, Wechmariæ habitans, Heinricus de Stuternheim, & Hermannus de Sibeleben, in Guntersleben; ea quidem lege, ut, si Ditericus Abbatem falleret, ipsi Gotham adirent, non prius agressuri, quam Abbati satisfactum esset satis. Verba hæc sunt: Die solden von Stund an/ nach der ersten Manung ir iglich mit ein Knecht und mit zween Pferden inritten in die Stadt cu Gotha inn eine gemeine Herberge/ da sie ingeheischt werden/ und da leisten/ und Inleger halden/ also das Recht und Gewonheit ist. Aliud exemplum reperio anno 1380.

ac iterum anno 1387. item anno 1412. Sed de ipſo Obſtagio eleganrisſimā ſcripſit diſſertationem, quondam Academiæ noſtræ nunc Gothæ decus ac del/c:um, Iohannes Iacobs, Sereniſſimo Duci FRIDERICO a conſiliis. Dietericus ille de Siebeleben patrem habuit Hermannum, patruum Henricum. Hermannus autem graviore alieno preſſus multa bona ac reditus oppignorare ac vendere compulſus fuit.

§. XLVII. Anno CIↃ CCC'LXXIII. Senatus Gothanus fidejuſſorem agit pro Balthaſare, Friderico & Wilhelmo Thuringiæ Landgraviis a civibus quibusdam Erfurtenſibus bonam pecuniæ ſummam mutuantibus. 1373.

Atque id propter Balthaſar Landgravius, per fratrum abſentiam Senatui Gothano reddit ſyngrapham, ex qna nonnulla repetemus:

Wir Balthaſar von Gottes Gnaden Landgraffe in Thürin-
gen/ und Marggraffe zu Myſſen/ bekennen -- daß unſe
Bürgermeyſter/ Geſworne und Bürger gemeynlich der
Stadt zu Gotha/ unſe lieben getruwen/ ſich doch unſer bete
willen vor uns und unſer lieben Brüder/ Herrn Fridrich
und Herrn Willhelmen geſaßt haben im dreiſig Marg
Geildes lotigs Silbers Erfortiß Gewichtes/ wiſſe und we-
re/ kegin Diteriche und Hartunges/ Heinr. ſeinen Bruder
und Hanſen Apleyn Bürgern zu Erforte wieder zu kouffe-
ne umme achte hundert Pfund guter nnd genger Erforter
Pfennige/ des haben wir demſelben unſern Bürgern
gelobt und geloben -- daß wir ſie der vorbiſchriben Tzinſe
und auch des Geildiß umme den Wiederkouf in alle wis-
wollen nnd ſollen abenemen an allen irn Schaden. und daz
ſulle wir on eynden alzo ſchire/ als die obgenannte unſe Brü-
der zu Lande kcmmen. -- An der krummen Mittewochen
nach dem Palm Sontage.

1374. §. XLVIII. Anno CIↃ CCCLXXIV. Ditmarus Hermanni Meidefouls civis Gothani filius, cujus patruus erat Bertholdus, monachus factus est Georgenthall.

1375. §. XLIX. Anno CIↃ CCC LXXV. Nicolaus Freitagius Senator Gothanus cum uxore Catharina, & genero Daniele Vohum monasterio Georgenthalico adscribunt dimidium mansum in campis Sunthusanis.

Testes sunt *sapientes ac prudentes viri* (die weisen klugen Lüte) *Guntherus Freitagius, Nicolai frater, Dietericus Protzel, Heinricus de Sattinstedt, Hortungus Iani.* Quia autem Nicolaus ille à Diterico Engeln, Advocato Tennebergensi *vir sapiens ac prudens vocatur*, non dubium est, quin fuerit Senator ututin notitia non nisi civis Gothani nomen habeat.

1380. §. L. Anno CIↃ CCC LXXX. Senatus populusque Gothanus Nicolao Helffero, Friderico de Nordhausen Margarethæ hujus uxori, eorumque hæredibus vendunt viginti Sexagenas grossorum annuatim de censu Balthasari Landgravio in curia solvendorum pro ducentis Sexagenis grossorum Fribergensium.

Factum id die S. Margarethæ ex decreto laudati Landgravii, ea conditione, ut Landgravius aut Senatus capitalem summam redimere possent.

1383. §. LI. Anno CIↃ CCC LXXXIII. Balthasar Landgravius Gothæ agens Ecclesie Portensi contulit pagum Spilberg, quem Johannes Abbas ab Heinrico Pincerna de Saleck emerat.

Pertuchius in Chronico Portensi.

1386. §. LII. Anno CIↃ CCC LXXXVI. Balthasar Landgravius Apollonio sne telonium, tributum monetarium, & officium Schulteti (den Zollschlegel-Schatz und Schuldheißen Ambt) certis cum conditionibus credidit.

Hæ

Hæ quidem erant, ut centum ac decem pondo nummorum (110. Pfund Pfennige) numeraret eandemque summam ipse una cum fratre Johanne, Landgravii cellario (Hauß-Kellner) ex dictis reditibus reciperet: quod si verò reditus isti altiùs exurgerent, id omne persolveretur Landgravio: si summam constitutam non attingerent, Landgravius indemnis foret. Hoc anno die veneris post festum omnium Sanctorum Balthasar Landgravius Gothæ fuit.

§. LIII. Anno CIↃ CCC LXXXVI. die S. Luciæ Senatus Gothanus homagium præstitit Wilhelmo Landgravio, ea quidem lege, ut si ejus frater Balthasar Thuringiæ Dominus sine hæredibus masculis excederet vita, eidem ac ejus hæredibus parerent masculis: ita tamen ut hoc homagium non præjudicaret alteri, quo Margaretæ Landgraviæ nomine dotalitii per vitam habendi se obstrinxissent. 1387.

Fuit ergo hoc homagium, ut loqvuntur, eventuale. Hoc tempore Magistri Consulum erant Guntherus Freitagius junior & Helwigius de Molsleuben, Consules autem Nicolaus Wedelndorf, Heinricus Wersing, Conradus Franeke, Gerbato Vinne, Nicolaus Ordorf, Kirstanus Escheleben, Johannes Sachse, Dietericus Sirsenhayn. Margareta illa qua de loquitur Notitia Homagii, fuit Landgravii Balthasaris uxor altera, Johannis Burggravii Norimbergensis filia, quam miror à nonnullis scriptoribus Genealogicis prætermitti.

§. LIV. Eodem anno Albertus Sne Advocatus Gothanus testatur Dietericum de Sibeleben certos census ac bona quædam monasterio Georgenthalico resignavisse.

Noti-

Notitiam sic exorditur Advocatus: Ich Albrecht Sne/ Voit zu Gotha/ des Hochgeborn Fürsten/ myns Herrn/ Herrn Balthasars Landgraven zu Döringen -- am S. Ambrosii-Tage/ des heiligen Bischoffs.

1389. LV. Anno CIƆ CCC LXXXIX. Capitulum Gothanum ac monasterium Reinhartsbornense domum inter se commutant in oppido Gothano.

Nos Johannes Decanus, Johannes Scolasticus & Petrus Cantor totumque Capitulum Ecclesie Sancte Marie in Gotha Maguntin. diocesis tenore presentium recognoscimus publice in hiis scriptis, quod bona inter nos deliberatione prehabita, unanimi de consensu quondam domum sitam in monte sancte Marie in Gotha, quam olim Hermannus de Vrbeche tenebat, & nunc Conradus de Drivordia aurifaber oppidanus Gothensis inhabitat, à nobis jure hereditario cum omnibus juribus & pertinentiis suis ad nos & ad nostrum capitulum tunc justo proprietatis tytulo pertinentem, & de ea singulis annis pro censu in festo S. Michaëlis quinque solidos solventem, cum venerabili in Christo Patre & Domino, Domino Frederico Abbate, Johanne Priore, totoque conventu monasterii in Reinhersborn, ordinis Sancti Benedicti prefate diocesis, pro quadam domo, quam olim Dominus Laurentius dictus Waltman subdiaconus possedit & nunc Dominus Hermannus wolffhain Canonicus predicte Ecclesie sancte Marie possidet, de qua eis solvebantur singulis annis pro censu hereditario in festo Michaëlis quinque solidi denariorum Gothensium, ad nos juste proprietatis rite & rationabiliter, censum pro censu cum eorum proprietatibus invicem permutavimus justo proprietatis tytulo perpetue possidendum: transferentes in eosdem Dominum Abbatem, Conventum & Monasterium in Reinhersborn eodem permutationis tytulo omne Jus, quod nobis ac nostro capitulo in predicta domo Conr. competebat, seu competere videbatur promittentes eos & eorum monasterium de eadem domo secundum justitiam

tiam & terre consvetudinem amicabiliter warandare. In cujus rei testimonium ac firmitatem perpetuam sigilla nostra, scilicet Decanatus & Capituli prædictorum presentibus literis sunt appensa. Datum Gotha anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo nono die S. Margarete Virginis & Martiris.

§. LVI. Anno CIↃ CCC XCI. agrester quidam, mota contra Judæos seditione, capitali supplicio sunt affecti Gothæ. 1391.

Auctor de Landgraviis cap. 132. *Anno Domini MCCCXCI. quidam villani de villis prope Gotha ex inductione aliquorum civium de Gotha, intraverunt civitatem Gotha contra Judæos, volentes ditari: & irruentes in eos occiderunt plures, rapuerunt bona eorum. Quorum occisorum quidam decapitati sunt, & capitalem sententiam in præjudicium Principis & civitatis attentare præsumserunt.*

§. LVII. Anno CIↃ CCC XCVI. Balthasar Landgravius Heinrico ab Erfa, Equiti & Domino in Erfa adscribit partem annui verbis Gothæ. 1396.

Ex Notitia Heinrici potiora adscribo: Wir Heinrich von Erfa Rytter und Here daselbst bekennen - also unsir gnädiger Herre/ Her Balthasar Lantgrafe in Düringen und Marcgraf zu Mißin/ Sybin Marg lotiges Silbers Erforth: zeychens wisse und gewichtis und sechs Schog guter Freybergir Großchin ierliches Tzinßes an synen rechtin Jar-renten an der Stad zu Gotha vorschriben und gewießed had/ ierlich aufzuhebin biß Absolgunge daz er dy wedder von uns gelößed/ nach Lutde des Brieffes den Er uns darüber gegeben hat. -- Also gelobin wir -- ob unsir gnädigir Here oder syne Erbin dy Loßunge verkundigten/ odir ob wir unser Gelt woldin wedder haben und wulden dez nicht lengir lassen stehin/ - daz wir dye egnante Stadt Gotha/ und alle ere Metteburgir umb dy Loßunge dez

Hoptgeldes nicht manen noch in keyn wiß anvegthin sullin.
Datum -- Sabbato in septimana Pasche.

1407. §. LVIII. Anno CIↃ CCCC VII. Fridericus Landgravius monesterio Ichtershusano adscribit V. marcas argenti a Senatu Gothano de censu annuo festis S. Walpurgis ac S. Michaelis solvendis.

1428. §. LIX. Anno CIↃ CCCCXXVIII. Fridericus junior Landgravius ejusque uxor Anna Schvvarzburgica monasterio Georgenthalico sex marcas argenti (6. lötige Marck Silbers Jährlicher Rente) quarum duas Senatus Gothanus ab excessu Margaretæ à Sebach quotannis exsolveret, dono dederunt.

Præceptum donationis scriptum die Dominico ante festum Luciæ.

1433. §. LX. Anno CIↃ CCCC XXXIII. Certa Lavacra in gratiam pauperum, eoque nomine pro sacris habita à Johanne Happio, Canonico montis S. Mariæ, fuerunt instituta.

Sæpicule in antiquis scripturis memoriam ejusmodi lavacrorum (Seelbade singulari nomine appellantur) reperi: at nunquam tam expresse quam in notitia, quam servat Amplissimus Senatus Gothanus. Ex ea rem gestam paulo disertius exponemus. Erat civis & fortean balneator Gothæ, cui nomen Conradi Hamsteri, uxor Eyla. Et hic quidem viro reverendo Johanni Happio, Canonico Ecclesiæ S. Mariæ tradidit tria, ut vocat, æterna communia lavacra sacra, (Seelbade) quotannis singulariter instituenda singulis diebus Jovis quatuor temporum (auf den Donnerstag einer/ iglichen Weihfasten) vel, si is feriatus foret dies, sequenti die Lunæ aut Martis: quæ quidem lavacra ipsi deputarunt in balneo in platea Hutziliana sito: quod Magistris Consulum, Consulibus ac Camera-

uls

merariis civitatis quotannis solvit LII. solidos (sc. Schilling Pfennige) & quatuor gallinas, censu hæreditario: quo nomine jam Happius XXX. Rhenanos solverit. Et verò in se recipit venditor suo, hæredumque ac posterorum balneum illud possidentium nomine, dicta quatuor lavacra statis temporibus quotannis more majorum sancte habenda, pauperes, qui lavare velint, commode fovendos, tonsori, & omnibus servis, qui in taberna balneatoria occupentur, mercedem exsolvendam, pueros scholares advocandos, ut in laudem Dei paræ decantent hymnum, *Salve Regina*, pauperes admonendos, ut pro emtoris ac fundatoris omniumque credentium animabus orent, Præterea cautum, ut Parochus, Procuratores (die Altar-Leuthe) ac æditιuus Ecclesiæ S. Mariæ quater quotannis, quandocunque ipsis commodum, in hoc balneo lavent gratis, nec ulli servulorum aliquid persolvant: Idque quia Parocho incumbat, tempus sanctis illis lavacris destinatum, & si quæ forsan Eleemosynæ in posterum his jungendæ, publice ex ambone denunciare pauperibus. Hoc institutum consensu suo firmarunt *Guntherus à Greussen*, & *Bernhardus Zahnius*, magistri consulum ac Consules Gothani, die Veneris post festum conversionis Pauli.

§. LXI. Anno CIↃ CCCCXXXV. Opificium textrinæ lanariæ floruit Gothæ. 1435.

Quod sequentis notitiæ die Martis post Quasimodogeniti initium ostendit. Wir mit Nahmen Hanß Tauffel und Hanß Frutstedt/ zu dieser Zeit Handwercks-Meister/ Hartung Schröter Zeichenmeister/ Hanß Francke/ Gunther Frudstedt/ Lutze Blümeler/ Apel Escheleben und gantzes Handwerck der Wollenweber.

§. LXII. Anno CIↃ CCCCXXXVI. die Lunæ in Virgilia Philippi & Jacobi, Fridericus Landgravius Gothæ 1436.

agens, Reinhartsbrunnensi monasterio centum florenos legavit annuos, quorum septuaginta Senatus Saltzensis, ac triginta Senatus Gothanus, cujus fidem multum æstimat Dominus, persolverent.

Verba quædam ad Senatum Gothanum spectantia excerpam ex Landgravii literis anno CIↃ CCCC XXXVII. die Lunæ post diem Simonis & Judæ Apostorum in hac causa datis. Und uwern gantzen Vliß doby habt/ sollich unser Testament Jerlichin mit der Spende/ Sehlbade und Begengkeniße redelichen und erlichen ußzurichten und zubestellen. Nach dem wir besundern Getruwen und gantzen Glouben zu uch haben/ daran verdynt ihr besundern Lohn mit von Gote/ und ihr thut uns besundern grossen Wohlgefallen und zu dancke,

1439. §. LXIII. Anno CIↃ CCCC XXXIX. Fridericus junior Thuringiæ Landgravius Gothæ monasterio Reinhersbornensi confirmat census eidem à Ludovico ab Horsilgavv assignatos.

Initium notitiæ ita habet: Wir Frederich von Gotis Gnaden/ Landgrafe in Dörlngen/ Marggrafe zu Mißenn und Pfaltzgrafe zu Sachsen bekennen -- Finit autem ita: Hirby sind gewest/ und gezaigen die Edeln und Gestrengen/ unser Heymelichin und libin getruwen/ der Edele Herr Bode/ Grave und Herre zu Stalbergk/ unser Hovemeister/ Er Frederich von Hopfgarten/ Er Fredrich von Witzeleiben/ Er Heinrich von Husen/ unser Ober-Marschalck/ alle Ritter/ Bernd von der Aßinburg/ Er Thomas von Bottelstete/ unser Oberschriber/ und ander gloubwirdiger Lüte gnug.. Gegeben zu Gotha/ nach Christi Geburthe/ virtzenhundert Jar/ darnach in dem nuen und drißigistem Jare/ am Dornstage nechst nach Martini Episcopi.

§. LXIV. Anno CIↃ CCCC XLI. Dominica Vo-
1441. cem Iucunditatis, monasterium Reinhartsbornense ac

Sena-

Senatus Gothanus de molendino Remstetensi pridem disceptantes, invicem reconciliati sunt.

Id quod potissimum promoverunt Ditericus Langius Decanus, & Ditericus Gans, Præfectus Gothani.

§. LXV. Anno CIↃ CCCC LIX. Erfurtenses Friderico Electori homagio se obstrinxere in urbe Gotha. 1459.

Paulus Langius in *Chronico Citizensi* ad hunc annum: *Erfurtenses juraverunt Friderico Duci Saxoniæ & Marchioni Misnensi in Gotya semper bini, & bini.*

§. LXVI. Anno CIↃ CCCC LXX. Wilhelmus Landgravius Gothanos cives cum Sunthusanis agrestibus de pascuis contendentes reconciliavit Vinariæ, die Lunæ post festum omnium Sanctorum. 1470.

Præcipua compositionis afferam ex ipso Præcepto Ducis: Daß das Untertheil des Rieths und Viehweide/ und wendig der Bolstetischen Brücken und Weges/ der Stadt Gotha, und das Obertheil des Rieths und Viehweyde/abwendig der gemelten Brücken und Weges von Sundhausen w rts/ den Sundhäusern folgen solt n.

§. LXVII. Anno CIↃ CCCC LXXVII. Wilhelmus Landgravius Gothanos lanæ textores Nicolao Abbati Georgenthalico pro usu molæ trusatilis (Walckmühle) in Hohenkirchen qvotanuis in festo S. Michaëlis persolvere jubet sex Rhenanos. 1477.

Decreto Vinariæ perscripto die Jovis, Philippi & Jacobi Apostolorum.

§. LXVIII. Anno CIↃ CCCCLXXXII. Statuta Provincialia (die Landes-Ordnung) fuere condita. 1482.

Et ad hæc aliquoties provocat Senatus Gothanus in suis scriptis contra turbatores privilegiorum suorum.

§. LXIX. Eodem anno CIↃ CCCCLXXXII. unus incendiariorum Erfurtensium Gothæ aprehensus, ex decreto

creto Wilhelmi Ducis Senatui Erfurtensi fuit traditus,

1487. §. LXX. Anno CIↃ CCCC LXXXVII, Senatus Gothanus monasterio Georgenthalico permisit, qui noviter a se coëmtam domum in platea Sibelebiana ab omnibus oneribus vacantem possideat: contra altera monasterii domus in eadem platea oneribus civicis sit maneatque obnoxia, nec amplius censum de domo insigne Struthionis præferente accipiat: præterea undam ex Leina in novam domum derivare possit.

Facta est hæc concordia inter Abbatem & Senatum die S. Ægidii. Sequenti anno in vigiliis Pentecostes eam confirmarunt Fridericus & Johannes frater, Elector & Duces Saxoniæ.

1492. §. LXXI. Anno CIↃ CCCC XCII. Nicolaus Abbas Georgenthalicus & Senatus Gothanus de juribus quibusdam in monasterio S. Crucis disceptarunt.

Enim verò Abbas Senatum accusabat apud Fridericum Electorem, ac si sacris sese immisceret juribus in dicto monasterio. Quas lites demum finivit Elector, Non diu ante Reformationem quandam hujus monasterii factam puto; siquidem Elector die Jovis Apolloniæ virginis Torgavia scribit ad Abbatem, qui diligenter provideret, ne illa Reformatio detrimentum caperet: Daß Er getreuen Fleiß vorwende/ damit dieselbe Reformation in beständigem Wesen erhalten werde.

§. LXXII. Eodem anno CIↃ CCCC XCII. Georgius Ahlheubt Wangenheimiorum hostis captus Gothæ quæstioni subjectus ac supplicio affectus est.

1494. §. LXXIII. Anno CIↃ CCCC XCIV. Fridericus Sapiens Elector ex Hierosolymitano itinere redux Gotham venit.

§. LXXIV.

§. LXXIV. Anno cIↄ cccc xcvII. Heinricus Ruthenus Locum tenens in Thuringia Gothæ egit die Veneris post S. Elisabethæ diem. 1497.

Notitia quædam ita habet. Heinrich Reuß von Plauen/ Herr zu Graitz und Cranichfeld/ verordneter des Orts zu Thüringen.

§. LXXV. Anno cIↄ Iↄvııı. Nova controversia inter Senatum Gothanum & pagum Bufleben de hujus privilegiis domesticum vinum ac cerevisiam externam vendendi per Legatos Friderici Electoris ac Johannis Ducis fuit composita die Lunæ post Lamberti diem. 1508.

Sive potius re, etitum fuit, ne Buflebiani ultra octiduum à dedicatione Eccesiæ suæ in vendendo vino suo ac cerevisia externa occuparentur.

§. LXXVI. Anno cIↄ Iↄxx. Lutherus Wormatiam abiturus in æde Augustiniana sacrum sermonem habuit. Quo finito diabolus è pinna templi ad mœnia vergente aliquod saxa extorsit. 1520.

Videatur Frid. Myconius in MSto Chronico.

§. LXXVII. Anno cIↄ Iↄxxıı. & sequentibus Dietericus Dunckel opulentus civis, & (ut puto) Senator Gothanus de nosodochiis urbanis & suburbanis optime fuit meritus. 1522.

Multus est in eo laudando Auctor Collectaneorum MSS. de rebus Gothanis. Certiora tamen in posterum licuerit tradere ex ipsis tabulariis Senatus. Interim repete, si placet, quæ capite præcedenti inter Senatores Gothanos de illo diximus.

§. LXXVIII. Circa hæc tempora tumultus vulgi Canonicorum impurum cœlibatum turbaturus ansam dedit optimis quibusque tam sacris, quam civilibus institutis.

Agno-

Agnoſcit id Dreſſerus, cujus aliqua ſubjicio: *Sedato hoc tumultu, non licuit amplius alere concubinas ſacerdotibus, & cive, etiam ipſi facti ſunt modeſtiores. Aſciti ſunt in Senatum viri quidam docti & uſu periti, quorum conſilio & opera Reſpublica in omnibus eſt emendata. Refecti ſunt muri, vici, domus, templa, hoſpitalia ut nova civitatis facies introducta videatur. Ita politia, diſciplina & religio reformata eſt.* Pluribus hac perſequitur Wilkius in *Oratione ſeculari* pag. 1038. 1039.

1525. §. LXXIX. Anno CIↃIↃXXV. fervente ſeditione ruſticana intacta manſit Urbs ac præfectura Gothana.

Nam Præfectus, Quæſtor & Senatus Gothanus ſedulam dederunt operam ne urbs ac pagi vicini his tumultibus involverentur. Etiam Fridericus Myconius ſancta ſua Svada agreſtes Ichtershuſæ congregatos ab exſcindendis caſtris Glichenſi, Mulbergenſi ac Waſſenburgenſi avertit.

1526. §. LXXX. Anno CIↃIↃXXVI. Sybilla Johannis Friderici I. Saxoniæ Ducis Sponſa Gotham venit, die Martis poſt Dominicam jubilate.

Spangenbergius in Chronico Saxonico capite CCCLXIII.

1528. §. LXXXI. Anno CIↃIↃXXVIII. Viſitatio Eccleſiarum, uti alibi in Thuringia, ita Gothæ etiam fuit inſtituta.

Præcipui Viſitatores fuere D. Gregorius Pontanus, & Philippus Melanchthon. Vide Wilkii Orationem ſecularem pag. 1041.

1531. §. LXXXII. Anno CIↃIↃXXXI. in templo Auguſtiniano pone altare quoddam reperti ſunt ſequentes duo verſiculi parieti inciſi.

M. C. quadratum, LX, quoque duplicatum
Oraps peribit, & Huß VVicleſque redibit.

Iohan-

Johannes Wolfram *in Centuriis V. testimonium de sola fide* lit. Oo. 1. Annò Domini 1531. ist zu Gotha in Augustiner-Closter ein Altar kurtz hinter der grossen Thür zu der rechten Hand/ da itzunder der Tauffstein stehet/ an der Wand gewesen/ in die Ehre S. Sebastiane erbauet und aufgerichtet/ welchen man abgebrochen und Weiberstühle in dieselbe Ordnung gemacht. Da man nun den Altar von der Wand abgebrochen/ da hat man an der Wand hinter dem Altar (wie noch etlichen Leuten in dieser Stadt wissend) mit feinen scharffen und schwartzen Buchstaben folgendes leserliches distinction geschrieben gefunden. - - Das ist:

Wenn man wird schreiben tausend Jahr
Fünffhundert und zwantzig nim̃ wol war/
Denn da wird fallen das lose Geschrey/
Bittet für uns ihr Heiligen frey
Und wird des Huß und Wickleffs Lahr
Wieder blühen bey uns viel Jahr.

Welche Weissagung/ sie sey von Johanne Hiltenio, wie etliche gemeinet/ oder von einem andern geistreichen Manne geschrieben worden/ eben umb dieselbe Zeit ist erfüllet worden/ dafür wir GOtt billich von Grund unsers Hertzens Lob/ Danck/ Ehre und Preiß sagen sollen. Præterea Matthæus Meifartus in Disp. inaugurali Ienæ anno 1624. habita ex Myconii MS. Chronico memorat, in eadem æde Augustiniana florente Papatu sequentes versiculos parieti adscriptos:

Seint daß Christus ist gebohren/
Ist kein Gläubiger an ihm verlohren.
Wenn das wüste die Christenheit/
Das wär München und Pfaffen leid.

§. LXXXII.. Anno cIↃ IↃ XXXII. Iustus Kochius Canonicus Procuratorem monachorum Augustinianorum decrepitorum, Conradum Voigtium, occidit. 1532.

Id quod paulo ante Dominicam Qninquagesimæ Iohanni Electori nunciant Myconius & Senatus. Myconius Kochium vocat eyn Tumb-Pfeffleyn.

1534. §. LXXXIV. Anno CIↃ IↃ XXXIV. post novam Visitationem Ecclesiasticam, uti multa alia in meliorem redacta ordinem, ita quoque aucta fuere cleri Evangelici salaria.

Visitatores erant Iustus Menius, Fridericus Myconius, Georgius a Wangenheim, & Iohannes Cotta. Horum scriptum de augendo ærario Gothano aliisque eo pertinentibus obsignatum est Isenaci die Lunæ post festum Visitationis S. Mariæ.

1537. §. LXXXV. Anno CIↃIↃ XXXVII. Lutherus Smalcaldia ægrotus discedens, recuperata fere Tambachii valetudine, Gotham contendit, ubi eum Bucerus ac Lycosthenes eonvenere.

Videantur B. Lutheri *Operum tomus VI. pag. 1054.* Matthesius *in vita Lutheri sermone XI.* Philippus *in Epistolis ad Camerarium, pag. 282. Lutherus eum dies totos octo habuisset ἰσχουρίαν, desperans jam de vita, hinc avehi voluit, quanquam erat admodum imbellicis, gessimus tamen ei morem, statim ea nocte, cum abiisset, rursus urinam emittere cæpit, Dei beneficio, satis largiter, Acciderant hic quædam turpia ἰατρικὰ errata, quæ adbuc metuo. Nunc habet Medicum prudentem & fidelem Sturtiadem, qui si initio affuisset, non incidisset Lutherus in hoc discrimen.* Confer, si placet, Camerarium *in vita Philippi*, Sleidanum *lib. XI.* Stigelinm *volumine II. Poëmatum pag. 450.* Selneccerus *de vita Lutheri* ita: *Smalcaldiæ anno 1537. incidit Lutherus in morbum prorsus lethalem, calculo ipsum adoriente, ut ad dies undecim ne guttam urinæ emitteret. Ductus autem in oppidum Tambach, restitutus est priori valetudini; unde locum illum nominavit locum benedictionis*

sua

sua & consolationis, Capernaum, ac domum, in qua sanatus erat, id est domum transitus. *In itinere* (Gothæ scilicet) *rursus venerunt ad Lutherum Bucerus* & *Lycosthenes afferentes consulis Basiliensis literas.* Venit autem Lutherus Gotham, die Iovis post Dominicam Reminiscere, divertens in ædes Iohanni Löwen; ac memini me legere, Myconium aliosque Theologos tum ex ejus ore multa excepisse memorabilia inprimis quæ ad captivitatem simulatam pertinerent, cum a comitiis Wormatiensibus reverteretur. Scripsit tum Myconius de valetudine Lutheri Smalcaldiam ad Melanchthonem: cui hic respondet epist, 34.

§. XXXVI. Anno CIↃ IↃXLIII. & sequentibus Senatus Gothanus in metallifodinis Salfeldensibus certas habuit portiones. 1543.

Venerunt enim in manus meas epistolæ aliquot Gothani Senatus ad Salfeldensem, hoc anno perscriptæ, quibus & pecuniam fossoribus debitam mittunt & ut rerum suarum curam habeant petunt.

§. LXXXVII. Anno CIↃ IↃ XLIV. Iohannes Fridericus Elector in locupletando ærario sacro, augendisque ministrorum salariis, de Ecclesiis Scholaque Gothanis summe fuit meritus. 1544.

Electoris decretum perscriptum est Vinariæ, die Lunæ post festum Pentecostes. Tum enim Oeconomia Scholastica in gratiam pauperum scholarium decem modiis (Malter) frumenti fuit aucta, rem strenue sua commendatione promovente Myconio. Initium convictus factum est superiori anno die XVI. Maji, ac tum cura huius Oeconomiæ *M. Andreæ Rinden*, fuerat commissa. Novas Oeconomiæ leges anno CIↃ IↃXLVII. VII. Octobris publicatas reperio. Plura habet *Wilkius* Orat. seculari pag. 1042. 1043.

1545. §. LXXXVIII. Anno CIↃ IↃ XLV. Ultimo die Octobris bona pars Gothanæ urbis miserrime conflagravit.

Combustæ sunt domus habitabiles sexaginta & centum, tecta prope quingenta. Myconium ob id lugentem solatur Philippus Epistola, 6. Novembris scripta, quæ est inter Snegassianas 63. Hujus margini sequentia annotaverat Myconius: *Qui mihi has literas attulerunt referebant S. Virum Confessorem, Dominum Philippum, audito hujus urbis incendio illachrymasse, & post lachrymas hæc scripsisse. Valde enim hanc Vrbem propter Ecclesiam & Scholam, ac ministros fideles diligebat. Arsit Gothæ anno 1545, ultima Octobris. Et fuit triduo silentium in Ecclesiis & Schola.* Nomine quoque ipsius Academiæ Wittebergensis a Melanchthone ad Myconium epistola consolatoria, ut & centum floreni sunt submissa. Vide Epistolas Philippi a Pezelio editas *pag. 185*. Quæ de hoc incendio ad Iohannem Reinholdum, Quæstorem Salfeldensem a Gothano Quæstore Iohanne Löwen perscripta est epistola, eam nuper inveni Salfeldi. Hujus summam alibi repetam.

1552. §. LXXXIX. Anno CIↃ IↃ LII. decessit Iustinus Pezoldus Medicus & Physicus Gothanus, vir acutissimi ingenii dexterrimique iudicii, natus Gothæ anno CIↃ CCCCLXXXII.

1554. §. XC. Anno CIↃ IↃ LIV. die XXVIII. Decembris pastores Gothani in curiam vocati Visitatoribus rationem reddidere de propositis fidei articulis.

Visitatores fuere *D. Nicolaus Amsdorfius*, *D. Erhardus Schnepfius*, *M. Iohannes Stoltzius*, Concionator Aulicus Vinariensis, & *Iohannes Lutherus*, B. D. Martini filius. Et quia sequenti anno imagines quasdam idololatricas ex Papatu superstites abolitas reperio procul dubio laudati Visitatores promovere.

§. XCI. Anno CIↃIↃLXI. turris portæ Sunthusanæ fulmine tacta est, illæsa, quæ in ea degebat, paupercula muliere cum parvulis liberis. 1561.

§. XCII. Anno CIↃ IↃ LXII. XI. Februarii in hac Academia obiit Johannes Stigelius, Oratoriæ ac Poëseos Professor. 1562.

Huius viri obitum paucis hic volui tangere, quia pro Gothano cive semper fuit habitus: quanquam Frimariæ in pagu Gothæ vicino natus anno CIↃ IↃ XV XIII. Maii.

§. XCIII. Eodem anno in Synodo Gothana Pastores Ecclesiarum Strigelianæ Declarationi iubentur subscribere, pluribus tamen id negantibus, ac ob id in exilium pulsis.

Gerhardus in *Strigelianismo Sect.* I. §. *XI. Quem in exhibita declaratione errorem Pastorum nonnullis (qui vel nimio viri splendore excæcati, vel lautiori redituum usu capti, vel metu præpediti, vel ignorantia decepti fuerant) seu aureum Nabuchodonosoris idolum, flexis quasi genibus adorantibus, recipientibus, approbantibus: cum reliqui, iique in doctrina sinceriores, sui officii curiosiores, Christoque capiti fideliores, improbarent, spartis depulsi, alio migrare jussi sunt.*

§. XCIV. Anno CIↃIↃ LXVII. turri sacrarii S. Iacobi diruta, in ejus locum nova domus mercatoria successit. 1567.

Novæ domus mercatotiæ ædiles fuerunt Caspar Mans, Christophorus Götze, & Nicolaus Rausche: qui die XXII. Iulii, hora pomeridiana prima, fundamenti primum lapidem collocarunt: Id quod iterum, quod ad turrim, fecerunt die 18. Augusti hora undecima. Structura demum absoluta est anno 1577. ac constitit 8727. sexagenis, 34. grossis, & obolis tribus. De sacratio S. Iacobi supra *cap. XI.* vidimus.

§. XCV. Eodem anno, primum post obsidionem in cæmeterio funus fuit Margaretæ Meusemanniæ. Id quod loquitur lapidis sepulchralis, quæ sequitur inscriptio.

DINSTAG. NACH. SA
MARCVS VERSC.
NIT. MARGARETA
MEVSMAN. VND
SI. WAR. DAS ERS,
TE. NACH DER BE
LEGERVNG. HIE
RAVSEN. BEGRABEN
IR. ALTER. 20. IAHR
DER. GOT. GNAT.

Paullo post vrbis deditionem tanta pestis ingruit, ut æstate illa au&umnoque 1509. homines absumti fuerint.

1573. §. XCVI. Anno CIↃ IↃ LXXIII. Visitatio Ecclesiastica Gothana auspiciis Electoralibus per Theologos ac Politicos legatos instituta est.

Theologi erant D. Fridericus Wildebramus, D. Johannes Stöffelius, D. Maximilianus Mörlinus, M. Martinus Mirus, Superintendens Ienensis. Politici autem, Laurentius Lindemannus, D. Lucas a Tangel, ex nobili prosapia. D. Wolfgangus ab Eichenberg, Mauritius ab Heltritt. De alia visitatione Gothana, Scholæ cumprimis, anno superiori auspiciis Ducis Iohannis Wilhelmi, a D. Joh. Wigando, Professore Ienensi, & M. Bartholomæo Rosino, Superintendente Vinariensi, peracta, vide Wilkii Orationem pag. 1044.

§. XCVII. Electorales illi Visitatores cum ad articulos Corpore Doctrinæ Philippi desumtos examinarent Pastores; nec id satis probaretur M. Melchiori Wedmanno Superintendenti, is & hoc & aliis nominibus dimissus Erfurtum abiit.

Wedmanno illi in Theologia & politiori literatura probe versa-

versato, Philippi scripta quædam non immerito suspecta videbantur. At hæc cum nimium æstimarent Electorales legati, ac porro Wedmannus disciplinæ Ecclesiasticæ rigidior esset exactor, multorum offensam incurrit, sic ut tandem loco moveretur, die VIII. Augusti. Quamvis autem multos haberet inimicos, suis tamen etiam fautoribus non caruit. Certe anno CIƆIƆLXXII. honorifico eum testimonio ornarunt Diaconi, Quæstor & Senatus Gothanus.

§. XCVIII. Anno CIƆIƆLXXIV. & sequenti, controversiæ inter præfecturæ Gothanæ administratorem, Paulum Sahlreuterum, & Senatum Gothanum sunt compositæ. 1574.

Prima hujus compositionis Notitia sedecim constans articulis perscripta est Coburgi, die 25. Septembris anno 1574. cujus tamen aliquot articuli a Tutorum Electoralium, Saxonicorum & Brandeburgicorum consiliariis in favorem Senatus & civium ad eorum instantiam declarati sunt 19. Novembris anno 1575.

§. XCIX. Anno CIƆIƆLXXVII. absolutæ sunt novæ ædes mercatoriæ: quæ unde & cur exstructæ, vestibuli prioris inscriptio docet: *Necessitas, Honestas, Commoditas me fieri fecerunt.* 1577.

Vide Ieremiæ Wittichii Notas ad Geographiam metricam Gothæ, ex Binhardi Chron. Thuring. p. 186.

§. C. Anno eodem publicatum Gothæ est præceptum, ne copulatio conjugum domi perageretur amplius, sed in æde sacra fieret.

§. CI. Anno CIƆIƆLXXIX. a Ludovico Palatino ad Rhenum & Duce Bavariæ, Augusto Duce Saxoniæ, Iohanne Georgio Marchione Brandenburgico, S. Rom. Imperii Electoribus, Iohannis Casimiri & Iohannis Ernesti Ducum Saxoniæ tutoribus, nova Senatus Gothani Statuta confirmata sunt. 1579.

Clausula confirmationis habet XVII. Iulii.

§. CII

1581. §. CII. Anno CIↃ IↃ LXXXI. M. Fridericus Mollerus raro exemplo, Medicus, Physicus, Senator & Consul Gothanus fuit renunciatus.

1583. §. CIII. Anno CIↃ IↃ LXXXIII. XXIII. Maii Spiræ obiit D. Christophorus Dürfeldius, patria Gothanus, Dicasterii supremi Assessor, olim Prof. Ienensis.

Videatur Adriani Beieri *Syllabus Rectorum Ienensium lib. 1, cap, 1*, & *Nomenclator Professorum Iuridicorum.*

1855. §. CIV. Quæ inter Laurentium Furstenauer, & nonnullos ex Senatu Gothano gravissimæ coortæ fuerunt lites, anno CIↃ IↃLXXXV. sunt sopitæ.

Commissarii in hac causa fuere Iohannes Ernestus a Teutleben, Præses curiæ provincialis Ienensis (Hoffrichter) & Iodocus (Jobst) a Wangenheim

§. CV. Eodem anno Iohannes Calmbergius Consul Gothanus testamento constituit, ut singulis per annum examinibus libelli pauperioribus discipulis distribuantur.

Vide Wilkii *Orationem secularem* pag. 1052.

1587. §. CVI. Anno CIↃIↃ LXXXVII. XXXI. Ianuarii M. Nicolaus Florus Gothanus Pastor & SS. Theologiæ Professor Argentorati obiit, per annos XXXIV. Ecclesiastica & XVIII. Academica sparta functus.

1591. §. CVII. Anno CIↃ IↃXCI. Iohannes Casimirus Dux Gothanam civitatem novo mactavit privilegio de nundinis butyro vendendo dicatis.

Privilegium perscriptum est Coburgi in der Ehrenburg die XXIII. Iulii. Ipsæ nundinæ celebrandæ sunt XV. & XVI. Augusti.

1594. §. CVIII. Idem Princeps anno CIↃ IↃXCIV. VIII. Idus Septembris mandato gravissimo Senatui iniunxit, ut in Gymnasio Hebraicæ Grammaticæ lectio introduceretur.

Nul-

Nullus enim Ministerii Candidatorum ex Gothano Gymnasio progressus Coburgi in examine Hebraice noverat: observante Wilkio *Oratione seculari* pag. 1047.

§. CIX. Anno CIↃ IↃ XCV. x. Octobris novam Gymnasii Gothani Bibliothecam instituerunt ejusdem Principis Consiliarii, Georgius Schederus, ICtus & Cancellarius, Sigismundus Heusnerus Cameræ Sanctioris Secretarius, Fridericus Felderus urbis & municipii præfectus. 1595.

Laudante Wilkio *dicta Oratione* pag 1052.

§. CX. Anno CIↃ IↃCI. die VIII. Septembris Gothæ observatus fuit terræ motus, 1601.

In tantum, ut speculator de turri S. Margaretæ noctu descenderet, præ timore ingenti quasi extra se positus. Ejusdem mensis die 29. tempestas ingens oborta, quæ de turri domus mercatoriæ globum supremum cum signo draconis decussit.

§. CXI. Anno CIↃ IↃCIV. Comitia provincialia Gothæ sunt habita, ipsis fratribus Saxoniæ Ducibus præsentibus. 1604.

Wilkius *Parentatione in obitum M. Michaëlis Iulii Superint. Gothani* 610. 614.

§. CXII. Anno CIↃ IↃCV. Iohannes Casimirus Gymnasium Coburgense III. Iulii inauguraturus, ad hæc solennia literis XXV. Iunii perscriptis ad Senatum Gothanum, evocavit D. Iohannem Mattenbergerum, Consulem, Rectorem Scholæ, & scribam Senatus publicum. 1605.

§. CXIII. Eodem anno ejusdem Principis jussu nova Cœnobii Gothani structura cœpta, & biennio fere post absoluta fuit.

Laudante Wilkio *Oratione seculari* p. 1051. quod *Iohannes Dux Saxoniæ Vinariensis ex sylva proximiore septimana omnem liberalissime obtulerit ingentium trabium materiam*; quodque *Cælides, quibus in Oeconomiam scanditur, ex arcis ruderibus Principis permissu illuc sint translata*.

1606. § CXIV. Anno CIƆ IƆCVI. novus extra ordinem Historiarum Professor a Principe liberalissimo annuo stipendio destinatus, M. Sebastianus Leonhardus, orationem inauguralem habuit XIX. Martii.

Vide Wilkium *Orat. secul.* pag. 1049.

1612. §. CXV. Anno CIƆ IƆCXII. pestis grassata est Gothæ.

1613. §. CXVI. Anno CIƆ IƆCXIII. post visitationem Ecclesiasticam, jussu Iohannis Casimiri Ducis, a D. Iohanne Gerhardo, & Martino Gnügio Concionatore Coburgensi aulico, factam, novus Gymnasio Oeconomus datus fuit Nicolaus Tresselius: leges item œconomiæ renovatæ, ac ædificium quoddam in usum ægrotantium scholarium fuit constructum.

In hos usus, ex decreto Ducis, a Georgio Breithauptio Quæstore Tennebergensi, ligna Gotham transmissa sunt.

§. CXVII. Eodem anno, tempore Cataclysmi Thuringici magna moles grandinum Gothæ decidit.

Meminit ejus rei M. Andreas Pulcius, Ronneburgensis, Fac. Philos. Ienens. Adjunctus, in Dissertatione Historico-Didactica *de Inundationibus in Thuringia hoc tempore factis.*

§. CXVIII, Eodem anno monumenta quædam antiquorum Thuringiæ Landgraviorum Gotha Reinhartsbornam sunt delata, in perennem memoriam ibidem asservanda.

De uno horum, Vir summus Fridericus Hortlederus in *Annotationibus ad supremos honores Friderici Senioris Ducis Saxoniæ:* scripto nitidissimo: *Sic habet ipse monumenti lapis, egregium priscæ magnificorum exemplum. Quod olim sua fata Isenaco Gotham, inde rursus anno 1613. ad Reinhardi fontem sacrum transtulerunt.* Hæc autem monumenta æri affabre incidi curavit ERNESTVS Pius, ipsæque laminæ in Bibliotheca Friedensteiniana asser-

van-

vantur : quorum ectypi per maximam FRIDERICI Ducis munificentiam in *Antiquitatibus Landgraviatus Thuringiaci* brevi comparebunt.

§. CXIX. Anno CIↃIↃCXXIII. omnes ac singulæ controversæ inter præfecturam ac Senatum Gothanum feliliciter sunt compositæ. 1623.

Decretum compositionis Coburgi est perscriptum die 29. Martii.

§. CXX Anno CIↃIↃCXXXII. ferale incendium die Bartholomæi dimidiam urbem Gothanam consumsit. 1632.

Calamitates huius incendii paucis describit Abrahamus Saubertus im Städtebuch pag 663. Cumprimis consumta est universa ædes S. Margarethæ, cum omnibus campanis & ornamentis. Multi annotarunt, das Feuer habe so bald überhand genommen/ das in einer halben Viertelstunde der Neumarckt und Erffurter Gasse in vollem Brande gestanden: Denn die Menthelgassen/ Schwabhäusische/ Siebeleber-Qvehr und neue Gasse vorbey und den Marckt biß an das halbe Rathhauß in voller Glut gestanden.

§. CXXI. Anno CIↃ IↃC XLI. Ernesti Pii auspiciis, typographia Gothæ fuit instituta. 1641.

Quo de Serenissimo Duci Latino carmine gratulatus est Iohannes Weitzius.

§. CXXII. Anno CIↃ IↃC XLV. ex decreto Ernesti Pii, Synodus Gothæ fuit habita. 1645.

Adscribam nonnulla ex *Historia vitæ Ernestinæ*: Anno 1646. hielten Sie einen Synodum, und ließen darinn nicht allein von allerley guter Anstalt in Kirchen und Schulen/ wie auch wegen Einführung der so sehr gefallenen Kirchen-Zucht reiffe deliberation pflegen/ und alles in einen gewissen Schluß/ sondern auch gleich darauf alles zur gewünschten Execution bringen: da denn auch gewisse Anstalten gemacht wurden/ wie die bösen Gewohnheiten/ und alles unorntliche Wesen möchte bemercket/ und zur gebührender Ahndung angezeiget werden.

1646. §. CXXIII. Anno CIↃ IↃC XLI. XXIII Martii novum incendium Gotham miserere afflixit.

1650. §. CXXIV. Anno CIↃ IↃCL. die X. Augusti in urbe ac provincia Gothana, solenni ritu Deo devotissimæ actæ sunt gratiæ.

In perpetuam hujus Pacis memoriam Ernestus Pius Ioachimicos, aliosq; nummos cudi fecit, cum hac epigraphe:

GOtt den HErren lobt und ehrt/
Der den Frieden hat beschehrt/
Fördert seine Furcht und Ehr
Sonst besteht er nimmermehr.

1659. §. CXXV. Anno CIↃ IↃC LIX. XV. Ianuarii, Georgius Frantzkius, Cancellarius Saxo Gothanus, ICtus illustris, vitam cum morte commutavit.

Wittichius in Notis ad *Geographiam metricam Gothæ*: Georgius Frantzkius, *ICtus incomparabilis, Com. Palat. Cæs. in Serenissima Aula Saxo-Gothana Cancellarius, Consistriique ibidem Præses præclarissime meritus, placide Gothæ in ædibus suis obdormivit die 15. Ianuar. 1659. anno ætatis suæ sexagesimo quarto, & die 19. ejusdem solenniter sepultus in templo S. Margaretæ, ad mediam partem aræ prope Principis sepulturam ab ara remotiorem.* Laudavit eum erudita oratione Martinus Hankius. Sed & dotes Frantzkianas pro meritis nuper extulit, qui iisdem multa se debere fatetur illustris Dominus Seckendorfius in præfatione *Orationum Germanicarum*. De liberalitate Frantzkiana ac inprimis in aliquot studiosos juvenes Scholæ olim operaturos, & filias relictas Pastorũ egenas alibi dicemus.

1660. §. CXXVI. Anno CIↃ IↃCLX. divisione terrarum Hennebergicarum instituta, Ernestus Pius, præfecturis Wasungen, Sand, & Frauen-Breitungen auctus est.

Paulus Martinus Sagittarius, Ioh. Christfridi, Theologi, filius egregius, in *Ernesto Pio cum Ernesto Electore collato*: Divisio *mille votis desiderata, mille quoque modis impediebatur. -- Et si spes omnis de divisione jam videbatur concisa, non tamen penitus*

nitus occisa. En enim ex improviso Dei nutu iterum excitatur, erigitur. Dicitur dies, conveniunt Ministri Principum; res ex sententia transigitur. Quid ERNESTVS? Lætatur, publicas Deo decernit grates, & , ut testatior divisionis extaret memoria, argenteos nummos conflari curavit, in quorum uno latere scutum Ducatus Saxonici & Principatus Hennebergici insignia referens, cum sequentibus in peripheria verbis: FRIED, IN GEMEINSCHAFT NEHRT. In altero vero hæc, quæ sequuntur, comparent: ZUM LOBE GOTTES VND GEDÆCHTNIS HENNEBERG THEILVNG VND HVLDIGVNG IN WASVNGEN d. XI. Sept. 1661. Et in ambitu: VNFRIED DVRCHAVS VERZEHRT.

§. CXXVII. Anno CIϽ IϽC LXII. Ernestus Pius bonam Thuringiæ partem annonæ caritate pressam provida liberalique cura sua erexit, ac singulariter in Superintendentes suos fuit beneficus. 1662.

Videatur *Historia vitæ pag. 80. & 84.*

§. CXXVIII. Anno CIϽ IϽC LXV. die x. Julii novum incendium Gotham deformavit. Sed provida Patris patriæ cura effecit, ut post paucos annos splendidiorem formam receperit. 1665.

Cl. Iohannes Heinricus Rumpelius in *Oratione* memoriæ Ernesti Pii dicata: *Si tantum in annos proxime præteritos regredior, & expendo quanta vis providentiæ hujus fuerit, ubi Gotham ferme consumtam, & fatalibus deletam incendiis reparavit, eque lutea lateritiam excitavit, venit mihi in mentem, fore, ut si quæ fixa incedere moverique possent, haud dubie civium domus, lares, niduliq; omnes levarent sese funditus, prodirentq; ad urnam EJVS, acturi gratias, quod EJVS auspicio indemnes partim manserint, partim in meliorem habitum assurrexerint.*

§. CXXIX. Anno CIϽ IϽC LXVI. Ernestum Pium gravis sollicitudo exercuit de novo Collegio Theologico ad Nicolai Hunnii consilium instituendo. 1666.

D. Iohannes Gvilielmus Bajerus, celeberrimus Theologus nostras, in *Oratione funebri* Ernesti Pii: *Quæsivit autem annon*

ſaltem mentes hominum fortius convinci poſſint, ſi maxime linguis eorum & calamis fræna imponi non poſſint. Huic autem rei inſervire viſus eſt celebris libellus B. D. Nic. Hunnii Germanico idiomate conſcriptus, in quo diſputat doctiſſimus autor: utrum, & qua ratione ab Eccleſia Lutherano-Evangelica exortæ cum adverſariis religionis contentiones componi poſſint? tandem convenientiſſimũ fore judicat, ſi peculiare quoddam Collegium Theologorum conſtituatur, quibus, aliorum negotiorum onere liberatis, unice incumbat, controverſias fidei ab his, qui nunc ſunt, hæreticis motas tractare. Felicem ſe fore putavit beatiſſimus Erneſtus, ſi vel eo modo, quem propoſuerat Hunnius, vel alio convenientiore, idem effici poſſet. Sumtuum magnitudo non deterruit animũ generoſũ, præſertim, qui collectos ſua parſimonia theſauros ad nullã rem promtius, quam juvandã Eccleſiã recludere conſueverat.

§. CXXX. Eodem anno ſiugularem raramque beneficentiam adverſus omnes Verbi divini miniſtros in Eccleſiis ſcholisque laborantibus demonſtravit.

Vnicuique enim adjuncto XX. Diaconis X. Scholæ Præceptoribus V. Ioachimicos fecit perſolvi.

1667. §. CXXXI. Anno ᴄɪↄ ɪↄc ʟxvɪɪ. Corpus ſtatutorum provincialium Gothæ typis fuit exſcriptum.

Iohannes Erneſtus Schadius, Schleuſingenſis Gymnaſii Rector in Orat. funebri Erneſti Pii: *Curæ vere paternæ & ſummorum meritorum in remp. B. Erneſti pars eſt non poſtrema, quando de conſtitutione & conſervatione externæ diſciplinæ & bonorum morum tum in Eccleſia tum Politia, vitaque civili & communi hominum vita, de obſervatione τάξεως καὶ εὐσχημοσύνης in cultu divino, de adminiſtratione juſtitiæ in judiciis, de ratione & requiſitis proceſſuum, de conditione ſtatutorum, conſuetudinum, redituum, de officio miniſtrorum Eccleſiaſticorum & Politicorum, Parentum & liberorum, conjugum, opificum, operariorum, ſervorum prudentiſſimas leges, inclyta mandata, edicta placida, reſcripta, reſponſa promulgavit, uti in illuſtri conſtitutione illa provinciali Gothæ An. C. M. DC. LXVII. typis exſcripta videre licet.*

§. CXXXII. Anno CIↃ IↃCLXVIII. Ernestus Pius Gothæ Ioachimicos fecit cudi, cum inscriptione singularis suæ pietatis teste. 1668.

Historia vitæ *pag. 78.* Anno 1668. liessen die Göttlichen Eigenschafften auf Thaler bringen und diesen Reim darzusetzen:

Du HErr bleibst ewig/ wie du bist/
Das höchste Gut mit Macht gerüst.
Weist alles/ biß an allem Orth/
Führst alles weißlich/ hälst dein Wort.
Schaffst recht/ thust guths/ erbarmest dich/
Vergiebst die Sünde gnädiglich.

§. CXXXIII. Ex quo anno CIↃ IↃCLXXII. XIV. Aprilis Fridericus Wilhelmus III. Dux Saxoniæ Stemma Altenburgicum præmatura morte finivit, luculenta illa hæreditate auctus est ERNESTVS Pius. 1672.

Historia vitæ Ernesti *pag. 73.* das letzte und wichtigste aber hat GOtt biß in Ihr hohes Alter noch versparet/ da nemlich/ nach des Höchsten unerforschlichen Rath und Willen/ die Fürstl. Altenburgische Linie/ durch den höchstseeligen Hintritt ihres letztern Printzen anno 1672. den 14. April. gäntzl. abgangen/ und Ihre Fürstl. Durchlauchtigkeit/ als nechster Agnat und Successor, mit allen hinterlassenen Altenburgischen/ Coburgischen und Hennebergischen Landen. befället/ und selbige/ ausser dem nachgehends/ durch Fürstl. Vetterliche Vergleichung der Fürstl. Weimarischen Linie abgetrettenen Aembter/ nach fast 70. Jähriger Sonderung/ unter dem Fürstlichen Gothischen Hauß wieder zusammen kommen/ und also recht wahr gemacht worden/ daß demjenigen/ der nach dem Reich GOttes und seiner Gerechtigkeit zum ersten trachtet/ das übrige alles zufallen werde. Hanc Historiam sequitur Imhofius in notitia Imperii Procerum lib. IV. cap. II. p. 233 Confer Clauderi Stemma Saxonicum pag. 128. f. Johann Georg Wilcke im Sächs. Nepote pag. 426. vor seinem Ende/ da Er schon über Siebentzig/ schickte Ihm Gott noch eine sehr reiche Erbschafft zu/ als Anno 1672.

die Fürstenthümer Altenburg und Coburg/von Hertzog Friedrich Wilhelm ansturben. Gleich als müste der wiederum beschencket werden/ der Zeit seines Lebens und Regierung so viel Geschencke an seine Unterthanen und andere Bedürfftige gethan. Cum nuncius a Nobili quodam Altenburgo submissus Gotham veniret, equidem in diversorio Nolano agebam: eoque ipso factum est, ut inter primos acciperem fata Principis Iuventutis, sed & fortunam Ernesti Pii per totum orbem spectabilem quam mox quoque carmine Germanico expressi, eidemque titulum Remuneratæ Pietatis (die belohnte Gottesfurcht) præscripsi.

1677. §. CXXXIV. Anno CIƆIƆCLXXVII. FRIDERICVS Dux Tonnensi dynastia, nec multo post Tonnensi archivo ab an. CIƆ IƆCXL. in hac Academia abscondito auctus est. De priori Tobias Pfannerus *de præcipuis Germaniæ Principum gentibus cap. II.* Tonnæ *dynastiam emtionis jure non ita pridem patrimonio titulisque* FRIDERICVS *adjecit. - - Et vero titulo dynastiæ hujus non nisi ipse gaudet, sibi tantum, & quos ex eo nasci contigit, contigetve, comparatæ.* Tonnense Archivum una cum aliis scripturis ab excessu Christiani Schenckii liberi Baronis in Tautenburg, qvem ultimus Comes Glichensis Iohannes Ludovicus in Tonnensibus hæredem scripserat, in tenebroso quodam Bibliothecæ Academicæ angulo repositum, tum demum meruit in apricum proferri, cum FRIDERICVS Dux Tonnæ factus fuisset Dominus. Neque qualemcunque meam hac in re operam indotatam sivit abire Augustus hic literatorum Mæcenas; cui majora indies Ducalis fortunæ incrementa ex intimis apprecor suspiriis, EIVSQVE SERENISSIMÆ CELSITVDINI studia mea historica ceterosque honestos conatus humillime commendo.

§) o (§

4437

